UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorvm Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

urn:nbn:de:hbz:466:1-95369

Visual Library

Th. 929a.

F. VIII 1 2. 1.

COMMENTARIUS SECUNDUS

IN

OCTO LIBROS

PHYSICORVM ARISTOTELIS

AUCTORE

R. P.

FRANCISCO BONÆ SPEI,

Ordinis FF. Glor. Virg. MARIAE de Monte Carmelo, ſtudii generalis eorumdem reformatorum, in Belgio Sacræ Theologiæ Profeſſore.



BRUXELLIS,

Apud FRANCISCUM VIVIENUM,

Anno M. DC. LII.



AD LECTOREM

PRÆFATIO.

QUo cœpimus pede (amice Lector) pergimus; Aristotelis doctrinam, quantum æquum est, sine Textu, cujus prolixa nimis & inconcinna nonnullorum expositio, plurimis, etiam sapientissimis Magistris, Suarez, Poncio, Arriagæ, & aliis, displicuit, ad Sacram Theologiam ordinamus, ad cujus perfectam notitiam rerum naturalium contemplatio, sive ut expressius, hæc *rerum humanarum atque divinarum contemplatrix philosophia*, mirificè conducet. Nam, ut scitè P. Comptonus in proœmio ad Physicam, *per ramos ad radicem, per rivulos ad fontem, per effectus ad rerum omnium auctorem, ac opificem, mens consurgit, & universi hujus conditoris, ex iis, quæ mundo imprimit, sui vestigiis, majestatem, magnitudinem, reliquaque perfectiones investigat*: quod omnino intendisse videtur Apostolus, dum ad Roman. 1°. scribit, *invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*; in his autem principale S. Theologiæ objectum situm est. Unde prudenter notant RR. PP. nostri Complutenses in simili ad Physicam proœmio, *Sanctos patres, Nazianzenum, Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, Hieronymum, Thomam, & alios, in reconditissimis Trinitatis, Incarnationis, aliisque Christianæ religionis mysteriis hæc naturalia exempla passim adducere, eisque sacram Theologiam, ita ornasse, ut nescias quid in illis magis mireris, eruditionémne sæculi* (ut loquitur D. Hieronymus Epistol. ad magnum Urbis Romanæ Oratorem) *vel eruditionem Scripturarum, & Theologicam*. Quia verò Sancti Patres pleraque fidei divinæ veritates, etiam ratione naturali stabilire

bilire nituntur, earum non paucas, an ratione purè naturali demonstrari possint, lentiori trutinâ libramus, & solâ probabilitate rationum, quæ ab aliis adferuntur, detectâ, non spretâ ; ne pertinacius illis inhærentes, quàm deceat, eisdem tamquam inexpugnabilibus fidei veritatum propugnaculis Atheos, Epicureos, & similis farinæ Hæreticos impugnando, cum elusione, aut expugnemur, aut saltem nil vincamus, robustiores & convincentes adinvenire studuimus ; quibus *veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam faceremus, & persuadendo, & pro posse docendo, &c.* ut mandat Leo Papa X. in Concil. Later. sess. 8. an. MDXIII. per speciale Decretum, quod ad longum in Libris de Anima citamus.

OR-

ORDO ET SERIES

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, DUBIORUM, ET QUÆSTIUNCULARUM

Secundi in octo Libros Physicorum ARISTOTELIS Commentarii.

DISPVTATIO PROOEMIALIS

De Objecto & Natura Physicæ. 2

DUBIUM I. Quodnam sit Objectum Physicæ. 2

II. An Physica sit vera scientia, & qualis. 3

PHYSICÆ

PARS PRIMA.

De Corpore Naturali, ejusque Principiis & Affectionibus.

TRACTATVS I.

IN LIBRUM PRIMUM PHYSICORVM. 4

DISPVTATIO I.

De Principiis Physicis, seu Corporis Naturalis, 4

DUBIUM I. Quid sit Principium in genere, & quotuplex. *ibid.*

II. Quid sit Principium Physicum strictè sumptum. 5

III. Quot sint Principia Corporis Naturalis strictè sumpta. *ibid.*

DISPVTATIO II.

De primo Principio Corporis Naturalis, sive Materia prima. 8

DUBIUM I. Quid sit Materia prima, & an detur. *ibid.*

II. An Materia prima sit subjectum sustentationis & informationis positivè primum. 10

III. An, & quo sensu, Materia 1ª sit pura potentia. 12

QUÆSTIUNCULA. Quid senserit D. Thomas circà quæstionem, an materia prima ex se sit ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo. 15

DUBIUM IV. An dato quòd existentia materię realiter distinguatur ab ejus essentia, materia prima habeat propriam existentiam distinctam à formâ. 17

V. An materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis. 19

VI. An materia prima appetat omnes formas, & quo appetitu. 22

VII. An Potentia per quam materia recipit formas substantiales distinguatur realiter ab illa. 22

VIII. Quomodo Materia pendeat à forma, & an naturaliter existere possit sine omni forma substantiali. 24

IX. An omnis materia sit unius speciei, & possibilis sit aliqua diversæ speciei. 26

DISPVTATIO III.

De Forma Substantiali. 27

DUBIUM I. An detur forma substantialis; quid illa sit; & an tota essentia Corporis completi. 28

II. An formæ Substantiales intendi & remitti possint. 31

III. An plures formæ totales substantiales non subordinatæ possint naturaliter simul esse in eadem materia. 33

IV. An formæ materiales educantur de potentia materiæ, & quomodo. 36

V. An forma non modalis, quæ connaturaliter educitur ex materia, divinitùs creari possit; & quæ connaturaliter creatur, ut anima rationalis, divinitùs educi possit ex materia: & an simul eâdem indivisibili actione educi, & creari possit. 39

VI. An in corpore naturali detur forma

corporeitatis præter ſpecificam & ultimam. 41
VII. An potentia, per quam forma ex parte ſua recipitur in materia, diſtinguatur realiter à forma. 43

DISPVTATIO IV.

De Subſiſtentiâ. 43
DUBIUM I. Quæ ſit ratio formalis Subſiſtentiæ, ſive (quod idem eſt) quis effectus formalis Subſiſtentiæ. 43
II. An ſubſiſtentia in creatis addat ſupra naturam aliquid poſitivum ab ipſa realiter diſtinctum, aut negativum tantum. 48
III. Quomodo Subſiſtentia Poſitiva diſtinguatur à natura. 52
IV. An anima rationalis, materia prima, partes integrantes, & modi ſubſtantiales habeant ſubſiſtentiam. 54
V. An natura poſſit naturaliter exiſtere ſinè omni ſubſiſtentia. 56
VI. An natura creata poſſit Supernaturaliter terminari duplici Subſiſtentia. 58
VII. An duæ naturæ, humanę v. g. terminatæ ſubſiſtentiâ unâ; vel è contrà una natura duabus ſubſiſtentiis, eſſent duo homines, an unus dumtaxat. 60
VIII. An forma accidentalis, ſit per ſe immediatè à perſona poſitiva, etiam divina, aſſumptibilis. 61

DISPVTATIO V.

De Privatione. 62
DUBIUM I. Quid ſit Privatio, & an ens reale. 62
II. An in materia ſint plures privationes, & an illę ſint capaces intenſionis & remiſſionis. 63

DISPVTATIO VI.

De Vnione inter Materiam & Formam. 63
QUÆSTIUNCULA I. Quid ſit modus in genere. 63
II. An dentur modi ſive entia modalia. 64
III. An modi omnes fiant per actionem realiter à ſe diſtinctam. 64
IV. An omnes primę qualitates, & omnes actiones ſint modi. 65
DUBIUM I. An & quomodò unio diſtinguatur ab extremis. 66
II. Qualis ſit unio inter corpus & animam rationalem. 67
III. An unio inter corpus & formam materialem ſit modus à formę iſtius eductione realiter diſtinctus. 69
IV. Sitne in compoſito naturali, ſimplex, an duplex unio. 71
V. In quo extremorum ſubjectetur unio, 72
VI. An totum diſtinguatur realiter à partibus & unione conjunctim ſumptis. *ibid.*
VII. An Accidentia materialia ſubjectentur in toto compoſito. 76

TRACTATVS II.

In Librum Secundum

PHYSICORVM. 77

DISPVTATIO I.

De Natura, & Arte. 77
DUBIUM I. Quid ſecundùm Ariſtotelem natura & ars, & in quo inter ſe differant & conveniant. 77
II. Quibus entibus conveniat definitio naturæ. 78
III. Quid natura ſtando in Principiis fidei docentis Verbum naturam humanam aſſumpſiſſe, non ſubſiſtentiam. 79
IV. An Ars poſſit moliri aliquod opus naturę, id eſt, totum, quod vel ſit, vel in ſe habeat Principium motus & quietis naturalis. 79

DISPVTATIO II.

De Cauſa in Genere. 80
DUBIUM I. Quid ſit Cauſa in Genere. 80
II. Qualis ſit diviſio cauſę in materialem, formalem, efficientem, & finalem. 82
III. Quis ſit ordo, etiam dignitatis, inter cauſas. 83

DISPVTATIO III.

De Conditionibus ad Cauſandum requiſitis. 83
DUBIUM I. An & quę exiſtentia cauſę requiratur ad cauſandum. 84
II. An, & quę Prioritas requiratur ad Cauſandum. 87
III. An duæ cauſæ poſſint quoad primum eſſe ſibi invicem eſſe cauſæ. 88
IV. An res eodem inſtanti reali, quo à ſolo Deo v. g. producitur, ſupernaturaliter poſſit emittere aliam actionem efficienter ſuiipſius productivam, & ſic dare ſibi eſſe primum per actionem negativè primam. 91

V. An

V. An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus. 93

DISPVTATIO IV.

De Causis Intrinsecis. 95

DUBIUM I. Quid causa intrinseca, & an detur. 95

II. Quid causa materialis & formalis. 96

DISPVTATIO V.

De Causa Efficiente. 96

DUBIUM I. Quid Causa efficiens, & quotuplex. 96

II. Quæ sit causalitas causæ efficientis, & an sit aliquid realiter distinctum à causa efficiente, termino, & omnibus ad agendum prærequisitis. 96

III. An, & quomodo Actio & Passio inter se differant; & in quo subjecto sit Actio modus. 98

IV. Unde Specificentur actiones tam immanentes, quàm transeuntes. 100

DISPVTATIO VI.

De Causa Efficiente creata. 102

DUBIUM I. An causæ creatæ aliquid vere efficiant. 102

II. Quodnam sit immediatum Principium *quo* substantiæ. 103

III. Quodnam sit Principium immediatum *quo* Accidentium. 109

IV. An productio formæ novæ sit prior expulsione veteris cum ipsa impossibilis: an è contrà. 111

DISPVTATIO VII.

De Causa Efficiente Increata. 111

DUBIUM I. Quid Dei cum Causis secundis concursus, & quotuplex. 111

II. Quomodo Concursus, vel potiùs cursus Dei cum creaturis in Actu primo, proximè præparetur; aut creaturæ applicetur. 112

III. An Concursus Dei in actu secundo ad effectus causarum secundarum sit immediatus. 112

IV. An non solùm Deus simul concurrat cum Causis secundis, sed eas etiam ad agendum per præviam qualitatem in illis impressam præmoveat ac prædeterminet. 117

V. An Deus Physicè præmoveat ad entitatem Physicam peccati, sive, ut alii, ad materiale peccati, 121

VI. An determinatio necessaria ad individuum sit à Deo, an à creatura. 123

DISPVTATIO VIII.

De Creatione. 125

DUBIUM I. Quid sit, an possibilis, & lumine naturæ cognoscibilis. 125

II. An Creatio sit quidpiam realiter distinctum à creante & re creatâ. 126

III. An virtus creandi creaturæ ut causæ principali connaturaliter competere possit. 127

IV. Quid Potentia obedientialis, & an sit in quolibet ad recipiendum & producendum quodlibet. 130

V. Quid Conservatio, & à quo Substantia & Accidentia conserventur. 135

DISPVTATIO IX.

De Fortuna, Casu, Fato, & Monstro. 136

DUBIUM VNICUM. Quid sint. 136

TRACTATVS III.

In Cæteros Libros PHYSICORUM;

Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, Septimum, & Octavum.

DISPVTATIO I.

De Infinito. 137

DUBIUM I. Quid sit, & quomodo dividatur. 137

II. An dari possit Infinitum Cathegorematicum, sive actu. 138

III. An dari possit infinitum actu, in duratione, magnitudine, multitudine & intensione. 140

IV. An possit Deus producere Infinitum habens finem & terminum. 145

V. An divinâ virtute produci possit creatura aliqua particularis essentialiter infinitæ perfectionis citrà independentiam. 146

DISPVTATIO II.

De Continuo, & ejus Continuatione. 148

DUBIUM I. Quid & quotuplex Continuũ. 148

DUBIUM

DUBIUM II. An Continuum componatur ex puris indivisibilibus mathematicis. 148
III. An Continuum componatur ex partibus indivisibilibus virtualiter extensis. 153
IV. An Continuum componatur ex partibus in infinitum divisibilibus. 153
V. An in Continuo sint partes actu inter se distinctæ. 156
VI. An Continuum possit dividi in omnes suas partes. 157
VII. An dentur in Continuo indivisibilia continuantia aut terminantia ejusdem rationis cum Continuo. 159
VIII. Per quid continuentur Partes continui permanentis. 161
IX. De Continuo successivo & ejus continuatione. 163
X. De Inceptione & Desitione Rerum. 164

DISPVTATIO III.

De Loco Intrinseco & Extrinseco. 165
DUBIUM I. Quid sit Locus Extrinsecus. 165
II. Quid sit ubi, & quomodo distinguatur à loco locato, & cæteris connotatis. 165
III. Quot sint ubi in corpore, sive quibus corporis partibus competat ubi proprium. 167
IV. An plura corpora possint simul occupare eundem locum, vel è contrà, unum plura loca simul. 168
V. Per quam Actionem ponatur res in pluribus locis; an per adductivam; an per reproductivam; an per utramque simul. 171
VI. Quænam formæ consequerentur subjectum replicatum, sive adductum ad 2^um locum. 172
VII. Quarum formarum subjectum replicatum sit capax. 174
VIII. An Corpus replicatum possit moveri, & quomodo. 174

DISPVTATIO IV.

De Vacuo. 175
DUBIUM I. Quid Vacuum, & an dari possit naturaliter. 175
II. A quo moveantur corpora in periculo Vacui. 175
III. An fieri possit motus in Vacuo. 176

DISPVTATIO V.

De Spatiis Imaginariis. 177
DUBIUM I. Quid sint Spatia Imaginaria. 177
II. An Deus sit actu in Spatiis Imaginariis. *ibid.*

DISPVTATIO VI.

De Motu, Duratione, & Tempore. 178
DUBIUM I. Quid motus localis? quæ causa proxima motus in projectis, & an projecta quiescant in puncto reflexionis. 178
II. Quid sit duratio: an realiter distincta à tempore, re durante, ejus productione, aut conservatione; & an rerum permanentium sit intrinsece successiva. 179
III. Quid tempus, & an à motu successivo differat. 181
IV. Possitne res esse & nullibi ac numquam esse. 182

DISPVTATIO VLTIMA.

De Existentia Creaturarum ab æterno. 183
DUBIUM VNICUM. An creaturæ permanentes, aut etiam successivæ potuerint esse ab æterno. 183



PHY-

DISPVTATIONES PHYSICÆ.

PROOEMIVM.

I. ABsoluta tandem Logica prima Philosophiæ parte; de Dei, D. Virginis, & Sanctorum Carmeli Doctorum bene confisi auxiliis, ad secundam pergimus, quæ Physica dicitur, à voce Græca Physis, eò quòd naturam spectet ac rimetur; quod enim Græcè Physis, Latinè naturam significat: unde hæc pars Philosophia Naturalis rectè nuncupatur.

II. Physica autem Aristotelica, quæ hodie in scholis dictari solet, in sex partes dividitur.

III. Prima continet octo libros *Physicorum*, in quibus agitur de *Corpore Naturali*, ejus *Principiis*, & *affectionibus*, ut v. g. *motu*, *loco*, *tempore*, &c.

IV. Secunda, quatuor libros *de Cœlo*, in quibus de *corpore simplici*, sive de *cœlis* & *Elementis*, eorumque *motu* ac *qualitatibus*, controvertitur.

V. Tertia, duos libros de *Generatione* & *Corruptione*, in quibus tractatur de *nutritione*, *alteratione*, *intensione*, *rarefactione*, *condensatione*, &c.

VI. Quarta, quatuor libros *Meteorum*, in quibus de *mixtis imperfectis*, in sublimi præsertim generatis, ut *rore*, *pluvia*, *nive*, *ventis*, *fulmine*, *tonitru*, &c. Quæstiunculæ instituuntur.

VII. Quinta, tres libros de *Anima*, in quibus disputatur de *anima*, *intellectu*, *voluntate*, *memoria*, *sensibus*, eorum *organis* & *actibus*.

VIII. Sexta, nonnullos libellos de *parvis naturalibus*, in quibus agitur de *sensu* & *sensibili*, *vita* & *morte*, *juventute* & *senectute*, &c. Libri autem de Animalium *natura* & *varietate*, qui à nonnullis Græcis octoginta talentorum nuncupantur, eò quòd Alexander Aristotelis discipulus, in eis discendis, octoginta talenta impenderit, Historicis ordinariè relinquuntur; quia populares & intellectu faciles.

DISPVTATIO PROOEMIALIS

De Objecto & Natura Physicæ.

DVBIVM I.

Quodnam sit Objectum Physicæ.

ANtè Resolutione n IX. Suppono 1o, naturale variè accipi.

X. Primò, prout opponitur violento; quomodo naturale est levi sursum, gravi deorsum moveri; aquæ frigefacere, igni calefacere.

XI. Secundò, ut opponitur libero (cujus explicatio ad primam secundæ spectat, nec verbo absolvi potest:) quomodo bruta, ignis, & cætera, quæ ex proprio agendi modo necessariò agunt, dicuntur agentia naturalia.

XII. Tertiò, ut opponitur supernaturali & miraculoso; quomodo forma subjecto, effectus causæ citra indebitam à Deo elevationem (licèt violentè) contingens, dicitur naturalis.

XIII. Quartò denique, (ut illius superfluas acceptiones alias prætermittam) rectè ens naturale accipitur pro corpore completo, sive constante materiâ, formâ, unione & subsistentiâ, cum nonnullis ei circumadjacentibus, ut v.g. ejus causis, proprietatibus, effectibus, actionibus, &c.

XIV. Suppono 2o, mobile posse sumi dupliciter: primò formaliter pro proximo Principio motus, quod est ipsa mobilitas, seu aptitudo ad motum, ut ratione præcisâ à Corpore naturali completo. Secundò radicaliter, quomodò rectè confunditur cum Corpore naturali completo, ex quo ratione nostrâ fluit, de quo. n. 13. His autem suppositis, sit

RESOLUTIO I.

XV. DIco 1o, Objectum totale materiale Physicæ est Corpus naturale, cum ei circumadjacentibus nonnullis num. 13. enumeratis. Hæc Resolutio omnino videtur P. Ioan. à S. Thoma hîc q. 1. art. 10. Ferrar. q. 2. & plurium aliorum Thomistarum.

XVI. Probatur, illud est Objectum materiale totale Physicæ, circa quod Physica versatur, & de quo in tota Physica tractatur; sed illud est Corpus naturale cum ei circumadjacentibus dictis, ergo, &c. Minor patebit ex decursu Physicæ; major est omnium.

XVII. Addo tamen, commodè sustineri posse cum P. Ioanne à S. Thoma hîc, & pluribus aliis, objectum totale materiale Physicæ esse corpus mobile, &c. hæc enim re conveniunt, & solâ voce dissident; si ly *mobile* sumatur radicaliter; quia Corpus naturale *est Principium motus, primò & per se*, quod est esse mobile: minus tamen commodè assignant PP. nostri Complutenses ens mobile; tum quia Angelus est ens mobile; de illo tamen non nisi secundariò agit Physica; tum etiam quia de partibus corporis agit Physica; non verò de partibus entis, nisi illud personaliter pro sua specie sumas.

XVIII. Objicies tamen: de multis tractatur in Physica, quæ ad Corpus naturale, aut mobile, non spectant, ut de Deo, Angelis, vacuo, &c. ergo Corpus naturale, sensu dato, non est objectum materiale Physicæ.

XIX. Respondeo distinguendo antecedens; de multis tractatur in Physica, quæ ad Corpus naturale, sive mobile, tamquam essentiale ejus constitutivum, non spectant, concedo antecedens; tamquam aliquid ei circumadjacens, nego antecedens; hoc autem sufficit, ut sint de objecto Physicæ; aliàs Physicus de causis, actionibus, ubi, &c. malè tractaret; de illis tamen speciales Tractatus instituit: Vnde patet ad P. Poncium hîc, volentem Angelos, ac per consequens Deum, secundùm omnem rationem esse considerationis Metaphysicæ; quia secundùm omnem rationem abstrahunt à materia: patet, inquam, quia ab illa tantùm abstrahunt tamquam à suo essentiali constitutivo; quomodo omnia ei circumadjacentia ab illa abstrahunt; non verò tamquam ab eo cui circumadjacent tamquam motores, alteratores, &c. hoc autem posito, distinctio Metaphysicæ à Physica, erit in eo, quòd Metaphysica immaterialia, sive abstracta à materia, consideret, tamquam primarium suum objectum; Physica verò solùm, tamquam aliquid Corpori naturali objecto suo primario circumadjacens.

RESOLUTIO II.

XX. DIco 2o, naturalitas Corporis naturalis & circumadjacentium nonnullorum est objectum formale *sub quo* Physicæ. Ita meliores Thomistæ, & nominatim PP. Complutens. & Ioan. à S. Thoma, Scotistæ & PP. Societatis communiter,

muniter, saltem quoad primam partem.

XXI. Probatur: quia objectum formale *sub quo* alicujus scientiæ, est ratio *sub qua* considerat suum objectum materiale, & per quam illa scientia ab aliis omnibus specie distinguitur; sed naturalitas dicta est talis respectu Physicæ, ergo, &c.

XXII. Nec refert, quòd Medicina, etiam corpus naturale consideret; quia illud, ut naturale, sive ejus naturalitatem, non considerat; sed ut sanabile, sive ejus sanabilitatem dumtaxat; quæ, quoniam à naturalitate specie distinguitur, objectum adæquatum, & scientiam specie distinctam ab ea constituit, quam naturalitas constituit: unde patet quid dicendum de Astrologia, quæ agit de Corpore Naturali ut mensurabili secundùm quantitatem & motum: si verò velis sanabilitatem, mensurabilitatem, &c. esse ex circumadjacentibus Corporis Naturalis, non multùm contendam; sed non propterea erunt objectum formale *sub quo* Physicæ, ut patet, quia non sunt ratio, &c. imò nec materiale, quia circumadjacentia quælibet non sunt talia, sed illa sola de quibus in Physica ordinariè tractant Philosophi. Ex his

XXIII. Colliges, objectum totale Physicæ ex materiali & formali *sub quo* conflatum, esse Corpus Naturale ut naturale.

DVBIVM II.

An Physica sit vera scientia, & qualis.

Resolutio I.

XXIV. Dico 1°, contra Heraclium, Pythagoram, Socratem & alios veteres Academicos, volentes de naturalibus non nisi dari opiniones & dubia: Physica est vera & propriè dicta scientia; ita Philosophi communiter.

XXV. Probatur 1°, ex Aristotele 6°. Metaph. Textu 1°. ubi eam scientiam vocat; sed maximè ex. 3°. Physicorum cap. 4°. ubi contrarium asserentes erroris & ignorantiæ arguit, ergo, &c.

XXVI. Probatur 2° ratione; quia illa est verè & propriè dicta scientia, quæ varias habet legitimas & propriè dictas demonstrationes; sed Physica varias habet tales, ergo, &c. Probatur minor hisce demonstrationibus; *Quidquid est quantum, est divisibile; sed Corpus Naturale est tale, ergo, &c. quidquid habet animam, movetur ab intrinseco; sed Corpus Naturale vivens est tale, ergo, &c. quidquid constat contrariis, est corruptibile; sed Corpus Naturale mixtum est tale, ergo, &c.*

XXVII. Objicies 1°, scientia debet habere objectum necessarium; sed Physica non habet tale objectum; ergo, &c. Probatur minor; quia illud est Corpus Naturale corruptibile; ergo, &c.

XXVIII. Resp. distinguendo majorem; scientia debet habere objectum necessarium necessitate essentiæ, seu potiùs connexionis proprietatum cum essentia, concedo majorem; tale autem est objectum Physicæ, uti ex decursu patebit, & constat à fortiori ex dictis in Logica Tract. ult. Disput. 2ª. Dub. 2°. num. 74. & 80. de ente ficto & impossibili: necessitate existentiæ, nego majorem; quia de ente impossibili, merè possibili, contingenti, &c. dari potest scientia, ut jam dixi.

XXIX. Objicies 2°, Physica pendet ab experientiis & sensibus, qui sunt fallaces & fallibiles; ergo Physica non est scientia: consequentia patet, quia scientia certa esse debet, & talis, cui falsum subesse non possit: prob. antecedens pro secunda parte; quia fallente visu, & fallibilitate ejusdē ob distantiā, putamus solem esse parvum; ob reflexionem specierū, baculū aquæ immersum esse fractum, &c. ergo, &c.

XXX. Respondeo 1°, negando consequentiam, quia hoc argumentum nimium probat; probaret enim nullam omnino dari scientiam; tum quia omnis nostra cognitio aliquousque pendet à sensu, juxta hoc axioma, *Nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu*: tum quia etiam cognitiones intellectuales sunt fallaces, & fallibiles, ut constat ex hæresibus, & aliis erroribus.

XXXI. Respondeo 2°, distinguendo antecedens pro secunda parte, experientiæ & sensus, sive potiùs sensuum actus, aliqui sunt fallaces & fallibiles, concedo antecedens: omnes, nego antecedens; nam per visum Physicè certum & infallibilem experimur ignem esse corruptibilem; per similem tactum, aquam esse frigidam; quantum esse divisibile, &c. quod ad scientiam sufficit, maximè cum non debeat omnes conclusiones habere certas & scientificas.

XXXII. Instabis, Disputatur de omni experientia & conclusione Physicæ; ergo omnes sunt fallaces & fallibiles, ac errori obnoxiæ.

XXXIII. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in existentiam Dei, ejus veracitatem & cætera attributa Divina, sanctissimam Trinitatem, &c. de quibus in Theologia multum disputatur; illa tamen, nec fallacia, nec fallibilia sunt.

XXXIV. Respondeo 2°, concesso antecedente, negando consequentiam; quia de illis non disputatur eò quòd fallaces & fallibiles, ac errori obnoxiæ sint; sed ut earum veritas & certitudo clariùs innotescat, & confirmetur.

Resolutio II.

XXXV. Dico 2°, Physica est scientia speculativa. Hæc sententia est communissima, ut propterea (inquit R. P. Poncius hîc) non sit necesse citare authores ullos.

XXXVI. Probatur 1°, ex Aristotele 6°. Metaph. Textu 1°. & 11°. ubi scientiam speculativam in Physicam, Metaphysicam & Mathematicam dividit.

XXXVII. Probatur 2°, ex fine intrinseco ipsius Physicæ, qui est præcisè cognitio Corporis Naturalis ut naturalis, cum ei circumadjacentibus, &c.

XXXVIII. Probatur 3°, quia tendit in suum objectum modo speculativo, ergo, &c. probatur antecedens, quia in illius sola contemplatione sistit; nec regulas & præcepta tradit, quibus fiat, ut de Deo, Cœlis, Elementis, &c. constat, ergo, &c.

XXXIX. Objicies 1°; Cognitio rerū naturaliū, quæ habetur per Physicam, excitat ad amorem Dei & contemptum mundi; ergo Physica est practica.

XL. Confirmatur, Physica tradit modum conficiendi aurum, & attrahendi aquam ex puteis per attractionem præviam aëris, ergo est practica.

XLI. Respondeo distinguendo antecedens; cognitio rerum naturalium, quæ habetur per Physicā, excitat per se, & ex fine suo intrinseco, sive scientiæ, ad amorē Dei, &c. nego antecedēs; ad hoc enim deberet, tum amorem, tum mundi contemptū respicere ut objectū, regulas & præcepta tradere, quibus rectè fierent, quod non facit: per accidens, & ex fine suo extrinseco, sive scientis, aut ex quadam hujus cognitionis solertia, hominem excitante ad varias praxes, ut amoris Dei, confectionis auri, &c. concedo antecedens; verùm scientia practica, aut speculativa dicitur à fine suo intrinseco; non verò ab extrinseco, uti in Logica Disp. ultimâ probatū est:

hinc patet solutio ad Confirmationem.

XLII. Objicies 2°, Medicina est pars Physicæ; sed illa non est speculativa, ergo, &c.

XLIII. Respondeo negando majorem, quia ab illa distinguitur objecto formali *sub quo*; quod autem aliqui volunt Medicinam Theoricam, id est, quæ considerat naturam morborum & medicamentorum, esse partem Physicæ; non verò practicam, id est, quæ tradit modum corpora sanandi; non facit Medicinam speculativam & partem Physicæ; quia, præterquam quòd illa sit pars Medicinæ minùs principalis, & Medicina ratione ipsius dici quidem possit continere per accidens conclusiones aliquas speculativas, & ad Physicam pertinentes; per se tamen dici debet scientia practica distincta à Physica; tum propter objectum formale *sub quo*, quod habet ab ea specie distinctum; tum quia speculationem morborum & medicamentorum ordinat ad sanandum Corpus Naturale. Ex dictis

XLIV. Colliges Physicam rectè definiri, *Scientiam contemplatricem Corporis Naturalis, ut Naturalis, cum ei circumadjacentibus.*

PHYSICÆ
PARS PRIMA
De Corpore Naturali, ejusque Principiis & Affectionibus.

TRACTATVS I.
IN LIBRUM PRIMUM
PHYSICORVM.

IN hoc Libro disputat Aristoteles de Principiis Corporis Naturalis in genere & specie, docetque ea esse plura, contra Milesium, Heraclitum & alios; non tamen infinita, contra Anaxagoram; sed tria, *Materiam, formam & privationem*, contra Parmenidem & Pythagoricos: de quibus præsentem Tractatum instituimus.

DISPVTATIO PRIMA
De Principiis Physicis seu Corporis Naturalis.

DVBIVM I.
Quid sit Principium in genere, & quotuplex.

ANtè Resolutionem

I. Suppono Principium in genere sumi dupliciter: primò, ità ut sit tantùm commune ad Principia Physica, de quibus dubio 2°. Secundò, ita ut sit commune ad illa, & omnia alia, sive Physica sint, sive Metaphysica, sive compositionis, ut partes componentes, sive productionis, ut sunt causæ & origines, sive cognitionis, de quibus in Logica, ut sunt signa respectu rerum, quas significant, præmissæ respectu conclusionis, ad quam intellectum movent, sive Corporis Naturalis: hoc autem supposito, sit

RESOLUTIO I.

II. DIco 1°, Principium generalissimè sumptum *est id, undè aliquid est, fit, aut cognoscitur.* Ita Aristoteles 5°. Metaph. cap. 1°. D. Thomas 1ª. p. q. 33. art. 1°. *est*, limita tamquàm per partem componentem: *fit*, extende tamquam à causa, sub qua juxta Patres Græcos includes Personas, Patris respectu Verbi, & Patris & Verbi respectu Spiritus Sancti, de quibus nos infrà agendo de causa in genere: *cognoscitur*, puta tamquam per signa, speciem vel causam finalem.

RESOLUTIO II.

III. DIco 2°, Principium generalissimè sumptum rectè. Dividitur primò in essentiale & accidentale: Essentiale *est quidquid essentialiter componit rem principiatam*; sive Physicum sit, ut materia, forma & subsistentia; sive Metaphysicum, ut genus, differentia & hæcceitas: Accidentale *est, quod rem principiatam essentialiter non componit, sed est extra illius essentiam*, ut signum respectu rei significatæ, præmissæ respectu conclusionis, causa respectu effectus; ità omnes communiter,

niter, quod infrà examinabimus.

IV. Dividitur 2°, in Principium per se; & *est, quod ex natura sua principiat*, ut ignis respectu caloris; & Principium per Accidens, & *est, quod non ex natura sua principiat, sed præcisè, quia est cum alio conjunctum*, ut forma corrupta; quæ, quia est necessariò conjuncta cum privatione, quæ est Principium per se generationis in fieri, dicitur Principium per accidens generationis in fieri.

V. Dividitur 3°, in Principium absolutè primum, & *est, quod nullum aliud absolutè præsupponit*, ut ens; & Principium secundùm quid primum, & *est, quod non in omni omninò genere Principiorum primum est, sed in certo dumtaxat*, ut Deus, qui etsi nullum Physicum, uti Adamus nullum humanum, præsupponat; Deus tamen ens, tamquam Principium Metaphysicum, Adamus Deum, tamquam Principium Physicum præsupponit.

DVBIVM II.

Quid sit Principium Physicum strictè sumptum.

Antè Resolutionem

VI. Suppono, duplex assignari posse Principium Physicum, sive Corporis Naturalis completi: unum latè, & est, *Quod rem quidem Physicè principiat, sed non ut pars illius essentialis.* Tale est omnis causa efficiens, initium lineæ, primum instans horæ, &c. Alterum strictè (de quo hîc) & *est, quod Physicè rem principiat ut pars essentialis illius.* Per partem autem essentialem intelligunt Philosophi id, quod est de conceptu primario objectivo ipsius rei in recto. Hoc supposito, sit

Resolutio.

VII. Dico, Principia Physica strictè sumpta, sunt, *Quæ neque ex aliis, neque ex se invicem, sed omnia ex ipsis fiunt:* Ita Aristoteles capite 5°, suprà Textu 42°. hujusce definitionis definita, ut patet, sunt Principia Physica strictè sumpta; genera verò definitorum, Principia generalissimè sumpta ut talia; differentiæ denique definitorum, cætera, quæ in definitione ponuntur.

VIII. Dictum est 1°, *Quæ neque ex aliis* puta, tamquàm ex partibus essentialibus Physicis: undè licèt materia fiat ex partibus integralibus, ex genere & differentia, &c. manet tamen Principium Physicum strictè sumptum, eo quòd partes integrales non sint illi essentiales, nec genus & differentia illi partes Physicæ: item licèt forma fiat ex materia, etiam manet Principium Physicum strictè sumptum; quia materia non est pars essentialis formæ.

IX. Addunt nonnulli, nec malè, sub ly *neque ex aliis*, audiendum in eodem ordine principiandi; quia Aristoteles vult, quòd Principia sint contraria secundùm ordinem principiandi; per quod excludunt partes integrales, nec non genus & differentiam, ab esse Principii materiæ, quia eam non principiant ut causa ejus materialis, ut causa ejus inadæquata essentialis Physica, &c. quomodò materia corpus completum naturale principiat: item per hoc excludunt materiam ab esse Principii formæ; quia fortè materia non est causa formalis formæ, nec ejus causa inadæquata essentialis Physica, quomodò forma dictum corpus principiat. Ex his

X. Colliges aërem, ut Anaximeles & Diogenes; aquam, ut septem Græciæ Sapientes; ignem, ut Hispasus; terram, ut Hæsioclus, voluerunt, non esse Principia Corporis Naturalis strictè Physica; quia ex aliis fiunt, scilicet ex materia, forma & privatione: neque etiam ex ipsis omnia fiunt; nam ex aëre non fit aqua, neque ex aqua ignis, tamquam ex parte essentiali Physica.

XI. Dictum est 2°, *Neque ex se invicem*, puta tamquàm ex parte essentiali Physica, aut in eodem ordine principiandi, modo statim explicato.

XII. Dictum est 3°, *Sed omnia ex ipsis fiunt*, puta tamquam ex parte essentiali Physica, ut antè; & non, ut communiter, tamquam ex parte essentiali aut termino extrinseco; quia ubi Aristoteles verborum sensum non mutat, & mutandi non est specialis necessitas, nec nos eum mutare debemus. Pars autem essentialis Physica est duplex; una intrinseca ut corpus respectu hominis; alia extrinseca, ut privatio respectu mutati, sive mutationis in facto esse, quæ ab aliis dicitur terminus extrinsecus; ne tamen pars essentialis dicatur, quo sensu Principium hîc ab Aristotele sumitur, nihil obstat, ut dubio tertio patebit.

XIII. Adde 1°, per ly *omnia* intelligi, tum Corpora Naturalia completa; per distributionem tamen accommodam; quia corpus completum simplex (si detur) non fit ex ipsis, sive ex materia & forma; tum ea, quæ per generationem fiunt; quia nec anima rationalis, nec Angeli ex ipsis fiunt.

XIV. Adde 2°, sub ly *ex ipsis* debere audiri genericè, specificè, vel individualiter; nam neque ex hac numero materia, neque ex hac numero forma, fiunt omnia Corpora Naturalia completa; sed ex aliqua talis generis vel speciei materia aut forma.

DVBIVM III.

Quot sint Principia Corporis Naturalis Physica strictè sumpta.

Antè Resolutionem

XV. Suppono 1°, Principia Physica strictè sumpta, rectè dividi in Principia Corporis Naturalis in fieri, sive generationis ut mutationis, quæ sit *transitus de non esse ad esse formæ in subjecto*; & in Principia Corporis Naturalis in facto esse, sive geniti aut mutati.

XVI. Suppono 2°, Corpus Naturale posse considerari dupliciter: Primò prout est in mente Ethnici & Infidelis errantis, & hoc modo definitione adæquatâ definitur, *Corpus constans materiâ & formâ:* Secundò prout reipsâ est à parte rei, & hoc modo à Catholico & fideli definitione adæquatâ definitur, *Corpus constans materiâ, formâ & subsistentiâ.*

XVII. Suppono 3°, generationem Corporis Naturalis posse etiam dupliciter considerari: primò ut actionem, quomodò est productio formæ & subsistentiæ in subjecto receptionis: Secundò ut mutationem, quomodò est transitus de non esse formæ & subsistentiæ, ad esse illarum in subjecto receptionis.

XVIII. Suppono 4°, ex mente Aristotelis dubium procedere de Principiis Corporis Naturalis reipsâ Physicè completi, licèt ipse in fide errans, voluerit compositum ex materia & forma esse Physicè completũ; nec præter agnoverit subsistentiam ab eis realiter distinctam; & ideo materiam,

formam & privationem dumtaxat assignando non nisi Principia Corporis Naturalis incompleti assignarit: nam Principia eorum quærebat, quæ in dies videbat generari, illa autem erant Physicè completa.

XIX. Suppono 5°, problematicè defendi posse, vel unam tantùm esse materiæ & formæ indivisibilem subsistentiam, vel duas partiales, quarum una sit unius, altera alterius, ut infrà Disputatione 4ª videbimus. His suppositis, sit

Resolutio I.

XX. Dico 1°, contrà P. Oviedum hîc, generationis Corporis Naturalis, quod reipsâ est à parte rei, ut Generationis, nulla sunt Principia Physica strictè sumpta.

Probatur, quia si quæ essent, maximè materia & forma essent (ut docet P. Oviedus,) sed illæ non sunt, ergò, &c.

Probatur minor, quia generatio ut generatio non est mutatio (ut fatetur) sed actio (ut sequitur;) atqui materia & forma non se habent ad actionem generativam ut partes essentiales Physicæ, sed materia tamquam subjectum, & forma tamquam terminus ad quem, ergò, &c.

XXI. Nec dicas cum eodem, generationem, ut generationem nec esse, nec concipi posse sinè materia intrinsecè in se recipiente generationem, & sinè forma ab ea recipiente esse; quia hoc non sufficit ad hoc, ut materia & forma dicantur ejus Principia Physica strictè sumpta: nam (ut vidimus, quod & ipse sentit) Aristoteles hîc agit de Principiis intrinsecis essentialibus Physicis, qualia materia & forma non sunt respectu generationis ut generationis.

Resolutio II.

XXII. Dico 2°, contrà Scotistas, Thomistas, & Arriagâ, Telles, Compt. ac alios è Soc. quos legi: generationis Corporis Naturalis, quod reipsâ est à parte rei, ut mutationis quinque sunt, vel septem Principia Physica strictè sumpta; materia scilicet, forma & privatio ejus; item una subsistentia totalis & privatio ejus; vel duæ partiales subsistentiæ & duæ privationes earum; prout hæc vel altera pars problematis, de quo suppositio quarto, assumetur.

XXIII. Probatur 1°, quia illis quinque vel septem positis, intelligitur generatio Corporis Naturalis, quod reipsâ est à parte rei, ut mutatio; &, vel uno eorum ablato, non intelligitur; ergò, &c.

Probatur antecedens, quia generatio Corporis Naturalis, quod reipsâ est à parte rei, ut mutatio, est transitus de non esse formæ & subsistentiæ, ad esse formæ & subsistentiæ, in subjecto; sed illis quinque, vel septem positis, intelligitur hic transitus, & uno eorum ablato, non intelligitur, ut consideranti patebit, ergò, &c.

XXIV. Probatur 2°, inprimis quoad materiam, formam & privationem, omnes cum Peripateticis conveniunt, estque ipsius Aristotelis hîc & 8° Metaph. & D. Thom. quoad unam verò, vel duas subsistentias, & ejus unam, vel duas privationes, sic probo; primo, quia, cum subsistentia sit ultimum complementum substantiale Physicum, Corpus Naturale non potest esse Physicè completum (de quo Aristoteles hîc) sinè illa: secundò, quia hîc quærunter omnia Principia, quibus convenit allata ab Aristotele, & à nobis suprà recensita Principiorum Physicorum strictè sumptorum definitio: sed illa convenit uni, vel duabus subsistentiis, & uni, vel duabus earum privationibus, ergò, &c.

XXV. Confirmatur, non est potior ratio numerandi inter Principia Physica strictè sumpta generationis Corporis Naturalis quod reipsâ est à parte rei, ut mutationis, formam & privationem formæ, quàm subsistentiam & privationem subsistentiæ; præsertim cum simus dicturi infrà, subsistentiam non minùs esse naturam partialem, quàm sint materia & forma; sed illæ ab omnibus numerantur; ergò & hæ numerari debent: major patebit solutione Argumentorum.

XXVI. Objicies 1°, nusquam ab Aristotele, Sancto Thoma, aut ullis aliis, plus quam tria Principia Physica strictè sumpta generationis Corporis Naturalis ut mutationis adferuntur; ergò, &c.

XXVII. Respondeo, Argumentum ab Authoritate negata, nullius esse roboris: secundò Aristotelem hîc non audiendum, quia sicut contrà fidem errat, non agnoscendo subsistentiam realiter distinctam à materia & forma; ita consequenter hîc errat, enumerando tria tantùm Principia Corporis Naturalis, quod reipsâ est à parte rei; S. Thomas verò non loquitur ex propria sententia, sed Aristotelis, vel ex communi sui temporis, sicut & hujus, secundùm quam non assignantur nisi Principia partis Corporis Naturalis, ut præcisè à parte rei natura est, sive ut secundùm mentem Ethnici est Physicè omni præcisâ subsistentiâ completum, & ut reipsâ est à parte rei, quomodo includit subsistentiam à materia & forma realiter distinctam.

XXVIII. Instabis ex Reverendis Patribus Oviedo & Comptono, hîc tantùm quæruntur Principia Corporis Naturalis seu naturæ; non verò suppositi, cujus sunt quinque; ergò, &c.

XXIX. Respondeo negando assumptum, non enim hîc agitur de Corpore Naturali ut condistincto à suppositalitate aut subsistentia, ut putat P. Oviedus, quia de illo ut sic nihil umquam somniavit Aristoteles; sed de Corpore Naturali, quod videbat Aristoteles in dies generari, quod reipsâ, & à parte rei erat Physicè completum ex subsistentia, ut fides habet; deindè nullâ ratione id dici potest, cum definitio principiorum Corporis Naturalis Physicorum strictè sumptorum, suppositio, sive potiùs suppositalitati aut subsistentiæ, conveniat, æquè ac formæ; omnia enim Corpora Naturalia ex subsistentia fiunt, neq; illa ex aliis, aut alia ex ipsa eodem principiandi modo, scilicet per modum ultimi termini substantialis intrinseci, aut etiam tamquam ex parte sua Physica essentiali, fiunt; cuicumque verò convenit definitio, convenit esse definitum.

XXX. Objicies 2°, subsistentia principiatur à forma, & privatio subsistentiæ à privatione formæ; ergo nec subsistentia, nec privatio ejus est principium strictè Physicum, &c.

XXXI. Respondeo distinguendo Antecedens; subsistentia à forma, & privatio subsistentiæ à privatione formæ, latè principiatur, concedo Antecedens; strictè Physicè, nego Antecedens; quia neque subsistentia ex forma, neq; privatio subsistentiæ ex privatione formæ fit, tamquam ex parte essentiali Physica, neq; in eodem ordine principiandi; siquidem forma principiat in genere causæ formalis, subsistentia in genere termini ultimi intrinseci substantialis; privatio autè formæ in genere causæ formalis privativæ; privatio verò subsistentiæ in gene-

re

re termini ultimi intrinseci substantialis privativi.

XXXII. Objicies 3°, nulla privatio constituit Physicè essentialiter generationem Corporis Naturalis ut mutationem; ergo ut summum sunt tria Principia, &c. probatur Antecedens, quia alioqui etiam formæ, quibus privationes privant, & generans sive mutans, eam constituere deberent; quo casu absurdè multiplicarentur Principia, &c.

XXXIII. Respondeo negando Antecedens, ad ejus probationem; distinguo sequelam pro prima parte; alioqui etiam formæ advenientes eam constituerent, concedo assumptum; pereuntes, nego assumptum; ratio est, quia ad generationem ut mutationem requiritur quidem, ut in priori temporis sint privationes formæ & subsistentiæ advenientium; non tamen pereuntium; quia, ut per se patet, ad transitum de non esse formarum ad esse illarum in subjecto, qui est ipsa generatio ut mutatio, sufficit formas advenientes non fuisse in priori temporis, & esse in posteriori in subjecto, sive aliæ formæ, quæ pereant, præcesserint, sive non.

XXXIV. Dixi *in priori temporis*; quòd enim aliqui dicant sufficere si præcesserint in priori naturæ, est omninò inintelligibile: primò, quia instantia naturæ sunt instantia causalitatis; privationes autem non possunt habere causalitatem ad formas sibi contradictoriè oppositas: secundò, quia, cum instans debeat sumi indivisibiliter, quod in priori naturæ est, necessum est esse in toto instanti reali; undè simul essent in aliquo instanti reali in eodem subjecto formæ & privationes earumdem, quod omninò repugnat, & intelligi non potest.

XXXV. Respondeo 2°, distinguendo sequelam pro secunda parte; & generans sive mutans eam Physicè essentialiter constituere deberet; si generatio ut mutatio sumatur activè, transeat: transeat, inquam, quia id falsum esse clarè colligitur ex Resolutione prima contrà P. Ovjedum: si sumatur mutatio neutraliter, prout eam hîc sumimus, nego sequelam; quia sive formæ, quarum privationes erant in priori temporis in subjecto, sint ab aliquo generante vel mutante, sive seipsis per possibile vel impossibile advenientes, intelligitur totus transitus de non esse illarum in subjecto, ad esse illarum in subjecto; ac proinde tota generatio ut mutatio.

XXXVI. Instabis, datur vera generatio, & Corpus Naturale in fieri, ubi nulla datur privatio formæ aut subsistentiæ, sive pereuntis, sive advenientis; ergo nulla privatio est Principium Physicum strictè sumptum generationis, &c. probatur Antecedens ex ipsa conditione mundi; quando enim mundus conditus est, materia, forma & subsistentia terræ, aquæ, &c. eodem instanti reali productæ sunt (ut multi volunt) ac proinde nulla potuit præcedere formæ vel subsistentiæ privatio in materia, ergò, &c.

XXXVII. Respondeo 1°, distinguendo Antecedens, datur vera generatio ut generatio, ubi nulla datur privatio, &c. concedo Antecedens, de quo fusius in Libris de generatione; ut mutatio, nego Antecedens; ad probationem autem ejus Respondeo, ibi quidem fuisse generationem ut generationem; non tamen generationem ut mutationem, quæ sit juxtà mentem Aristotelis privatio formæ in subjecto priùs tempore existente, vel formæ, quæ priùs extitit in subjecto; cum enim ipse putarit mundum fuisse ab æterno, primam generationem non agnovit; ac proindè putavit omnem generationem ut mutationem esse privationem formæ in subjecto priùs tempore existente.

XXXVIII. Respondeo 2°, negando Antecedens, ad ejus probationem concedo assumptum pro prima parte; pro secunda verò distinguo; ac proinde nulla potuit præcedere formæ vel subsistentiæ privatio, si privatio sumatur pro carentia formæ in subjecto priùs tempore existente, vel formæ, quæ priùs extitit in subjecto, quomodo eam sumit Aristoteles, concedo assumptum; si privatio sumatur pro non existentia formæ in subjecto, sive priùs existente, sive non, quomodo mundus ab æterno productus, adhuc diceretur transiisse de non producto ad productum, ex nihilo creatum esse, &c. nego assumptum; in conditione etenim mundi talis fuit dictarum formarum privatio, quæ ad veram generationem sufficit: undè falsa est conclusio P. Comptoni hîc, quà dicit *de conceptu generationis præcisè ut generationis, non esse ullam privationem.*

XXXIX. Objicies 4°, generatio ut mutatio est ens, privatio non ens; sed ex non ente non potest fieri ens; ergo privatio non est Principium, &c.

XL. Respondeo distinguendo majorem, generatio ut mutatio est ens purum & simultaneum, nego majorem; est ens mixtum & successivum, concedo majorem: verùm ex ente, & non ente potest fieri ens mixtum & successivum, ut patet in hora, quæ componitur ex præsenti & præterito; mutatio enim nihil aliud est, quàm transitus de non esse, &c. & corpus generari sive mutari, nihil aliud est, quàm formam illius de non esse in subjecto, transire ad esse in subjecto; ibi autem essentialiter Physicè includitur non ens & ens.

XLI. Objicies 5°, si privatio esset Principium, &c. aliquando principiaret; sed dici non potest quando principiet, ergo, &c.

XLII. Respondeo 1°, dici posse principiare quando non est, per primum scilicet sui non esse; idque esse modum proprium principiandi terminorum *à quo*, uti est privatio; quia illi desinendo principiant; sed hoc potius est formam oppositam principiare, quàm privationem; quare aliter

XLIII. Respondeo 2°, melius dici principiare quando est, & per ultimum sui esse; ac proinde principiatum, utpote in negativo seu privatione inadæquatè essentialiter consistens, tunc inadæquatè esse, quando est privatio: proprium autem est successivorum, priùs inadæquatè esse, & pro parte constitui, quàm totum; quia totum successivum numquam simul totum existit.

Resolutio III.

XLIV. Dico 3°, contra eosdem, Corporis Naturalis Physicè completi in facto esse, tria sunt Principia Physica strictè sumpta, materia scilicet, forma & subsistentia, si supponas dari unam subsistentiam totalem materiæ & formæ communem, aliàs si duas partiales, erunt quatuor, videlicet materia & forma, ac duæ subsistentiæ partiales.

XLV. Probatur, quia illis tribus positis intelligitur Corpus Naturale Physicè completum in facto esse; &, vel uno ex illis ablato, non intelligitur; ergo, &c. Antecedens patet ex Resolutione secunda.

XLVI. Confirmatur 1°, omne Corpus Naturale Physicè completum resolvitur in materiam, formam & subsistentiam, & non in aliud Principium, ut v. g. privationem; quia Aristoteles hîc capite sexto eam à Corpore Naturali in facto esse excludit,

ajens *privationem esse Principium ex accidente*, puta respectu illius in facto esse; sive enim illa præcesserit, sive non, Corpus Naturale in facto esse idem manet, ergo, &c.

XLVII. Confirmatur 2°, quoad subsistentiam, de qua tantùm potest esse difficultas; Principiorum Physicorum strictè sumptorum ex Aristotele allata definitio est Principiorum Corporis Naturalis Physicè completi absolutè, & non solùm secundùm esse naturæ, ut supra vidimus; atqui illa definitio haud minus convenit subsistentiæ, quàm materiæ & formæ; ergo subsistentia est Principium Physicum strictè sumptum Corporis Naturalis in facto esse, haud minus, quàm materia & forma: quod autem dicit P. Oviedus subsistentiam non esse ens Physicum, sed Metaphysicum, caret fundamento; quia arbitrarium est; de illa in Physica (uti nos) quomodo diceretur ens Physicum; vel in Metaphysica, propter quod dicitur ens Metaphysicum, tractare; imò in Physica de illa tractari debet, cum illi conveniat Principii Physici strictè sumpti ab Aristotele allata, & communiter recepta, definitio.

XLVIII. Objicies fortè, allata Principiorum definitio convenit unioni; ergo si subsistentia sit tale Principium, erit & unio.

XLIX. Respondeo distinguendo Antecedens, convenit unioni *ut quo*, concedo Antecedens; verùm ut sic est tantùm principiatio: *ut quod*, prout Principio convenire debet, nego Antecedens; simile enim quid contingit in actione, quæ non dicitur causa, sed causalitas, eo quòd ipsi tantùm conveniat *ut quo* definitio causæ: undè, sicut actio non dicitur causa simpliciter, sed cum addito *ut quo*; ita unio non dicitur simpliciter Principium Physicum strictè sumptum, sed cum addito *ut quo*: imò sicut actio melius dicitur simpliciter causalitas, quàm causa *ut quo*; ità unio melius dicitur simpliciter principiatio, quàm Principium *ut quo*. Adde unionem actioni identificari; ac proinde, sicut hæc non potest esse Principium strictè sumptum Corporis Naturalis in facto esse, ita nec illa.

DISPVTATIO SECVNDA

De primo Principio Corporis Naturalis sive Materia prima.

DVBIVM I.

Quid sit Materia prima, & an detur.

RESOLUTIO I.

I. DIco 1°, materia (quæ non malè à matre secundùm Ætymon dicitur, eò quòd sit formarum omnium materialium Principium, ferè ut mater prolium) definitur ab Aristotele 7° Metaphysicorum Textu 8°, *Materia est quæ per seipsam, neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum, quibus ens determinatur.* Et Textu 69°, *Materia est quædam substantia, quæ ita se habet ad formas Naturales, sicut æs, aut lignum, ad formas artificiatas.* Sed aliter (quam definitionem omnes sequuntur) 1° Physicorum cap. 9°. Textu 82°. *Primum uniuscujusque rei subjectum, ex quo, eo quidpiam fit pacto, ut non per accidens insit.* Ly *subjectum*, in quo convenit cum formis substantialibus respectu accidentalium, est genus definiti; ly *primum*, & cætera omnia, differentiæ locum obtinent.

II. Per ly *primum* nempe sustentationis, eductionis, &c. subjectum, juxtà probanda dubio sequenti, distinguitur à composito & forma; quia hæc materiam, sive subjectum ut sic præsupponunt: sub ly *uniuscujusque* audire debes formæ substantialis educibilis, ne putes materiam esse subjectum sustentationis, eductionis, &c. Angelorum, formarum spiritualium, &c. *Ex quo eo fit pacto, ut non per accidens insit*, id est, ex quo tamquam parte essentiali fit unum per se; per quod exclude substantias completas, tam spirituales, quàm Materiales, ex quibus *insitis*, non fit nisi unum per accidens, ex præmissis autem

III. Colliges, Materiam constare genere & differentiâ positivis; nam ly *primum* & cætera, quæ se tenent ex parte differentiæ, nihil nisi negativum importare, speculatio est eximii Domini Caramuëlis Metaph. Libro 3°. Sect. 2ª. Disp. 4ª. dicentis ly *Finitum, Corporeum, Materiale*, &c. nihil esse positivum; quasi verò altera specierum oppositarum semper constitueretur per negationem differentiæ alterius; cur enim potiùs una, quàm altera oppositarum per negationem constitueretur? ad tollendam autem vocum confusionem,

IV. Adverte per Materiam non semper significari Materiam primam jam definitam; sed interdum secundam, quæ est Materia prima informata formâ substantiali, vel Dispositionibus ad ejus productionem in Materia prævià requisitis; item & omne id, ex quo aliud artificiatum fit, quomodo lignum dicitur Materia ignis, filum Materia vestis; & de hac Materia videtur locutus Aristoteles, dum secundam Materiæ definitionem Textu 69°. supra citato attulit.

RESOLUTIO II.

V. DIco 2°, sistendo in Principiis fidei Divinæ, sive Conciliorum Lateranensis sub Leone decimo sessione octavâ, ac Viennensis *Clementinâ de summa Trinitate* decretis; non obscurè colligitur dari substantias incompletas corpus & animam, Materiam & formam; in hac enim definitur animam non esse actum assistentem tantùm, sed informantem; quid autem connaturalius informaret, quàm substantiam aliquam incompletam? quæ cum sensibilis sit, & ad animam prævia, quantùm experientia docet, rectè dicitur Materia prima; quod non obscurè infertur ex Athanasii Symbolo, in quo Christus dicitur *perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*, ergo, &c.

VI. Confirmatur authoritate SS. Patrum, Augustini, Ambrosii, Chrysostomi, Athanasii, D. Thomæ & aliorum, qui post Aristotelem hîc cap. 6°. eas agnoverunt, eosque omnes Philosophi & Theologi unanimiter sequuntur, exceptis nonnullis recentioribus Parisiensibus, qui nuperrimè, teste Camerario p. 2. q. 1ª, oppositum Parisiis defenderunt, & ideo meritò à Parlamento Parisiensi proscripti sunt, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

VII. DIco 3°, sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis, non videtur efficaciter probari de facto dari Materiam primam. Resolutio hæc,

hæc pauciſſimorum eſt, præterquam Antiquorum Parmenidis, Meliſſi, &c. & aliorum, qui apud Fonſecam 1°. Metaph. cap. 7. q. 8. Sect. 1ª. formas ſubſtantiales negârunt. Reſolutionem tamen noſtram in terminis tenet Eximius Dominus Caramuël S. Theol. Lovan. Doct. Abbas Melroſenſis, Angliæ, Scotiæ, &c. Progeneralis; in ſuâ Philoſophiâ lib. 3. Metap. Diſp. 1ª. Sect. 2ª. Lov. 1642. impreſsâ.

VIII. Probat 1°, Eximius D. Caramuël loco cit. quia dici poterit omnem generationem ſubſtantialem eſſe tranſſubſtantiationem totius ſubſtantiæ deſtructæ in genitam, ita ut nihil ſubſtantiale, vel accidentale in genito maneat, quod fuerit in corrupto: verùm hæc probatio mihi difficilis eſt: ſi enim ignis, dum augeſcit, ita totum lignum in ſe tranſſubſtantiet, ut nihil ligni retineat; quare ſe non auget abſque ligno, vel ſimili pabulo? item, ſi homo, dum accreſcit, ita totum cibum in ſe tranſſubſtantiet, ut nihil cibi retineat, quare cibum ſumit, ut corpus alat & augeat, & illud non auget ſine alimento? deinde illa tranſſubſtantiatio eſt creatio; ſicut autem ad hoc, ut Deus materiam creet, non eſt neceſſe, ut priùs ſit materia, quam deſtruat; ita nec, ſi ignis augmentum ſuum creet, & homo augmentum ſuæ carnis, erit neceſſe, quòd præceſſerint pabulum, & alimentum, quæ deſtruant, ut augmentum ſuum creent.

IX. Probat 2°, per tranſſubſtantiationem totius ſubſtantiæ corrupti, manente quantitate ſub aliis accidentibus, in totam ſubſtantiam geniti: verùm hæc probatio mihi difficilior eſt præcedente: quia, præterquam quòd incurrat totam difficultatem, quæ contrà illam ànobis eſt adducta, ſupponere debet accidens poſſe naturaliter exiſtere ſine proprio ſubjecto (ut patet,) quo dato, non eſt accidens, ſed ſubſtantia; quia ad ſummùm ſubſtantia, & nequidem omnis, poteſt naturaliter exiſtere ſine proprio ſubjecto, aut migrare de ſubjecto in ſubjectum: unde tollit omne accidens contra lumen naturæ. Quare aliter

X. Probo Reſolut. ſi dicatur mundus fuiſſe ab initio ſimul cum tota ſubſtantia compoſitorum naturalium creatus, & Corpora omnia Naturalia eſſe ſubſtantias ſimplices ejuſdem ſpeciei ſolo accidentium aggregato differentes, & conſequenter generationem ac corruptionem non eſſe niſi tranſitum de non eſſe iſtius aggregati in tali ſubſtantia, ad eſſe hujus in illa, ita ut anima hominis v.g. (de qua potior difficultas) nihil ſit præter bene ordinatum accidentium nobilium aggregatum, & generatio hominis productio illius aggregati ex præjacente dicta ſubſtantia ſimplici completa (& ſic de aliis,) non facilè convinci poterit dari materiam primam; ſed ſiſtendo in ſolis luminis naturæ nudæ Principiis id dici poteſt, ergo, &c. probatur minor ſolutione argumentorum.

XI. Nec difficultatem facit, quòd illa ſubſtantia ſimplex & completa (utpote unius ſpeciei in omnibus, non ſecus ac in communi ſententia materia prima) non potiùs exigeret hæc, quàm alia accidentia, videamus tamen ignem ad priſtinum calorem, aquam ad priſtinum frigus poſt amiſſionem, ſe reducere, cujus non poteſt eſſe cauſa aliud ſimile agens, cum ſæpe abſit, ſed debeat eſſe pars aliqua ſubſtantialis ipſius, quæ vocetur forma ſubſtantialis: nam facilè Reſpondetur, ignem in vacuo, non ſe reducturum ad calorem priſtinum, & idem eſt de aqua; ac proinde jam in pleno ignem, aquam, &c. nonniſi reduci ad priſtinum ſtatum per agentia circumſtantia ſimilis qualitatis productiva. Tamen

XII. Objicies 1°, Adverſariorum Achillem; mutationes & alterationes, quas indies cernimus, in quibus neceſſarium eſt, ut maneat commune aliquod ſubjectum ſubſtantiale, quod mutetur, & tranſeat de non eſſe tali ad eſſe tale, convincunt dari materiam primam, ſive primum ſubjectum ſubſtantiale, ergo, &c.

XIII. Confirmatur, cum corpora ſanctorum comburuntur, & in ignem ac cineres convertuntur, aliquid ex ipſis remanet, quod meritò Eccleſia veneratur & colit, ergo, &c.

XIV. Reſponderet aliquis 1o cum Gomeſio (quem nonnulli medici ſequuntur) id, quod remanet, eſſe quatuor elementa ſecundùm ſubſtantiam, ſic nempe, ut mutationes illæ non ſint, niſi ſecundùm elementorum accidentia.

XV. Sed contrà eſt, quòd elementa non maneant formaliter in mixto, ut dicturi ſumus in fine Librorum de generatione; & reverâ, quis evidenti experientiæ non repugnabit, ſi dicat in marmore per denſiſſimum gelu frigidiſſimo eſſe formam ignis, calorem, &c. & non ſentiri? vel etiam in pulvere tormentario eſſe formam ignis, & calorem, & tamen non accendi? Addunt alii, elementa in invicem quoad ſubſtantiam converti, ſed ſi in ſola ratione ſiſtatur, non puto efficaciter probandum; idque ipſum eſt, quod negat Gomeſius.

XVI. Reſponderet alius 2o, ex oppoſito; omnem mutationem illam eſſe tranſſubſtantiationem, remanentibus tantùm nonnullis accidentibus.

Sed contra, id longè abſurdius eſt, quàm id, quod ſtatim reſponſum eſt; quia naturaliter migrare non poſſunt accidentia illa de ſubjecto in ſubjectum, nec tranſſubſtantiando annihilare terminum à quo, & terminum ad quem creare, quorum utrumque fieret. Quarè aliter

XVII. Reſp. negando aſſumptum, quia ad illas mutationes verificandas ſatis eſt, ſi ſubſit ſubſtantia ſimplex completa, ut in Reſolutione dictum eſt.

Ad Confirmationem autem

XVIII. Reſpondeo ſimiliter illam ſubſtantiam remanere, à nobis venerari & coli in ſanctorum reliquiis: neque etiam huic ſubſtantiæ repugnant diverſa nomina, quibus materia ab antiquioribus ſoluit appellari, quæ recenſet & bene interpretatur P. Comptonus Phyſic. Diſp. 3ª. Sect. 2ª. inquiens, materia ergo ſubinde vocatur *Chaos & tenebræ*, quòd numquam cernatur, nec appareat: aliquando *umbra & nihil*, quòd ſcilicet tam tenuis ſit entitatis, ut cùm non entibus potius, quàm entibus affinitatem habere videatur: nonnunquàm *Luna*, ob formarum, quas per intervalla mutat, varietatem, quodq; alienâ quaſi luce ac fulgore ſplendeat: nunc *ſylva*; *nunc mater & naturæ nutrix*, quòd res ſcilicet prope omnes ex ſe gignat, ac procreet: nunc è contrà *Noverca* vocatur, *adultera & venefica*, quòd, quas in ſe recipit formas, atque ad tempus fovet, repente, fraudulenter quaſi, enecet ac interimat. Quomodo ſuo quiſque arbitratu novum ei nomen appingit. Plato enim inter alia, quæ ipſi tribuit nomina, eam *Divinitatis* vocat *diſſimilitudinem*, quòd à Deo ente omnium perfectiſſimo, ens omnium prope imperfectiſſimum longiſſimè diſtet; quâ etiam de causâ eam appellavit *non ens*: & tandem nuncupat *magnum & parvum*; *magnum*, quòd omnia in ſe recipere, & quaſi complecti, poſſit; *parvum*, quòd,

Iro

ïro pauperior, ex se nihil habeat, omnemque, quem habet ornatum, aliunde emendicet, quæ proinde si in *sua* specie & forma cerni posset, non minorem moveret risum, quàm olim *cornicula furtivis nudata coloribus*. Hæc sunt argumenta, quæ apud alios reperio: nihilominus tamẽ occurrit mihi alia ratio, qua sententiam communem propugnem. Quare, sit

Resolutio IV.

XIX. Dico 4°, etiam sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis, efficaciter probari potest de facto dari materiam primam. Ita ferè omnes, tam Antiquiores post Pythagoram, qui 1° videtur materiæ & formæ substantialis inter se distinctionem obsérvâsse, ut notat D. Caramuël loco Resolut. 3ª. cit. quàm Recentiores.

XX. Prob. quia sicut per te sistẽdo in luminis naturæ nudæ Principiis efficaciter probari non potest de facto dari materiam primam; ita etiam in iisdem sistendo efficaciter probari non potest, accidentia materialia, quæ de facto dantur, non esse formas substantiales, etiam totales, (præsertim cum plures, ut infrà docebimus, possint naturaliter simul in eadẽ materia consistere) ac proinde sistendo in Principiis istius luminis naturæ nudæ, ut minus, dubium est, an illa sint formæ substantiales totales, quæ materiam primam de facto præsupponant; an accidentia, quæ per te Resolutione 3ª materiam primam de facto non præsupponant, sed corpus simplex: atqui in dubiis judicium commune est præferendum privato, nisi quidpiam aliunde obstet; sicut in dubiis bonum commune est præferendum bono privato, &c. ergo, sistendo in Principiis istis, materia prima de facto datur: probatur consequentia, quia nostra ratio in illis sistit, & judicium commune est, quòd de facto detur.

Dvbivm II.

An Materia prima sit subjectum sustentationis & informationis positivè primum.

Ante Resolutionem

XXI. Suppono 1°, ly *primum* posse dupliciter accipi: positivè scilicet, ita ut non admittat coæquale & æquè primũ; & negativè, ita ut prius quidẽ nõ admittat, coæquale tamen & æquè 1um patiatur.

XXII. Suppono 2°, dubium procedere ex hypothesi, quòd materia prima sit basis & fundamentum cæterorum in composito substantiali; quod examinabitur infra. Disp. 4ª.

XXIII. Suppono 3°, subjectum esse multiplex, sustentationis & inhæsionis, &c. Subjectum sustentationis generaliter est subjectum eductionis formæ, sive substantialis, sive accidentalis; & dependentiæ illius à subjecto in primõ esse & conservari; specialiter verò, & ut opponitur subjecto inhæsionis, informationis & adhæsionis, est subjectum formæ substantialis eductæ & ex se dependentis in primo esse, & conservari ab illo tamquam subjecto.

XXIV. Subjectum inhæsionis generaliter rectè confunditur cum subjecto sustentationis generaliter; quia sicut tam substantia, quàm accidens hæret *ad*, sive *adhæret* alteri tamquàm subjecto adhæsionis; ita tam forma substantialis, quàm accidentalis hæret *in*, sive *inhæret* alteri tamquam subjecto inhæsionis: specialiter verò, ut opponitur subjecto sustentationis & informationis est subjectum formæ accidentalis eductæ, & dependentis in primo esse, & conservari ab illo tamquam subjecto.

XXV. Subjectum informationis generaliter est omne illud, quod ab alio denominationem aliquam accipit: specialiter verò, & ut opponitur subjecto sustentationis, inhæsionis, &c. est illud, quod denominationem accipit à forma ex se non educta, nec à se in primo esse, aut conservari per se à subjecto dependente.

XXVI. Subjectum verò adhæsionis generaliter est omne illud, cui alterum unitur sive per modum formæ, sive per modum termini intrinseci; quia tam illa, quàm hic hæret *ad*, ut statim vidimus. Specialiter verò, & ut opponitur subjectis illis, sustentationis, inhæsionis, informationis, &c. est illud, quod unitur alteri, & non per modum subjecti sustentationis, inhæsionis, & informationis illius specialiter sumpti, sed sic, ut ab unione quidem cum illo separari possit, sed illud alterum ab hoc, utpote termino intrinseco illius, separari non possit. Res tota explicatur in unione Hypostatica respectu Verbi, in eductione respectu formæ, & cujusvis actionis respectu effectus. Vnionis enim illius subjectum adhæsionis, uti & terminus intrinsecus, est Verbum, quod non est subjectum sustentationis, inhæsionis, aut informationis illius, ut supra vidimus; potest tamen ab ipso separari, ipsa autem à Verbo neutiquam. His suppositis ad dubium (quod mihi difficilius, quàm ut, vel sine examine, cum omnibus ferè, illud affirmativè resolvam, vel examen illius superfluum cum illis reputem, eò quòd id esse de essentia materiæ malè putent) sit

Resolutio I.

XXVII. Dico 1°, materia non est subjectum adhæsionis positivè primum omnium formarum, quibus adhæret. Probatur, quia non est prior creatione respectu cujus est adhæsionis subjectum, ex præmissis suppositio secundo, ergo, &c.

Resolutio II.

XXVIII. Dico 2°, Materia prima (si subsistentia Basis non sit, de quo Disp. 4ª) est subjectum sustentationis positivè primum earum formarum quæ speciali sustentatione, juxta dicta suppositio 1°, sustentantur.

Probatur 1°, ex definitione illius ab Aristotele supra allata, quæ ut minimum convincit materiam primam esse subjectum sustentationis dictarum formarum positivè primum, ergo, &c.

XXIX. Probatur 2°, ratione, unum datur subjectum sustentationis positivè primum; ut constat, tum ex eo, quòd subjectum sustentationis & forma sustentata non possint esse simul naturâ, tum quia sequeretur alioqui processus in infinitum; nam in generatione illud subjectum præsupponeret aliud, & illud aliud, & sic in infinitũ; sed suppositis Principiis fidei, & rationibus ex illa deductis, illud non est forma sive entitas formæ; ergo materia prima. Probatur minor, quia subjectũ primum creatur, & est ingenerabile & incorruptibile, alioqui primũ nõ esset, sed aliud præsupponeret, ex quo præjacente fieret, & quo remanente desineret; item subjectũ primum transit de composito in compositum, non secus ac illa substantia simplex & completa, de qua Dub. 1° Res. 3ª; siquidẽ est subjectũ generationis ut mutationis; sed hæc formæ non conveniunt, quia forma ignis generatur ex ligno, & est corruptibilis, nec migrat de composito in compositum; quis enim experitur manere formam, aut accidentia ignis, quamdiu manent cineres? & sic de aliis, ergo, &c.

Re-

Resolutio III.

xxx. Dico 3°, Materia prima non est subjectum informationis positivè primum eorum, quæ ipsam informant.

xxxi. Probatur 1°, quia ipsa informat formam à qua informatur; sed non est subjectum informationis positivè primum respectu sui-ipsius, ergo, &c. minor patet; consequentia est legitima: probatur major, quia sicut rectè dicitur materia est informata, potentia est actuata; ita rectè dicitur forma est materietata, actus est potentiatus; quis enim rationem disparitatis assignabit, aut impedimentū, præter purum Adversariorum beneplacitum? ergo, &c.

xxxii. Probatur 2°, sicut materia & forma, potentia & actus sunt correlativa, & simul naturâ; ita materiam esse informatam & formam esse materietatam; potentiam esse actuatam & actum esse potentiatum, sunt correlativa & simul naturâ. quod

xxxiii. Confirmo. quia sicut sunt simul naturâ, formam esse unitam materiæ, & materiam esse unitam formæ; ita sunt simul naturâ formam esse materietatam, & materiam esse informatam, quia reipsâ sunt eadem, ergo, &c. Ex eo autem

xxxiv. Infero, ergo si materia, quia primò informata à forma, dicatur subjectum primum informationis, dicetur & forma primum subjectum informationis, quia primò negativè, sive simul naturâ, est materietata à materia; ergo materia prima non est subjectum informationis positivè primum, sed alterum comprimum admittit, videlicet formam.

xxxv. Confirmatur Resol. nihil adferri potest, cur sicut materia dicitur informata à forma; non dicatur è converso forma materietata à materia, nisi fortè communis omnium contrarius loquendi modus (quia quòd P. Comptonus Disp. 4ª. Sect. 2ª. dicit à posteriori obstare, quòd semper videamus formas denominare, & subjecta denominari, nimis à posteriori est, nam quod quærimus, est, an id videamus) sed hîc non quærimus, quid communis loquēdi modus habeat, sed an verus, & quid reipsâ sit subjectum informationis positivè primum, ergo, &c.

xxxvi. Objicies 1°, Materia prima est subjectum sustentationis formarum materialium positivè primum; ergo & informationis earundem; consequentia tenet à pari.

xxxvii. Confirmabis ex Arriaga hîc Disp. 2ª. n. 23. Illud quod in esse præsupponitur alteri, est subjectum informationis illius; sed materia prima in esse præsupponitur formæ; ergo, &c.

xxxviii. Respondeo imprimis, istud Argumentum non ostendere formas spirituales non esse comprimum subjectum informationis; ac proinde, nec ostendere materiam primam esse subjectum informationis omnium formarum positivè primū.

xxxix. Resp. 2o, negando consequentiam, & adfero disparitatem; videlicet, quia non sunt simul naturâ, formam esse sustentatam à materia, & materiam esse sustentatam à forma; siquidem materia, utpote naturaliter ingenerabilis & primum subjectū sustentationis, nequit à forma sustentari; formam autem esse informatam à materia, & materiam esse informatam à forma, sunt simul naturâ.

Ad Confirmationem verò

xl. Respondeo imprimis, non omne illud, quod in esse præsupponitur alteri, esse subjectum informationis illius; alias creatio esset subjectum informationis materiæ primæ, & Dispositiones præviæ ad introductionem animæ in corpus, essent subjectum informationis illius, quod nullus admiserit.

xli. Resp. 2°, distinguendo majorem, illud quod præsupponitur alteri ut subjectum sustentationis, uti materia præsupponitur ad omnes formas materiales; vel ut conditio sinè *qua non* aliud crearetur, uti materia dispositа ad creationem animæ rationalis præsupponitur, est subjectum informationis illius negativè primum, concedo majorem: positivè primum, nego majorem; quia in esse subjecti informationis sunt simul naturâ, ut ante probatum est; fit enim, ut è duobus, quæ per modum potentiæ & actus inter se uniuntur, illud quod se habet per modum potentiæ, in genere subjecti sustentationis se habeat antecedenter & præviè ad aliud, quod se habet per modū actus, & ei supervenit; & tamen utrūque in genere subjecti informationis sint simul naturâ, ut contendimus: nec plus exigit ratio subjecti informationis, ut fundamenta præsentis Resolutionis consideranti patebit; ad quæ non satis videtur attendisse P. Arriaga: sic enim stat unum alteri uno sensu præsupponi, & alterum alio sensu esse subjectum informationis illius, ac proinde etiam illud, quod alteri in esse non præsupponitur, esse subjectum informationis alterius, per quod totum fundamentum P. Arriagæ enervatur.

xlii. Objicies 2°, ex conclusione sequitur, subjectū & formam simul naturâ se mutuò informare ac denominare; sed hoc est absurdū; ergo, &c. Prob. minor, quia inde sequeretur gratiam dici animatā, sicut anima dicitur grata; albedinē dici carneā, sicut caro dicitur alba; visionem dici auream, sicut aurum dicitur visum; sed illa sunt absurda; ergo, &c.

xliii. Resp. concessâ sequelâ, negando minorē; ad ejus probationem distinguo sequelam, sequeretur gratiā secundùm se & ex conceptu suo formali dici animatam, in quo esset absurdum, nego sequelam; secundùm denominationē à subjecto, cui uniretur, & secundùm conceptum accidentalem, quod non est absurdum, concedo sequelam: numquid enim æquè gratia est proportionata (& sic de aliis) ut denominativè & accidentaliter dicatur animata propter unionem ad animā, ac materia est proportionata ut denominativè & accidentaliter dicatur animata animâ rationali propter unionem ad animam rationalem? ita sanē; & ratio est, quia ubi est proportio ad unionem per modum actus & potentiæ, est proportio ad reciprocā denominationē; quia formā uniri materiæ, & materiā uniri formæ, sunt simul naturâ; ita autē uniri, est denominare & denominari; vel assignetur mihi ratio cur tūc sit proportio ad denominare subjectū, & non ad denominari à subjecto, sive, ne ludas in verbo, cur subjectū denominationis seu informationis, nō sit simul naturâ forma denominans seu informans formā à qua denominatur seu informatur; quandoquidē propter unionē præcisè per modū actus & potentiæ, & subjectum sit denominationis seu informationis subjectum, & forma sit forma illud denominans seu informans: scio quidem P. Compt. hîc Disp. 4ª. Sect. 2ª. respōdere istius nullā esse rationē à priori; à posteriori verò optimā tradi à signo, quod id semper contingere videamus; sed præterquā quòd nos pro oppositō rationē quasi à priori dederimus, & falsū sit nos videre aliud contingere, præmissa convincūt id numquam contingere, ad quæ nil respondet.

xliv. Instabis 1o, sic determinari non poterit, quænam erunt compositiones per modum actus & potētiæ, quia quilibet actus erit potētia, & quælibet potentia erit actus; sed hoc est absurdum; ergo, &c.

xlv. Resp. negando assumptum, quia illæ erunt com-

compositiones ex actu & potentia, in quibus unum se habebit ut denominatum, aliud ut forma denominans, quod totum in nostra Resol. & ad præcedens argumentum solutione, remanet; & solùm ex illa sequitur in qualibet compositione per modum actus & potentiæ, uno respectu denominatum sive potentiam fore formam denominantem sive actum; & alio respectu formam denominantem sive actum fore denominatum sive potentiam; quod putamus omnino necessarium: quando tamen petitur simpliciter potentia, adferri debet illud, quod ex natura sua est subjectum sustentationis; quando forma, id quod est actus, & ex natura sua non est subjectum sustentationis illius, cujus est actus; ut sic vitetur confusio terminorum.

XLVI. Instabis 2°, saltem sequeretur *ubi* esse substantiam; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur sequela, quia sicut *ubi* subsistentiæ subsistentiam denominat ubicatam, ita ab illa denominaretur subsistens, quod est proprium substantiæ ex probatis in Logica Tract. 5°. Disp. 1ª. ergo, &c.

XLVII. Resp. negando sequelam, quia illud tantùm est substantia, quod ex genere suo exigit denominari subsistens; sive quod in genere entis in quo reponitur, est *ut quo*, vel *ut quod* subsistens, quod accidenti non convenit, ut ibidem monstratum est.

XLVIII. Objicies 3°, ex Aristotele lib. 1°. Phys. materia est pura potentia; ergo non est actus respectu formæ ut potentiæ sive subjecti.

XLIX. Resp. negando consequentiam; quia Aristoteles, per hoc, quòd dicat materiam primam esse puram potentiam, solùm vult illâ esse Physicè simplicè, & incompositâ ex ulteriori materia & forma, ne detur processus in infinitũ in materia, qui alioqui daretur, ut constat ex dictis Resol. 2ª. unde solùm vult materiam primam esse puram potentiam sustentationis; id est, ita alia sustentare, ut ab alio subjecto non sustentetur, aut formam, quæ ab alio subjecto sustentetur, in suo conceptu essentiali includat; alioqui non ipsa, sed subjectũ ipsius formæ simplex & incompositũ esset materia prima; ut consideranti patebit: non vult autem Aristoteles illam esse puram potentiã informationis, id est, ita informari, ut aliud nõ informet; quia ipsius scopus est adferre primũ subjectũ sustentationis, ut manifestè cõstat, tum ex Textu, tum ex definitione materiæ primæ, quam attulit; non verò informationis.

L. Objicies 4°, forma est Principium Corporis Naturalis; ergo materia non est forma informans formam à qua informatur: probatur consequentia, quia sic Principia ex se invicè fierent; siquidè forma fieret ex materia in genere causæ formalis, à qua materia etiã fit in genere causæ formalis, ergo, &c.

LI. Resp. negando consequentiam; ad ejus probationem, nego assumptum; ad cujus etiam probationem distinguo assumptum, fierent ex materia in genere causæ formalis, tamquàm ex proprio genere principiandi, nego assumptum, tamquam ex genere principiandi communi omnibus subjectis & formis, concedo assumptum; sed hoc non impedit rationem Principii, quia alioqui, cum id omne Principium inseparabiliter concomitetur, sola forma esset Principium, ut consideranti patebit.

DVBIVM III.

An, & quo sensu, Materia 1ª sit pura potentia.

LII. MAteriam 1ªm esse puram potentiam receptissimum est inter Thomistas, aliosque Philosophos; sed de sensu, quo id ipsi competit, multum controvertitur: quare pro illius Resol.

LIII. Suppono 1°. potentiam à Philosophis triplicem distingui; Activam scilicet, Subjectivam & Objectivam; singulisq; actum aliquem in particulari esse oppositum: Activa autem est *virtus producendi effectum*; actus huic potentiæ oppositus est actio, sive actus causativus: Passiva sive Subjectiva, aut Receptiva est *capacitas, quã res habet, ut sit subjectũ recipiens aliquã formã*; actus huic potentiæ oppositus est forma, sive actus formalis: Objectiva est *possibilitas rei*, sive *ejus ad existendũ non repugnantia*; actus huic potẽtiæ oppositus est existentia, sive actus entitativus.

LIV. Suppono 2°, puram potentiam esse, *Quæ sic est potentia, ut nullo modo actum sibi oppositum includat, prout solet includi in potentiis non puris*: unde potentia purè Activa est, *Quæ nec est, nec includit actionem*: purè Passiva, *Quæ nec est, nec includit formam informantem*: purè Objectiva, *Quæ propriã existentiã non habet*.

LV. Suppono 3°, puram potentiam passivam esse duplicem; sustentationis scilicet, & informationis: potentia pura passiva sustentationis est, *Quæ nec est, nec includit in suo conceptu formali formam sustentatam in alio tamquam subjecto recipiente*: pura passiva verò informationis est, *Quæ nec est, nec includit in suo conceptu formali formam informantem aliud, tamquam subjectum denominationis*. His suppositis, sit

Resolutio I.

LVI. DIco 1°, Materia prima est pura potentia passiva sustentationis. Ita D. Thom. 1. p. q. 66. art. 1°, & celebres Thomistæ, Capreolus, Ferrar. Cajet. Soncin. Sotus, PP. Nostri Compl. Ioan. à S. Thom. & è Societate Suarez, Conimb. & alii communiter, quibus adstipulatur P. N. Bacho Quodlib. lib. 2°. q. 9. art. 2°. §°. 2°.

Probatur Resolutio; quia illud ut minimum vult Aristoteles, cum hîc materiam primam appellat purum subjectum, puram potentiam passivam, &c. ergo, &c.

LVII. Confir. materia ita sustentat alia, ut nec sit, nec includat formam ab alio tamquam subjecto sustentationis sustentatam; sed hoc est esse puram potentiam passivam sustentationis, ergo, &c. minor patet à definitione; probatur major; quia alioqui, ut sæpe dictum est, sequeretur processus in infinitum: vel enim illud subjectum, in quo ipsa, vel forma, quam includeret, sustentaretur, esset, vel includeret formam ab alio tamquam subjecto sustentationis sustentatam, vel non? si primum, idem quæretur de hoc subjecto, & sic in infinitum: si secundum, ergo illud erit materia prima, & pura potentia passiva sustentationis. Hîc tamen (nota) supponitur subsistentiam non esse basim, de qua infrà Disp. 4. de Subsistentia.

Resolutio II.

LVIII. DIco 2°, Materia prima non est pura potentia passiva informationis. Hæc Resolutio sequitur ex Resol. 3ª Dubii præcedentis; quæ licèt nullius sit, (quem sciam) mihi tamen valde probabilis est.

Probatur, quia Materia prima, ita est subjectum sive potentia passiva informationis, ut simul naturà sit actus, & forma informans formam à qua informatur, ut constat ex Dubio præcedenti, ergo, &c.

LIX. Confirmatur, esse materietatum est esse actuatum, vel informatũ à materia; sed formæ plurimæ sunt materietatæ; imò P. Hurtadus hîc expresè dicit albedinem per unionẽ ad parietẽ esse parietatã;

tam; ergò materia prima non est pura potentia passiva informationis, sed actus, sive forma informans. Probatur major, quia si esse materietatum, non esset esse actuatum, vel informatum à materia, neque esse animatum esset esse actuatum, vel informatum ab anima; sed hoc non admittitur, ergo, &c. Probatur assumptum, quia utrumque eodem modo terminat unionem; ac proinde eodem modo utrumque denominationem & effectum formalem sibi proprium communicat, ergò, &c.

LX. Dices fortè, materiam & formam non eodem modo terminare unionem; sed materiam per modum potentiæ; animam verò per modū actus.

LXI. Sed contra, cum dico *anima est materietata, sive unita materiæ*, anima non habet se per modum actus; quia subjicitur & denominatur; vel si illud, quod subjicitur & denominatur, possit se habere per modum actus, dic mihi cur materia non ita se habeat, cum subjicitur & denominatur animata?

LXII. Respondebis fortè animam, quæ subjicitur, tantùm se habere per modum actus, quando informat & denominat; quando verò subjicitur & denominatur, se habere per modum subjecti: rectè quidem respondes, & ad intentum nostrum; sed rogo, cur idem non dicis de materia prima?

LXIII. Replicabis, quia sequeretur quòd in eodem composito partes essent sibi invicem potentiæ subjectivæ informationis, & actus informationis, quod est absurdum.

LXIV. Respondeo hoc totum à nobis sine absurdo admissum, & probatum Dubio 2°. Resolutione 2ª. & addo, id necessariò ab omnibus admittendum in *ubi* & ejus *productione*; numquid enim ab illa productione denominatur ubi productum: & illa productio ab ubi denominatur ubicata? quidni & in aliis idem admitti posset?

Resolutio III.

LXV. Dico 3°. materia prima non est pura potentia objectiva, id est, includit existentiam, sive actum entitativum sibi proprium; non quidem Physicum, & à se realiter distinctum, sed Metaphysicum, & à se solâ ratione distinctum. 1ª. pars quoad ly *Physicum* est omnium Thomistarum & juxta Resolutionem 1ªm: 2ª verò quoad ly *Metaphysicum*. Halensis 7. Metap. ad textum 22. Gregor. in 2. dist. 6. q. 1ª. Aureoli apud Capreolum in 1um dist. 8. q. 1. Durandi ibidem q. 2. Gabriëlis in 3um dist. 6ª. & Nominalium cōmuniter; quos sequuntur Gerardus de Carmelo, Suarez, Vasquez, Arrubal, Valentia, Hurtadus, Arriag. Oviedus, &c. adstipulantur etiam Scotistæ, cum hoc tamen discrimine, quòd illi existentiam à materia solâ ratione distinctam agnoscant, hi formalem ex natura rei.

LXVI. Probatur 1°. ex Commentatore 3°. de Cœlo commento 29. *quod recipit, debet esse ens actuale*, id est, *existens*; sed materia recipit omnes formas; ergo est ens existens, idque existentiâ propriâ; ac proinde non est pura potentia objectiva: Probatur major, quia quod recipit, ut condistinctum à forma; quam recipit, non est actu nihil; quia alioqui forma esset tota actualitas compositi substantialis; in composito substantiali sola forma esset aliquid actu; homo non esset actu, nisi quidpiam incompletum; non esset actu nisi quidpiam purè spirituale, &c. imò denique homo non esset in facto esse, purum ens actu, sed partim ens, partim non ens, quæ sunt absurda; ergo materia, quæ formas recipit debet esse ens existens, idque existentiâ propriâ.

LXVII. Nec dicas ex Magistro nostro Bachon. Quodlib. lib. 2°. q. 9. art. 2°. §. 3°. unumquodque recipit secundùm, quod est in potentia; quia id tantùm verum est de receptione formæ realiter distinctæ, sic nempe, ut omne quod realiter formam realiter à se distinctam recipit, istam formam realiter non includat, sed sit in potentia ad illam, juxta 1am partem nostræ Resolutionis, pro qua à nobis citatus est Resol. 1ª. verùm autem non est sic, quòd omne quod realiter formam realiter à se distinctam recipit, nullam existentiam Metaphysicam & realiter à se indistinctam includat, ut patet ex probatione Resol.

LXVIII. Nec Instes, ens actuale, sive existentiam formæ, recipi quidem in materia non existente antecedenter, sed illam facere concomitanter existentem; sic enim albedo in pariete quidem antecedenter non albo recipitur, illum tamen facit concomitanter album; ex quo inferes, probationem assumpti esse falsam: ne id dicas, inquam; quia sicut existentia est conditio prærequisita ad agendum quodlibet realiter à se distinctum; ita & ad patiendum quodlibet realiter à se distinctum; quia eadem est ratio passionis & actionis; ac proinde, sicut dari non potest actio effectus realiter distincti à causa nō existente, vel saltem quæ numquam extitit, ita nec potest dari passio formæ realiter distinctæ à subjecto non existente, vel quod saltem numquā extitit.

LXIX. Nec urgeas subjectum constitui realiter existens per existentiā; ac proinde sicut optimè intelligitur parietem de non albo fieri album per albedinem, quam ante non habebat; quia per illam constituitur realiter albus; ita optimè intelligi materiam non existentem fieri existentem per existentiam, quam ante non habebat, quia similiter per illam constituitur realiter existens.

LXX. Respondeo esse disparitatem, eò quòd materia non possit habere existentiam realiter distinctam nisi mediâ passione, quæ haberi non potest à subjecto, quod hîc per te non præsupponitur existens: potest autē paries non albus habere albedinem realiter à se distinctam; quia media passio, per quam illam habet, præsupponit parietem existentē; quod tātùm requiritur, ut illam recipiat. unde patet probationem 1am esse solidam, materiamque primam, priusquam ullam formam realiter à se distinctam recipiat, necessariò debere supponi aliunde realiter existentem, nec proinde posse sine evidenti superfluitate actuari per existentiam formæ realiter distinctam, Ex his

LXXI. Colliges contra PP. nostros Complut. hîc. ordinem essentiæ nullâ ratione distingui posse ab ordine existentiæ: item contra P. Ioan. à S. Thoma, existentiam hoc sensu non posse esse actum secundum, quod præsupponat formam Physicam, licèt dici possit secundus, quia *non essentialis*, quod non dicit realem distinctionem ab essentia; ut proprietates Metaphysicas consideranti patebit.

LXXII. Probatur 2°. omnes formæ materiales educuntur ex materia; sed non educuntur ex nihilo, aliàs dici deberent creari; ergo materia est ens actuale, existens, non pura potentia objectiva, &c. consequentia patet, quia inter ens actuale, sive existens, & nihil ante intellectū, non datur medium.

LXXIII. Nec dicas ex his solùm sequi materiam habere essentiam distinctam à forma, sive esse ens reale distinctum à forma, non verò habere essentiā actualem,

actualem, sive esse ens actuale distinctum à forma, sed potentiale tantùm: ne id, inquam, dicas; quia inprimis ostendimus dubio præcedenti materiam etiam esse actum informationis, licèt non sit sustentationis, defectu subjecti, in quo sustentetur: jam verò probavimus illam includere actum entitativum, sive existētiam; quod per illud, quod dicis, non reprobas: deinde quæro à te distinctionem inter ens reale, ens actu, & ens realiter existens: certè si hæc omnia sumantur ut ante intellectum, quomodo hîc sumi debent, nihil momenti adferes, spero, quo hæc sumpta ante intellectum distinguas.

LXXIV. Nec refert, quòd Aristoteles 9o. Metaph. textu 1°. dividat entitatem realem in potentiam & actum; quia ibi actum non opponit potentiæ objectivæ, sed potentiæ subjectivæ sustentationis, cujus potissimam curam habuit, eò quòd sola generationibus ut mutationibus inserviret; unde per *actum* ibi intelligit actum sustentationis, sive formam substantialem; per *potentiam* verò, potentiam subjectivam sustentationis; nec potuit aliud intelligere; alioqui, cum omnis entitas realis ante intellectum sit actus, saltem entitativus (nam ille, sive existentia, non distinguitur realiter ab essentia, ut ostendemus in Metaphysica) divisum includeretur in suis membris dividentibus, essetque vitiosa divisio.

LXXV. Probatur 3°. actio terminatur ad existentiam; sed diversam actionem terminat materia prima, scilicet creationem; diversam forma materialis, scilicet generationem; ergò materia prima habet existentiam distinctam à forma, & consequenter non est pura potentia objectiva: Probatur major primò, quia non terminatur ad nihil; res verò præcisâ realiter existentiâ, utpotè realiter præcisivè negatio existentiæ, est nihil: secundò, quia cum existentia sit realiter ipsa essentia, (ut probabimus in Metaphysica) non apparet ad quid aliud terminari possit; ergò, &c.

LXXVI. Objicies tamen 1°. Aristot. nusquā docet materiam primam esse actum entitativum; ergò, &c.

LXXVII. Respondeo distinguendo antecedens: Aristoteles nusquam docet explicitè, & quoad vocem, materiam primam esse actum entitativum, concedo antecedens; implicitè, & quoad rem, nego antecedens; hoc enim ipso, quòd docet materiam primam esse principium Physicum, potentiam subjectivam, non esse non ens, sed ad rationem substantiæ propiùs accedere, &c. consequenter docet esse actum entitativum, imò & informationis, ut Resol. 2ª. vidimus; si verò quandoque dicat *materiam primam non esse ens, in nullo Prædicamento poni*, &c. (ut v.g. Metaphysic. 7°. textu 8°.) *quia per se, neque est quid, neque quantum, neque quale.* Solùm vult non esse ens completum, quod solum ponitur in prædicamento, & quod solùm etiam intelligitur nomine entis simpliciter pronuntiati: eodem modo intelliges D. Thomā, cum 1ª. p. q. 7. art. 2°. dicit *materiam primam non esse ens actu, sed potentiâ tantùm*; item & Porphyrium, cum post Platonem docet, *materiam primam esse verum non ens, & defectum entis*; nisi malis eos ita intelligere, ut velint materiam, ut sub privatione esse non ens, licèt in se & secundùm se spectata sit ens: cum verò alii dicunt *illam nullius esse speciei*, putabis, *speciei* quam accipit à forma Physica; alioqui certum est esse alicujus speciei Metaphysicæ incompletæ & indirectè prædicamentalis.

LXXVIII. Instabis; forma dat esse rei; ergò materia nequidem ut in se, & secundùm se spectata, est existens, sive ens actu.

LXXIX. Respondeo negando consequentiam; quia inprimis Resol. 2ª. diximus materiam primam, tam esse formam informationis, quàm sit entitas illa, quam vocas formam, licèt non sit sustētationis: deinde forma non dat esse rei subjectivum, potentiale & entitativum his proportionatum; sed formale, completivum in esse naturæ, & entitativum his proportionatum; quod ultrò concedimus haberi à forma; sed aliud præterea ad realem constitutionem rei corporeæ completæ requiri asserimus, videlicet existentiam propriam ab existentia formæ realiter distinctam.

LXXX. Objicies 2°. ex Magistro nostro Bachone in 2um Sent. distinct. 12. quæstione 1ª. art. 2°. in primo actu, videlicet Deo, nulla est potētia; ergò in prima potentia, ut materia prima, nulla est actualitas.

LXXXI. Respondeo 1°. concedi posse totum, si hæc proportionaliter intelligantur, hoc modo; sicut in primo actu nulla est potentia realiter distincta, ita in prima potentia nulla est actualitas, puta existentiæ, realiter distincta; sed cum hoc stat in prima potentia esse actum entitativum realiter ab ea indistinctum, sicut in primo actu est potentia ad attributa, & relationes ab eo realiter indistinctas, quod unicum contendimus.

LXXXII. Respondeo 2°, negando consequentiam, quia disparitas est: siquidem primus actus sensu dato, non implicat magis, quàm ens perfectum in omni genere entis; implicat verò dari primam potentiam ita puram, ut actum entitativum, sive existentiam, non includat: quia illa esset ens reale à parte rei existens, ut supponitur; & non esset, quia non haberet existentiam, quæ est de conditionibus necessariis entis realis à parte rei sive realiter patientis, uti est de conditionibus, &c. realiter agentis.

LXXXIII. Objicies 3°. ex R. P. Ioan. à S. Thoma, juxta Aristotelem hîc eodem modo se habet materia prima ad formas materiales, quo materia secunda, sive artificiatum ad artificiales: atqui hæc in priori formæ artificialis nullam habet existentiam artificialem; ergò neque illa naturalem existentiam habet in priori formæ naturalis.

LXXXIV. Responderet aliquis facilè in sententia objicientis, quâ docet materiam privatam quantitate molis esse entitativè quantam; similiter materiam secundam in priori formæ artificialis habere existentiam entitativè artificialem, sic ut hæc illi identificetur, eo modo, quo quantitatem entitativam vult materiæ identificari; undè rectè concluderetur intentum nostrum, videlicet materiā primam in priori omnis existentiæ realiter à se distinctæ habere existentiam entitativam, sic illi identificatam, quomodo vult quantitatem entitativam, & existentiam entitativè artificialem materiæ identificari; sed tales formas entitativas à formalibus realiter distinctas, satis rejecimus in Logica Tract. 5°. Prædicam. Disp. 2ª. Quare aliter

LXXXV. Respondeo juxta Aristotelem, modi istius ad formas se habendi identitatem, in eo sitam non esse, quòd sicut materia 2ª in priori formæ artificialis, nullam habet existentiam artificialem, sed in eo, quòd materia 1ª sit potentia perfectibilis per formas materiales, ut condistinguuntur contra entitativam sive existentiam; sicuti

materia

materia 2ª. per artificiales: unde nego consequentiam, & assigno disparitatem, in eo videlicet, quòd, quia ad recipiendas formas artificiales sufficit materiam realiter existere, uti reverà realiter existit materia 2ª. in priori formæ artificialis, non debeat materia 2ª. in priori formæ artificialis habere aliquam existentiam artificialem; è contra verò, quia ad recipiendam existentiam aut similem formam realiter à se distinctam, non sufficit materiam realiter non existere existentiâ propriâ, uti reverà realiter non existit in priori existentiæ suæ propriæ, debet materia prima in priori existentiæ realiter à se distinctæ, habere existentiam aliquam propriam.

QVÆSTIVNCVLA.

Quid senserit D. Thomas circa quæstionem, an materia prima ex se sit ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo.

LXXXVI. REsolvunt Thomistæ, ut PP. nostri Complut. & Ioan. à S. Thoma post antiquiores alios communiùs, ut Cajet. de ente & essentia cap. 5°. q. 8. Ferrar. 1°. contra gent. c. 4°. Capreol. in 2. dist. 13. q. 4ª. affirmativè; mens tamen D. Thomæ hâc in parte mihi obscurior est, quàm ut Resolutioni isti affirmativæ statim subscribam; & quia veriùs puto existentiam ab essentia realiter non distinguì, cumq; id tum in Philosophicis, tum in Theologicis (in quibus D. Thomæ authoritati plurimum ab omnibus defertur) propugnem, in oppositam partem sit

RESOLUTIO I.

LXXXVII. DIco, non sensit D. Thomas quòd materia 1ª. ex se sit ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo.

Probatur 1°. juxta D. Thom. lib. 1°. Phys. lect. 13. *sic illud, quod est aliquid præter formam aquæ & præter formam æris, se habet ad ipsas substantias naturales, sicut se habet æs ad statuam, & lignum ad lectum, & quodlibet materiale & informe ad formam.* Atqui sic se habet æs ad statuam, & lignum ad lectum, ut æs in se & secundùm se existens formam statuæ recipiat, & sic est de ligno: ergò similiter, sic illud, quod est aliquid præter formam aquæ, sive materia prima juxta illud Divi Thomæ ibidem *& hoc dicimus esse materiam primam*, se habet ad formam aquæ, ut in se & secundùm se existens formam aquæ recipiat; unde idem D. Thom. 7°. Metaph. textu 8°. lect. 2. dicit, materiam primam esse, non quidem illud, quod ex se est ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo, sed præcisè quod caret omni actu formali, *illud dico materiam* (inquit) *quæ secundùm se, neque est quid* (id est forma, ut condistinguitur contra actum entitativum, de qua loquens Aristoteles 5°. Metaph. cap. 2°. ait, *forma est ratio & quod quid erat esse rei.* & D. Thom. lib. 5. Metaph. lect. 2ª. *quia unumquodque consequitur naturam, vel generis, vel speciei per formam suam; natura autem generis, vel speciei est id, quod significat definitio dicens, quid est res, ideo forma est ratio ipsius (quod quid erat esse) id est definitio* sive pars definitionis, *per quam scitur quid res est*) attende sequentia, ibi prosequitur per cæteras formas ut ab actu entitativo condistinctas, *nec quantum, nec aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur*, sive ut ante, *per quod scitur, quid res est*: ergò, &c.

LXXXVIII. Confirmatur ex mente D. Thomæ loco ex 1°. Physicorum suprà citato, aqua fit ex materia & formâ aquæ, sicut statua ex ære & forma statuæ; sed *statua* ex eodem lib. 5°. Metaph. lect. 2. *fit ex ære sicut ex inexistente, id est, in eo quod sit intus existente* inquit, & non tantùm per formam statuæ, quia sic magis extùs, quàm intùs existeret; ergo similiter aqua fit ex materia aquæ, sicut ex inexistente, id est in aqua intus existente, & non tantùm per formam aquæ.

LXXXIX. Probatur 2°. in sententia D. Thomæ 8. Metaph. lect. 4ª. aliter fit ex vino acetum, quàm ex materia vinum, *sic igitur* (inquit) *materia se habet per priùs quidem ad vinum, sicut ad habitum & ad speciem; ad acetum autem, sicut ad privationem & corruptionem vini.* Et paulò infra, *non ergo acetum fit ex vino, sicut ex materia*, &c. atqui si materia prima ex se sit ita pura potentia, quòd careat actu entitativo præterquam formæ à se realiter distinctæ, non fiet aliter ex vino acetum, quàm ex materia vinum, ergò, &c. Probatur minor, quia sicut præcisè fit acetum ex privatione & corruptione vini, vel potius existentiæ vini; ita fit vinum ex privatione & corruptione materiæ, vel potius existentiæ materiæ, vineæ v. g. quæ in generatione vini corrumpitur, cujus & materiæ, in sententia ista, una & eadem est existentia; ergò, &c.

XC. Confirmatur, juxta mentem D. Thomæ loco statim citato, *secundùm accidens dicitur ex vino fieri acetum, in quantum fit ex materia ejus*: atqui si materia vini careat omni actu entitativo, præterquam formæ vini, non magis secundùm accidens dici poterit ex vino fieri acetum, in quantum fit ex materia vini, quàm in quantum fit ex forma vini, directè contra D. Thomam, ergò, &c. Probatur minor, quia non minùs materia perdet existentiam & corrumpetur, quàm forma vini, propter quod tamen non dicit, *in quantum fit ex forma vini*, ergò, &c.

XCI. Objicies tamen 1°. illud D. Thomæ q. 4. de potentia art. 1°. in corp. ubi in principio Gen. dicitur: *Terra autem erat inanis & vacua. Quidam namque intellexerunt prædictis verbis talem informitatem materiæ significari, secundum quam materia intelligitur absque omni forma, in potentia tamen existens ad omnes formas: talis autem materia non potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur; quidquid enim in rerum natura invenitur, actu existit, quod quidem non habet materia, nisi per formam, quæ est actus ejus; unde non habet sine forma in rerum natura inveniri*, ergò, &c.

XCII. Respondeo propter hunc locum mentem D. Thomæ mihi quidem esse obscuram; ad eum tamen probabilissimè Respondetur, D. Thomam ibi tantùm velle materiam sine omni forma non posse in rerum natura existere simpliciter: item, quòd quidquid in rerum natura invenitur existens simpliciter, actu, sive per formam, existat: unde de potentia q. 4ª. ad 3^um^ eorum, quæ in contrarium objiciuntur, ait, *quod autem est tantùm in potentia, non simpliciter est*; & de verit. q. 3. *materia propriè loquendo non habet essentiam, sed est pars essentiæ*; quod æquivalet, materia prima non habet esse simpliciter, sed esse partis, sive, ut etiam loquitur Opusculo 31. *esse incompletum*, quod ibidem dicit *esse nullum* (puta *per quod sciatur quid res est*; *per quod*

ens determinetur, &c. juxta eundem probationem 1ª citatum) *materia dicitur quod habet esse, ex eo, quod sibi advenit, quia de se esse incompletum imo nullum* (sensu jam dato, alioqui videretur contradictio in terminis) *esse habet*; ubi vides opponi esse materiæ, quod accipit à forma, tamquam esse simpliciter & totius, esse secundùm quid & partis; non verò tamquam esse commune ad esse partis & esse totius, opponi non esse simpliciter: quare subdit, *unde simpliciter loquendo forma dat esse materiæ*, non quidem incompletum, sed simpliciter & completum. Ex his sequentia loca cum interjectis particulis intelliges: 1.p.q.66.art.1. *si materia*, tamquam ens simpliciter, *informis præcesserit duratione, hæc jam erat in actu*, &c. & quodlibet. 3°. art. 1°. *omne enim quod est actu* simpliciter, *vel est ipse actus, vel est potentia participans actum; esse autem actum* simpliciter, (non verò esse actum entitativum & in potentia) *repugnat rationi materiæ, quæ secundùm propriam rationem est ens* sive actus *in potentia. relinquitur ergò*, quòd *non potest esse in actu* simpliciter, *nisi in quantum participat actum, actus enim participatus à materia* (puta formalis, prout entitativo opponitur,) *nihil aliud est quàm forma*: *unde idem est dictu materiam esse* simpliciter *in actu, & materiam habere formam; dicere ergo quòd materia sit* simpliciter *in actu sinè forma, est dicere contradictoria esse simul*. denique contra gentes c. 4°. *materia non tendit ad impossibile; est autem impossibile materiam tantùm sub privatione esse*, simpliciter.

LXXXXIII. Elucidatur præcedens Solutio ex D. Thoma opusculo 15°. cap. 8°. *substantiis omnibus non est idem modus essendi: illæ enim substantiæ, quæ perfectissimè*, id est simpliciter *esse participant, non habent in seipsis aliquid, quod sit ens in potentia solùm: unde immateriales substantiæ esse dicuntur: sub his sunt substantiæ, quæ etiam in seipsis, hujusmodi materiam habent, quæ secundùm sui essentiam est ens in potentia tantùm, tota tamen earum potentialitas completur per formam, ut in eis non remaneat potentia ad aliam formam.* Ecce D. Thomas non negat materiæ omnem modum essendi, sed perfectissimè, sivè simpliciter & in actu, sic ut illi concedat modum essendi imperfectè, sive secundùm quid & in potentia; ne tamen putes ipsum saltem negare materiæ primæ esse, prout commune est esse completo sive simpliciter, & esse incompleto sive secundùm quid; attende ad sequentia. *Sed considerandum est quòd ea, quæ à primo ente esse participant, non participant esse secundùm universalem modum essendi*, id est, secundùm quod esse est commune ad esse incompletum, materiale & indeterminatum, & completum formale & determinatum, *secundùm quod est in primo principio; sed particulariter* (nota) *secundùm quemdam determinatum essendi modum, qui convenit huic generi, vel huic speciei.* quid obsecro clarius in favorem nostræ Solutionis adferri posset? *unaquæque autem res adaptatur ad unum determinatum modum essendi secundùm modum suæ substantiæ; modus autem uniuscujusque substantiæ compositæ ex materia & forma, est secundùm formam, per quam pertinet ad determinatam speciem.* Et paulò post, præmissa evidenter ad mentem nostram concludit. *Sic igitur in rebus ex materia & forma compositis; materia quidem secundùm se considerata, secundùm modum suæ essentiæ habet esse in potentia, & hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis*; participatio autem illa est ipsa creatio, igitur ex mente D. Thomæ creatio ad materiam secundùm se terminatur, ac proinde secundùm se habet existentiam indeterminatam & materialem, sed *propriam; caret verò secundùm se considerata formâ, per quam participat esse in actu secundùm proprium modum*, id est secundùm esse determinatum sive determinati generis aut speciei, & iterum infra, *quia igitur materia recipit esse determinatum, actuale per formam*, &c.

LXXXXIV. Objicies 2°. illud ejusdem D. Thomæ 1.p.q.7. art.2°. ad 3um. *materia non existit in rerum natura per seipsam, cum non sit ens in actu; sed potentia tantùm: unde magis est aliquid concreatum, quàm creatum.* & 1.2. q.94.art.5.ad 2um. *idem est esse formæ & materiæ, & hoc quidem est esse compositi*, ergò, &c.

LXXXXV. Respondeo loca hæc eodem modo, quo præcedentia intelligi debere; sic nempe *ut materia prima non existat* simpliciter *in rerum natura per seipsam, cum non sit* per seipsam *ens in actu* simpliciter, *sed potentia tantùm; unde magis est aliquid concreatum, quàm creatum* simpliciter: item sic, ut *idem sit esse formæ & materiæ* simpliciter, *quodque est esse compositi*. Vnde Axiomatis hujus inter Philosophos vulgarissimi, *ex pluribus entibus in actu, non potest fieri unum per se*, est hic sensus, *ex pluribus entibus simpliciter non potest fieri unum per se*; vel, *ex pluribus entibus in genere, aut specie determinatis, non potest fieri unum per se*; vel, *denique ex pluribus entibus in actu formali prout contra materialem & entitativum distinguitur non potest fieri unum per se*; hi enim sensus sunt omnino conformes Divo Thomæ locis ad objectionem 1am citatis: quòd autem PP. nostri Complutenses hîc Disp. 3ª. q. 5. §. 1°. opponunt, quòd nulla existentia possit se habere ut potentia respectu alterius existentiæ, quia, etsi una & eadem res possit esse, in diverso genere & ordine, actus & potentia; non tamen in eodem: parvi est momenti, quia instrumentum rectè se habet ut potentia respectu instrumenti, ut v.g. quantitas instrumentum materiæ rectè se habet ut potentia (in ipsorum sententia) respectu caloris instrumenti ignis, ergò similiter existentia, &c. deinde existentia est genus incompletum respectu existentiarum materiæ & formæ, sicuti substantia, & essentia sunt genera incompleta respectu substantiæ & essentiæ materiæ & formæ, in his tamen una substantia, sive essentia se habet ut potentia respectu alterius; ergo similiter in existentiis materiæ & formæ, &c. adhuc tamen potest D. Thomam materiæ *esse* non vocare existentiam, sed essentiam; *esse* verò formæ vocare existentiam sive *esse* simpliciter, unde fit quòd Opusc. 48°. cap. 2°. dicat *esse essentiæ*, quod materiæ convenit, *& esse existentiæ*, quod *formæ* convenit, *differre realiter, ut duas diversas res*; hoc autem posito, licèt totum PP. Complutensibus concedatur, nihil contra nos evincunt.

Resolutio IV.

LXXXXVI. Dico 4°. materia prima non est potentia activa indebitorum. Probatur 1°. authoritate tum Aristotelis lib. 2°. de Ortu & Interitu c. 9. tum August. 2°. de natura boni contra Manichæos, ubi materiæ primæ omnem activitatem & virtutem ad agendum denegant; sed potentia activa est activitas, & virtus ad agendum, ergò, &c.

LXXXXVII. Probatur 2°. ratione; quia omnis effectuum, præterquam materiæ debitorum, sufficiens causa effectiva, præter materiam primam, assignatur, ergò, &c. Probatur antecedens, quia materiæ primæ

primæ, & entium spiritualium Deus; formarum substantialium, & accidentium materialium formę substantiales, & accidentales materiales sunt sufficiens causa effectiva, ergo, &c.

LXXXVIII. Objicies tamen: materia prima præcontinet formas substantiales corporeas, sic saltem ut eas materialiter possit producere; ergo & ut activè ac efficienter.

LXXXIX. Respondeo negando consequentiam; nam grande est discrimen inter materialiter & efficienter producere; quia materialiter producere, est quidpiam alienâ virtute efficienter productum in se sustentare; efficienter verò producere, est quidpiam propriâ virtute efficere: de quibus infra.

DVBIVM IV.

An dato quòd existentia materiæ realiter distinguatur ab ejus essentia, materia prima habeat propriam existentiam distinctam à forma.

C. ALiter ab Authoribus hoc dubium proponi solet, videlicet, *an materia prima existat existentiâ formæ:* asserunt enim Thomistæ communiter materiam primam imperfectam adeo esse entitatem, ut existentiam propriam non hebeat, sed à forma emendicatam: verùm contrarium patet ex dubio præcedenti, & dicendis in Metaphysica ex professo de identitate reali existentiæ cum essentia; ut tamen sit disputationi locus, hîc suppono, & illis gratîs do, existentiam realiter distingui ab essentia, & secundùm illam hypothesim, sit dubii.

Resolutio I.

CI. DIco 1°. contra Thomistas communiter: licet gratis detur existentiam realiter distingui ab essentia; materia prima habet propriam existentiam incompletam, condistinctam realiter ab existentia formæ.

CII. Probatur quia id omnino conformiùs est naturæ ipsius materiæ primæ, ut P. Arriaga hîc, ergo, &c. ratio Antecedentis bona est, licet ab Arriaga non probetur, & P. Oviedus hîc dicat *eam frigere, & negatâ eâ majori conformitate, gelascere*: quare probo rationem Antecedentis: existentia sequitur essentiam; sed essentia materiæ primæ est secundùm se imcompleta, & petit compleri per essentiam formæ; ergo similiter existentia materiæ primæ est incompleta, & petit compleri per existentiam formæ: major patet in forma, cujus essentiam sequitur existentia, sic, ut non sit magis entitativè completa, (quidquid sit affectivè) quàm formæ essentia. Probatur ultima consequentia: quia alioqui vel esset existentia una indivisibilis totius, id est, sui & formæ? & hoc non, quia hæc est completa, & simul etiam formæ, ac proinde incomplebilis per existentiam formæ contra exigentiam existentiæ materiæ: vel existentia ipsius formæ? & hoc etiam non; quia, sicut essentia formæ est incompleta, ita & ipsius existentia; ac proindè, quia, sicut essentia formæ petit compleri per essentiam propriâ materiæ primæ; ita existentia formæ petit cõpleri per existentiam propriam materiæ, ergo, &c.

CIII. Nec respondeat P. Oviedus hîc materiam habere propriam essentiam, non verò propriam existentiam; quia, quod ipse supra ad P. Arriagam, *hæc responsio friget, & negatâ pro secunda parte, gelascit*: maximè si advertatur materiam primam habere propriam existentiam non impedire quòminùs materia prima sit pura potentia sensu ab Aristotele intento, id est, sustentationis; ita scilicet, ut sustentet, & non sustentetur ab alio tamquam subjecto sustentationis; juxta præmissa Dub. 3. Resol. 1ª. Hinc tamen

CIV. Colliges 1°. contra D. Caramuelem Metaph. libro 3°. sect. 2ª. Dub. 4°. dici non posse (propter rationem allatam, quæ applicari potest formæ) materiam habere propriam existentiam, & formam existere existentiâ materiæ; neque ratio, quam adfert ex sancto Thoma 1. p. q. 39. art. 2. ad 3um, scilicet, *essentia dicitur ab essendo, natura ab operando*, quidquam tale probat; tum quia essentia & natura frustra realiter distinguuntur; malè enim per essentiam intelligit materiam, & per naturam naturalitatem sive physicam formam; tum quia si per ly essendo intelligatur existendo (ut intelligit) essentia separari potest ab essendo, ut patet in merè possibilibus; non verò natura, supposito quòd dicatur ab operando; nam operari supponit existere: S. Thomas autem ibi non distinguit essentiam realiter à natura, quia Deo utramque tribui significat, sed solùm vult aliunde essentiam, aliunde naturam dici, licèt una sit utriusque entitas.

CV. Colliges 2°. contra eundem ibidem falsum esse, in corpore naturali existente non dari nisi unam simplicem existentiam, quæ subsistentiam afficiat; tum quia illa foret incompleta, non secus ac ipsa subsistentia, quam afficeret, incompleta foret: tum denique, quia sicut subsistentia formæ non est complementum ultimum materiæ primæ secundùm esse essentiæ; alioqui non distingueretur ab existentia; sed secundùm esse existentiæ; ita nec est illius existentia: ratio autem præfati authoris, videlicet, *non potest intelligi subsistentia* (quam supponit esse fundamentum naturæ substantialis) *actualiter existens actualiter sustentare naturam, & hanc non existere, quia*, inquit, *cum verum est dicere, subsistentia actualiter sustentat naturam, est etiam verum dicere, natura sustentatur actualiter à subsistentia, ergo etiam erit verum dicere natura existit*: nulla est: quæro enim quare intelligi non posset subsistentiam existentem sustentare actualiter (quia est actu) naturam non existentem; sicut rectè intelligitur, in ipsius sententia, subsistentiam non existentem sustentare actualiter (saltem consecutivè) existentiam: deindè argumentum ipsius retorqueo hoc modo, cum verum sit dicere in ipsius sententia, *subsistentia non existens actualiter sustentat existentiam*; à pari verum est dicere è converso, *subsistentia existens sustentat actualiter naturam non existentem*; ergo totum ipsius argumentum nullum est: denique, sicut per hoc, quòd aliquid per unionem A. unito uniatur, non propterea unitur in se per unionem A. & per hoc, quòd aliquid uniatur ubicato, non propterea ubicatur per ubi ejus; ita per hoc, quòd aliquid uniatur subsistentiæ existenti, non propterea existit per existentiam illius; videtur enim esse omnimoda paritas.

CVI. Confirmatur Resolutio: omnino superfluum est, tot in materia prima admittere diversas existẽtias, ac proinde toties materiam primam transire de uno esse ad aliud, quot formas acquirit, novas; sed hoc fieret; ergo &c: minor patet: Probatur major; quia nulla est necessitas ita existentias, &c.

multiplicandi, cum fine incommodo, & naturæ ipsius materiæ primæ conformiùs dici possit materiam primam habere propriam existentiam, sicut habet propriam essentiam, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

CVII. Objicies 1°. materia prima propter puram suam potentialitatem, non habet existentiam sibi identificatam; bene autem forma propter suam actualitatem; ergo materia non habet propriam existentiam, ac proinde existit per existentiam formæ.

CVIII. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in adversarios: vel enim materia prima habet puram potentialitatem secundùm esse essentiæ, vel secundùm esse existentiæ? si secundùm esse essentiæ, adhuc, non obstante propriâ existentiâ, eam retinet, quia secundùm esse essentiæ ita sustentat, ut non sustentetur; ita existit, ut secundùm esse essentiæ existentiam non includat: si secundùm esse existentiæ, quomodo dicis illam habere puram potentialitatem secundùm esse existentiæ, secundùm quod essentialiter includit actum existentiæ? quòd respondebis applica tuo argumento.

CIX. Respondeo 2°. puram potentialitatem materiæ non impedire, quò minùs materia habeat existentiam sibi identificatam (ut probatum est dubio superiori) quia tamen nunc gratis damus eam non habere sibi identificatam; aliter

CX. Respondeo 3°. potentialitatem materiæ puram, cùm sit tantùm sustentationis (ut sæpe diximus) & secundùm esse essentiæ, (ut sequitur ex nostro supposito quòd existentia materiæ distinguatur realiter ab essentia materiæ) non impedire, quò minùs habeat existentiam propriam: quam secundùm esse essentiæ sive secundùm quod potentia est recipiat: Vnde nego assumptum; neque enim est ratio cur forma potiùs habeat existentiam sibi identificatam, quàm materia prima; cum autem supponitur materiam primam eam habere realiter à se distinctam, idem de forma supponitur, uti & formam illam secundùm esse essentiæ recipere.

CXI. Objicies 2°. *esse*, sive *existere est propter operari*; sed materia prima nullum habet operari; ergò neque esse.

CXII. Respondeo distinguendo majorem: *esse est propter operari* proprium vel alienum, concedo majorem; propter proprium, nego majorem; nam sive materia existat per existentiam propriam, ut docemus; sive per existentiam formæ ut communiter volunt Thomistæ; sive forma existat per existentiam materiæ primæ, ut vult (sed non bene probat) Caramuel; materiæ existere numquam est propter proprium operari indebitorum, ut probatum est Dub. 3. Resol. 4. nec proprius effectus ejus in genere causæ efficientis assignari potest, præter quantitatem Physicam (quam esse fictitiam, probavimus in Logica) aut potentiam instrumentalem receptivam, de qua postea: unde materiæ existere, non est nisi propter pati, & sustentare operari alienum (ut consideranti patebit) & operari potentiæ istius instrumentalis tantùm tamquam effectus proprii. dixi *nec proprius effectus*; nam materiæ effectum cuivis enti communem, videlicet existentiam, ubi, durationem &c. facile est assignare.

Resolutio. II.

CXIII. Dico 2°. probabile tamen est materiam primam existere per existentiam materiæ & formæ indivisibiliter communem; non verò per propriam incompletam tantùm.

CXIV. Probatur, probabile est materiam primam subsistere per subsistentiam materiæ & formæ indivisibiliter communem, non verò per propriam incompletam tantùm; ergò similiter probabile est materiam primam existere per existentiam, &c. Probatur consequentia, quia cum existentia, in data hypothesi, non minùs sit realiter distincta ab essentia, quàm subsistentia ab existentia, rectè dicitur se habere ad essentiam, sicut subsistentia ad existentiam; sed hæc est existentiæ totius compositi, & non solius materiæ primæ, ut probabitur infrà; ergo & existentia: Probatur hoc assumptum, quia, sicut subsistentia materiam primam ultimò complet in existere, ita existentia materiam primam ultimò complet in esse; ergò &c.

CXV. Confirmatur, nulla est necessitas multiplicandi existentias, ut solutione argumentorum patebit; ergò &c.

CXVI. Objicies 1°. alia est ratio dicendi materiam subsistere per subsistentiam totalem & utrique communem; alia, existere per existentiam talem vel talem, ergo, &c.

CXVII. Respondeo negando antecedens, de quo Resolutione 3ª; quia in hypothesi distinctionis realis existentiæ à materia, non video ullam necessitatem distinguendi modum, quo se habet existentia ad essentiam, à modo, quo se habet subsistentia ad existentiam: nam sicut hæc materiam primam ultimò complet in existere, ita ista illam ultimò complet in esse.

CXVIII. Objicies 2°. res non aliter producuntur, quàm per productionem suæ existentiæ; sed materia prima non producitur per productionem existentiæ formæ; ergo per productionem propriæ; ergo materia prima habet propriam existentiam: Probatur minor, quia existentia formæ, & consequenter forma ipsa, saltem materialis, generatur, materia autem creatur, ergò, &c.

CXIX. Respondeo hoc argumentum habere quidem vim contra Thomistas, qui concedere debent majorem, ne alioqui admittere debeant absolutè dari aliquid productum non existens: minimè verò contra nos, qui majorem in data hypothesi (licèt absolutè veram) negandam putamus, &, stando in hypothesi ista, dicimus productionem terminari ad id, quod recipit existentiam materiæ, sive ad essentiam materiæ, ut realiter ab existentia ejusdem distinctam; si enim secundùm illam supponatur capax aliquid realiter recipere, erit etiam capax secundùm illam realiter produci; per creationem quidem secundùm esse essentiæ, per generationem verò secundùm esse existentiæ: unde minor est vera, & eâ non obstante, consequentia est falsa; sed addi potest, materiam, nec produci per existentiam incompletam formæ, nec per propriam, sed per communem totius, sic nempe, ut materia secundùm hanc existentiam terminet generationem, & secundùm essentiam creationem, ut ante dictum est.

CXX. Objicies 3°. compositum pendet à priori à materia prima; ergo materia non existit per existentiam totius compositi: Probatur consequentia, quia aliàs etiam materia penderet à priori à composito, & consequenter à seipsa; ac proinde daretur mutua causalitas, tum compositi ad materiam, tum materiæ ad seipsam & compositum.

CXXI. Respondeo distinguendo antecedens: compo-

compositum inadæquatè sumptum, & secundùm unam partem, scilicet formam, pendet à priori à materia prima, concedo Antecedens; secundùm alteram partem, scilicet materiam existentem, nego Antecedens; alioqui enim idem penderet à priori à seipso, quod intelligi non potest.

CXXII. Adde tamen, in data hypothesi distinctionis realis existentiæ materiæ primæ à materia prima, non fore ut materia pendeat à priori à composito; quia existentia completa compositi materiæ & formæ communis adhuc à materia antecedenter non existente pendere deberet, sicut in illa antecedenter non existente, in hypothesi ista, recipi, & ex ea educi deberet; hæc quidem, fateor, sunt absolutè loquendo, & extra hypothesim positam, omnino exotica, verumtamen ex ea legitimè sequi, suadet ratio.

CXXIII. Objicies 4°. si probabile est materiam primam subsistere per subsistentiam materiæ & formæ indivisibiliter communem; superfluum non est tot in materia admittere diversas existentias, quot diversæ in ea succedunt formæ; ergo vel confirmatio præcedentis Resolutionis non est probabilis; vel hæc probatio hujus est improbabilis; assumptum patet, quia inde sequitur tot in materia admitti debere diversas existentias, quot diversæ in ea succedunt formæ.

CXXIV. Respondeo primum esse probabile, supponi ex infra probandis, videlicet, quia alioqui subsistentia materiæ esset ultimum complementum materiæ in existere, & non esset: esset, quia id est de ratione subsistentiæ: non esset; quia per subsistentiam formæ compleri deberet, sicut materia per formam, & existentia materiæ per existentiam formæ, compleri debent ex præmissis Resolutione 1ª: licèt autem hinc sequatur tot in materia admitti debere diversas subsistentias, & consequenter existentias, quot diversæ in ea succedunt formæ, idque sit omnino necessarium, & non superfluum, sistendo in allata ratione; aliud tamen contingit, & est superfluum, sistendo in proportione servanda, tali inter existentias & subsistentias, qualis inter materiam & formam reperitur; in proportione verò hac fundatur probabilitas primæ Resolutionis, sicut hæc Resolutio fundatur in definitionibus subsistentiæ & existentiæ. Vnde nego assumptum.

CXXV. Instabis, per responsionem istam non evacuatur tota difficultas Objectionis præcedentis; casu quo enim hæc proportio contra hanc Resolutionem, & definitiones illæ contra primam Resolutionem objiciantur, utraque magnam difficultatem patitur, ergo &c.

CXXVI. Respondeo negando assumptum; quia inprimis, si contra hanc Resolutionem proportio ista objiciatur, responderi debet illam, inter materiam quidem & formam servari posse; sed non inter materiæ & formæ existentias; ne existentia materiæ sit ultimum complementum materiæ in existere, & non sit: si verò contra primam Resolutionem definitiones existentiarum istarum objiciantur, Responderi potest existentiam incompletam materiæ esse ultimum complementum perfectibile in existere, & sic non absolutè ultimum; existentiam autem formæ esse ultimum complementum perfectivum in existere: unde patet utramque Resolutionem simul probabiliter sustineri posse: tamen

CXXVII. Vrgebis, ergo ratio suppositionis, propter quam probabile supponitur, non dari subsistentiam incompletam, videlicet, quia alioqui subsistentia materiæ esset ultimum complementum in subsistere, & non esset, non stat; quia distingui potest, admittendo esse ultimum complementum materiæ perfectibile in subsistere; negando verò esse ultimum complementum materiæ perfectivum in subsistere, ergo, &c.

CXXVIII. Respondeo sistendo in hac Resolutione, nullam esse necessitatem dividendi existentiam, subsistentiam, &c. sive ultimum complementum, &c. in materiale seu perfectibile, & formale seu perfectivum; quandoquidem ex una parte, sive sic dividatur, sive non, id est, sive sint in corpore naturali duo partialia complementa, sive unum tantùm & totale; in omni generatione debeat existentia mutari: sive enim mutetur una partialis forma tantùm, sive mutetur una, quæ sit simul materiæ & formæ, omnino perinde est, quia una equidem mutatur, prout infra ostendemus, de ubi, quod, mutatâ materiâ in Eucharistia, mutatur, sive ubi specierum sit partiale, sive sit unum materiæ & ipsarum, prout unum esse utriusque, non obstante illâ mutatione, infra agētes de ubi propugnabimus.

CXXIX. Deinde si dicatur materiam posse creari naturaliter separatim ab omni forma, ac proinde debere habere existentiam propriam. Admisso antecedente, negari potest sequela; licèt enim dictæ species naturaliter existere non possint, nisi in loco materiæ; potest tamen materia creari (dato quòd existentia realiter distinguatur à materia, quod hîc supponitur) sine existentia; quia si receptio existentiæ propriæ ad materiā ut sic terminari potest, potest & creatio propria ad illam ut sic terminari; ac proinde ex eo quòd creari possit separatim ab omni forma, non sequitur illam debere habere existentiam propriam.

DVBIVM V.

An materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis.

Ante Resolutionem

CXXX. Suppono 1°. generationem & corruptionem posse dupliciter accipi; primò latè, & sic generatio *est quæcumque productio*, sive *creativa*, sive *eductiva, formæ ex præjacente subjecto*; corruptio verò è contra *quæcumque desitio*, sive *annihilativa*, sive *alia, aliquo remanente subjecto*: secundò strictè, & sic generatio *est productio formæ ex præjacente subjecto*; corruptio verò è contra, *desitio formæ aliquo remanente subjecto*.

CXXXI. Suppono 2°. certum esse materiam primam esse à Deo latè generabilem & corruptibilem, id est, creabilem & annihilabilem: quia creaturæ ab ipso pendent in fieri & conservari, ut Catholicorum negabit nullus, haud minùs, quàm species Eucharisticæ, quæ in omnium, sententia, vel secundùm se, vel secundùm quantitatem basim, modò creantur, & ante consecrationem generabantur.

Resolutio I.

CXXXII. Dico 1°. materia prima est latè generabilis & corruptibilis à creatura, suppositâ veritate Resolutionis, quâ docebimus

infra, esse possibilem creaturam, quæ connaturaliter creet & annihilet. Resolutio hæc explicatis terminis, in illa hypothesi evidens est, nec aliâ probatione indiget. Quare sit

Resolutio II.

CXXXIII. Dico 2°. nulla creatura est assignabilis, à qua de facto materia prima latè corrumpatur, aut latè generetur.

Probatur, quia ejus est corrumpere latè, sive annihilare, cujus est creare: atqui non est creaturæ, sed proprium Creatoris de facto creare, ergo, &c. minor certa est apud omnes Theologos: probatur major; ejus est latè corrumpere, seu annihilare, cujus est substrahere concursum creativum; sed solus Creator habet talem concursum, ergò, &c.

CXXXIV. Nec dicas 1°. materiâ primam de facto posse annihilari à creatura, vel per improductionem formæ illius esse contrariæ; vel per ejectionem omnium formarum substantialium, à quarum aliqua indeterminatè à posteriori in conservari pendet: quia inprimis, cum exigat omnem formam materialem successivè, utpote illius subjectum connaturale, nulla illi contraria assignari potest, ne alioqui dicatur exigere sui destructionem, contra naturalem cæterorum entium experientiam: deinde falsum est (ut probabimus infra) materiam pendere à posteriori ab aliqua formarum materialium, siquidem potest naturaliter conservari sine omni forma (saltem substantiali, de qua esse debet sermo) ut paulò infra probabitur.

CXXXV. Nec dicas 2°. non est genitoris corrumpere strictè, quia aqua corrumpit ignem, quem non generavit, ergo nec Creatoris annihilare: quia meritò negatur consequentia; est enim disparitas, nempè quòd corruptio strictè non per solam substractionem concursus fieri debeat, sed etiam fieri possit per improductionem dispositionum contrariarum; annihilatio verò per solam substractionem concursus, ut patet ex iam dictis.

CXXXVI. Quæri & resolvi hîc ulterius solet 1°. an materia prima sit aliquâ potentiâ strictè generabilis, aut strictè corruptibilis? sed quia affirmativa, quæ à dicendis infra de eductione formæ pendet, nobis est probabilior, vide illius Resolutionem infra, ubi de eductione formæ agimus. 2°. an de facto sit per creationem, an per generationem à Deo producta? sed quia id etiam à dicendis infra de subsistentia basi pendet, similiter infra resolvetur.

Dvbivm VI.

An Materia prima appetat omnes formas, & quo appetitu.

CXXXVII. Ante Resolutionem Suppono 1°. duplicem distingui à Philosophis appetitum: unum Physicum & innatum sive improprium; alterum vitalem & elicitum sive proprium: elicitus, qui ab eo quòd contingenter eliciatur, talis dicitur, *est actus, quo anima mediâ cognitione bonum suum prosequitur*; quare dic appetitum elicitum solis viventibus cognoscitivis esse proprium: innatus verò, qui, ab eo quòd connaturaliter in natura nascatur, talis dicitur, *est quælibet propensio à Deo naturæ ingenita in bonum suum*: unde appetitus innatus, etiam non viventibus convenit; appetitus tamen rectè dicitur nomen analogum respectu eliciti & innati, sic ut isti principaliter, huic per Analogiam ad istum tribuatur.

CXXXVIII. Suppono 2°. appetitum elicitum esse triplicem: primum *desiderii*, & est, *qui prosequitur bonum apprehensum ut absens*; secundum *gaudii*, & est, *qui fertur in bonum apprehensum ut præsens*: tertium denique *simplicis complacentiæ*, & est, *qui prosequitur bonum secundum se, ab illius præsentia aut absentia, &c. præscindendo.*

CXXXIX. Suppono 3o. eâdem improprietate & metaphorâ, quâ aliquid dicitur appeti appetitu innato, dici posse appeti appetitu *desiderii, gaudii & simplicis complacentiæ*; si enim appetitus, qui propriè loquendo, semper est elicitus, impropriè & per metaphoram rectè dicatur innatus; appetitus *desiderii, gaudii* &c. qui propriè loquendo, semper est elicitus *gaudii*, *desiderii* &c. impropriè & per metaphoram rectè dicetur innatus *desiderii, gaudii* &c.

CXL. Dixi eâdem metaphorâ; quia ideo tantùm res inanimatæ dicuntur habere appetitum, quiâ, sicut animata appetitiva eliciunt veram & realem appetitionem objecti ab eis cogniti sub ratione boni & convenientis; ita illæ omnem suam perfectionem naturalem veram & realem à se distinctam elicerent, si potentiam appetitivam haberent.

CXLI. Suppono 4°. materiam hîc debere nudè & secundùm se accipi, nam de vestita dispositionibus ad formam introducendam necessariis, omninò aliter philosophandum esset, ut ex sequentibus constabit. His suppositis sit

Resolutio I.

CXLII. Dico 1°. Materia prima appetit appetitu *desiderii* formas absentes, sive quas non habet, successivè habendas.

CXLIII. Probatur, quia Materia prima appetit vicissitudinem generationum, ergo & formas absentes appetitu *desiderii*: consequentia patet; quia vicissitudo generationum esse non potest, nisi per acquisitionem formarum absentium: Probatur antecedens; quia vicissitudo generationum est bonum Vniversi, ac proinde Materiæ primæ; quia bonum totius est bonum partis; nec est alia pars Vniversi assignabilis, quæ vicissitudinem generationum exigat, ergò, &c.

CXLIV. Objicies tamen ex P. Oviedo hîc, qui contrariam verissimam putat, & dicit se facilè eam probare hâc ratione; Materia prima, dum habet formam substantialem sibi unitam cum omnibus ad unionem requisitis, habet satiatum appetitum, etiamsi perpetuò duret sub eadem forma; ergò non appetit appetitu *desiderii* omnes formas successivè habendas.

CXLV. Confirmatur, quia si appeteret formas absentes, appeteret destructionem præsentis; sed hoc est absurdum; ergò, &c. Probatur minor, quia non est violentè, sed naturaliter sub illa, ergò, &c.

CXLVI. Respondeo distinguendo antecedens, materia prima, dum habet formam substantialem, &c. habet appetitum *gaudii* perfectè satiatum, concedo antecedens; nec mirum, quia appetitus *gaudii* fertur in formam præsentem, cum qua materia prima aliam (saltem in gradu intenso) simul habere non potest: appetitu *desiderii*; nego antecedens; nam, cum etiam in vicissitudinem generationum feratur, consequenter in formas absentes ferri debet.

CXLVII. Respondeo ad Confirmationem distinguendo

distinguendo majorem, appeteret destructionem præsentis per accidens, inquantum eâ stante non potest haberi vicissitudo generationum, quam appetit, concedo majorem; per se, nego majorem; nam simpliciter ipsi melius esset informari pluribus formis, & fieri novas generationes, aliis, quæ præfuerunt, remanentibus, quàm unicâ informari, illis, quæ præfuerunt, pereuntibus: quia materia non aliter appetit destructionē formæ præcedentis, quàm generatio, aut forma succedens illam appetat, ut præmissa consideranti patebit.

Resolutio II.

CXLVIII. Dico 2°. materia prima appetit appetitu *gaudii* formam substantialem, quam habet; non quidem quatenus illa est in particulari; sed quatenus ab illa substantialiter completur.

CXLIX. Probatur: quia forma substantialis, quam habet, est bonum materiæ præsens, sive possessum; sed appetitus *gaudii* fertur in bonum præsens, sive possessum, ergò, &c.

CL. Dixi *non quidem quatenùs illa est in particulari*; quia quælibet, per quam substantialiter completur materia, est bonum materiæ; unde appetitu *gaudii* unam præ aliâ non appetit.

CLI. Objicies 1°. appetitus *gaudii* materiæ primæ à materia prima non distinguitur; sed materia prima est eadem, sive forma sit præsens, sive absens; ergò eodem semper appetitu appetit formas aut præsentes, aut absentes; ac proinde vel semper appetitu *desiderii*, vel semper appetitu *simplicis complacentiæ*; prout vis.

CLII. Respondeo distinguendo antecedens, appetitus *gaudii* radicalis (de quo hîc) materiæ primæ, non distinguitur à materia prima spectatus secundùm intrinseca, & ea, quæ dicit in recto, concedo antecedens: secundùm extrinseca, & ea, quæ dicit in obliquo, nego antecedens: appetitus enim elicitus (à quo per metaphoram innatus) radicalis dicit relationem transcendentalem ad objectum, & quidem *desiderii*, si objectum sit absens & ut tale cognitum, *gaudii*, si præsens, &c. unde appetitus materiæ innatus radicalis in recto dicit materiam, in obliquo, loco objecti, formam.

CLIII. Objicies 2°. Appetitus supponit indigentiam; sed materia non indiget formâ, quam habet, ex quo colligit Aristoteles formam non appetere seipsam, quia non indiget seipsâ, eò quòd seipsam habeat; ergò materia prima non appetit appetitu *gaudii* formam substantialem, quā habet.

CLIV. Respondeo distinguendo assumptum appetitus *desiderii* supponit indigentiam, concedo assumptum; siquidem est rei absentis: *gaudii*, nego assumptum; quia est rei præsentis & possessæ. Adde dici posse materiam indigere formâ, quam habet, provisionaliter, ne videlicet, ejus & aliarum privatione, turpis fiat & deformis, siquidem *formam appetit ut turpe pulchrum*, inquit Aristoteles hîc textu 81.

Resolutio III.

CLV. Dico 3°. contra PP. Arriagam, Oviedum & D. Caramuëlem Metaph. libro 3°. sect. 2°. Materia prima (scilicet corporum sublunarium) appetit omnem formam substantialem (scilicet sublunarem) præsentem & absentem, corruptam & non corruptam possibilem; producendam vel non producendam, appetitu simplicis complacentiæ. Ante probationem verò

CLVI. Ratio harum restrictionum est: quòd, sicut materia cœli, si distinguatur specie à sublunari, non appetit formas sublunares; ita nec materia nostra appetit cœlestes.

CLVII. Probatur Resolutio; quia appetitus materiæ simplicis complacentiæ nihil aliud est, quàm intrinseca potentia & capacitas ipsius materiæ ad formam; sed illa eadem est, sive forma sit præsens, sive absens; sive corrupta, sive non corrupta, &c. ergò, &c. Probatur major, quia appetitus ille à præsentia vel absentia, corruptione vel non corruptione, &c. formæ, præscindit, ut constat ex ejus definitione, ergò, &c.

CLVIII. Confirmatur, quia sive forma sit de possibili facta impossibilis, sive de novo naturaliter producibilis, sive non, nihil mutatur ex parte materiæ, sed tota mutatio fit ex parte formæ; ante illam verò impossibilitatem aut improducibilitatem naturalem, materia habebat appetitum ad illas omnes, ergò & post; quia post non est mutata, ut patet.

CLIX. Objicies 1°. appetitus materiæ est inclinatio ad bonum naturaliter possibile: sed productio formæ corruptæ non est naturaliter possibilis; ergò ad formam corruptam non est appetitus in materia.

CLX. Respondeo distinguendo majorem: appetitus materiæ est inclinatio ad bonum naturaliter possibile pro eo statu, pro quo ab ea aliquando perficitur, concedo majorem; pro eo statu, pro quo ab ea numquam perficitur, nego majorem; quia, ut patet, talis inclinatio & appetitus omnino superfluus est: quia tamen forma in statu corruptionis existens, in quo materiam numquam perficit, aliquando est in statu productionis, formam corruptam positivè appetit, præscindendo à statu in quo est, licèt eam ut corruptam non appetat, nisi privativè.

CLXI. Instabis appetitus materiæ dicit in suo conceptu formali negationem primæ productionis formæ, sic ut forma, quam appetit, non sit primò producta, ergò, &c.

CLXII. Respondeo negando assumptum; quia appetitus materiæ nihil plus est ex parte materiæ, quàm materia ipsa, ut per se patet; ex parte verò materiæ & extrinsecorum nihil plus quàm materia ipsa & formæ, quæ in aliquo statu (si actuetur) materiam aliquando perficiunt, sive pro hoc statu sint primò productæ, sive non; sive sint corruptæ, sive non, &c. quia illas non appetit ut præsentes, futuras aut præteritas; sed ut formas à quibus in aliquo statu (si actuetur) aliquando perficitur: de corruptis autem verum est dicere, quòd materia aliquando ab illis perficiatur, licèt numquam ab illis perficiatur ut corruptis, quia non asserimus materiam appetere formas ut corruptas, sed corruptas.

CLXIII. Objicies 2°. potentia materiæ mutatur per hoc, quòd forma corrupta de possibili fiat naturaliter impossibilis; ergò eadem non est ad formas corruptas & non corruptas; ac per consequēs, nec idem illius appetitus complacentiæ, qui, ut dictum est, identificatur ipsi potentiæ.

CLXIV. Respondeo negando antecedens: nam sicut forma non obstante suâ corruptione, semper manet

manet ex conditione sua intrinseca naturaliter producibilis, licèt per accidens naturaliter reproduci non possit, ratione decreti Dei extrinseci, quo voluit formam semel corruptam non reproduci naturaliter ad majorem decorem Vniversi, rerumque in eo varietatem; ita potentia materiæ semper remanet ex conditione sua intrinseca eadem, ac per consequens semper ex conditione sua intrinseca formas corruptas appetit; licèt per accidens, non secus ac illæ, quas Deus numquam decrevit producere, naturaliter reproduci non possint: & ratio est, quia illæ aliquando existunt, & illa ab illis aliquando perficitur: materia verò prima appetit omnem formam, à qua aliquando perficitur, nec discernit inter perfectionem suam naturaliter possibilem, & per accidens absolutè, sive supernatur aliter tantùm possibilem.

CLXV. Nec dici potest cum nonnullis materiam per accidens non appetere formam corruptam: quia ly *per accidens* in proposito, non debet appellare *materiam*, ut sit sensus, materia per accidens appetit formam corruptam, & naturaliter impossibilē; sed *formam*, ut sit sensus, materia appetit naturaliter formā corruptam, per accidens naturaliter impossibilem.

CLXVI. Objicies 3o. non possunt omnes formæ simul recipi in materia; ergò eas omnes non appetit appetitu complacentiæ, &c.

CLXVII. Respondeo negando consequentiam; quia cum appetitus complacentiæ abstrahat ab absentia & præsentia formarum, sufficit, quòd sit capax earum successivè habendarum, indeque ut summùm sequi potest materiam illas omnes simul non appetere appetitu *gaudii*, ut cōsideranti patebit.

CLXVIII. Instabis: si materia prima omnes formas appeteret, simul omnes appeteret; sed hoc dici non potest, ergò, &c.

CLXIX. Respondeo distinguendo sequelam, simul omnes appeteret simultate appetitus simplicis complacentiæ, concedo sequelam; simultate objecti, vel existentiæ omnium formarum in materia, nego sequelam; quia illas tantùm appetit successivè habendas, ut diximus, idque non absolutè, sed conditionatè & provisionaliter, *si hâc privetur*.

Resolutio IV.

CLXX. Dico 4o. materia æqualiter omnes formas substantiales appetit: ita Ruvius q. 7. Dub. 2o. Aversa q. 20. sect. 21. Fuent. q. 2. diff. 3. art. 3o. Arriaga disp. 2o. sect. 4a. contra Mastrium hîc q. 6. art. 2o. Poncium, Comptonum, &c.

CLXXI. Probatur, quia, licèt formæ imperfectiores substantiales non sint æquale complementum substantiale in esse naturæ, ac perfectiores; sic sunt tamen tale ejus complementum, ut vicissitudinariq ejus perfectibilitati melius sit eas per vicissitudinē habere, quàm perfectiorē semper habere, ergò, &c.

CLXXII. Dices tamen ex P. Comptono: omnis res inclinatur magis ad majorem suam perfectionem, ergò, &c.

CLXXIII. Respondeo distinguendo antecedens: omnis res bono Vniversi, sive Comunitatis, destinata, ut est materia prima, utpote subjectum vicissitudinis generationum, quam exigit decor Vniversi, inclinatur magis ad majorem perfectionem Vniversi, concedo antecedens; ad majorem perfectionem particularem, nego antecedens; quia res bono Vniversi, sive Communitatis, destinata, sequitur exigentiam boni Vniversi, ad quod destinatur; major autem est Vniversi & Communitatis perfectio, materiam habere indifferentiam ad omnes formas, quā particularem inclinationem ad perfectiores; quia alioqui vicissitudo generationum, per quā Vniversum seu Communitas multùm perficitur, impediretur; minimè verò in casu Resolutionis.

CLXXIV. Instabis ex P. Poncio: appetitus materiæ nihil aliud est, quàm perfectibilitas ejus; sed materia est magis perfectibilis per formam perfectiorem, quàm per imperfectiorem; quandoquidem cum ipsa componat compositum perfectius, quàm cum imperfectiori, ergò, &c.

CLXXV. Respondeo negando minorem, quia perfectibilitas intrinseca materiæ non debet peti à perfectione extrinseca formæ, sed ab intrinseca, utpote intrinseca, quæ non admittit magis & minus, sive in perfectibilitate distinctionem objectivam, aut ex natura rei, ut supra vidimus: hoc tamen modo distingui potest Minor; perfectibilitas materiæ, quà permanens, sive quà subjecti permanentiæ formæ in ipsa, est magis perfectibilis ratione nostrâ formali, concedo minorem; quà vicissitudinaria, sive quà subjecti vicissitudinis formarum in ipsa, nego minorem: patet autem quâ ratione materia cum forma perfectiori faciat compositum perfectius, videlicet ratione formæ, nō ratione sui.

CLXXVI. Vrgebis ex P. Comptono: etiam perfectibilitas, sive potiùs perfectio amoris creaturæ propter Deum, & medicinæ propter sanitatem, est isto modo indivisibilis; magis tamen & minus admittit; sic ut creatura magis Deum, quàm creaturas; magis sanitatem, quàm medicinam appetat: idem etiam contingit in visione Dei & creaturæ in Deo, quæ respectu Dei est distinctior, respectu creaturæ minùs distincta & abstractiva, ergò, &c.

CLXXVII. Respondeo distinguendo assumptum pro secunda parte: magis tamen & minus perfectio amoris, &c. admittit, absolutè & secundùm se sumpta, nego assumptum; ratio sumitur ex dictis contra distinctionem Thomisticam & Scousticam in Logica, Tract. 1o. Disp. 2a. in quorum laqueos hîc incidit P. Comptonus, putans vitare sententiam P. Arriagæ: prout per diversos actus mentis in ordine ad diversa objecta inadæquatè ex parte actus concipitur, concedo assumptum; sed hinc inferri non potest admittere intrinsecè magis & minùs sub his terminis, magis quàm admitti possit Petrum esse animal & hominem sub his terminis ante intellectum. De quo fusè in Logica Tract. 1o. Disp. 1a. num. 30. & 31. ac Disp. 2a. num. 227.

DVBIVM VII.

An Potentia per quam materia recipit formas substantiales distinguatur realiter ab illa.

CLXXVIII. ANte Resolutionem Suppono 1o. per potentiam, hîc non intelligi dispositiones prævias ad introductionem formæ; sed quidpiam medium inter materiam & formam substantialem, in quo hæc, tamquàm in subjecto sustentationis, sustentetur.

CLXXIX. Suppono 2o. multùm distingui, *materiam esse potentiam; esse potentiâ; & esse in potentia: quia esse potentiam*, est non esse actum illi potentiæ oppositum; sustentationis, si potentia sustentationis; informationis, si informationis, &c. *materiam esse potentiâ*, est posse esse, sive existere: *esse in potentia*, est materiam posse habere formam, quam non habet. His suppositis, sit

Reso-

RESOLUTIO.

CLXXX. DIco contra Hervæum, Capreolum, Soncinatem, Ioan. à S. Thoma. & è Societate, Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles & Comptonum; è Scotistis verò Poncium: potentia per quam materia prima recipit formas substantiales distinguitur realiter ab illa: ita Pererius, Iandunus, Toletus apud P. Poncium hic 2°. q. 9. art. 2°. & 3°. q. 6. Disp. 3ª. ita etiam noster Bacho Quodl. licèt eam aliter, quàm nos explicet: item D. Caramuël Metaph. lib. 3°. Disp. 7. Averroës & Themistius juxta P. Comptonum Phys. Disp. 7. sect. 4ª.

CLXXXI. Probatur, potentia, sive instrumentum causæ efficientis substantialis corporeæ inanimatæ, distinguitur realiter à causa efficiente corporea, ut probabitur infra, & experientia docet ignem agere per calorem, aquam per frigus; ergò & potentia, sive instrumentum causæ substantialis materialis corporeæ inanimatæ, uti est materia prima: consequentia tenet à pari, vel potiùs à fortiori; quia imperfectiones agentium perfectiorum tribuuntur imperfectioribus, quamdiu experientia contrarium non docet, licèt horum imperfectiones perfectioribus non tribuantur: quod totum patet in subsistentia realiter distincta, quę brutis rationabiliter tribuitur, quia homine imperfectiora, non verò Angelis, quia uti sunt homine perfectiores, ita simpliciores; materia autē est longè imperfectior igne, aquâ, &c.

CLXXXII. Respondet P. Oviedus hîc se disparitatem non vulgarem facilè ostendere; ex eo, quòd forma substantialis educta debeat cōstituere unum compositum substantiale, & essentiale cum subjecto, ex quo educitur; quod cùm facere non possit cū potentia accidentali, qualis esset illa potentia realiter distincta, fit, ut recipi, vel educi non possit ex potentia accidentali: unde sequitur (inquit) non dari talem potentiam à materia realiter distinctam. Sed

CLXXXIII. Contra est, quòd forma substantialis educta non debeat constituere compositum substantiale & essentiale cum subjecto *quo* ac instrumentali, ex quo educitur, quale est illa potentia; sed cum subjecto *quod* & principali, quale est materia prima: Ratio est 1°. quòd sicut actiones, ita & passiones sint suppositorum; potentia autem illa non est suppositum, sed benè materia in qua ipsa recipitur. 2°. & fortiùs; ideo in cōmuni sententia forma substantialis non potest constituere unum per se substantiale, & essentiale cum generatione passiva, id est, cum receptione formæ, quia hæc est tantùm subjectum *quo* formæ; ergo propter eandem rationem, nec poterit constituere cum potentia ista unum per se substantiale, quia illa est tantùm subjectū *quo* formæ. 3°. fortissimè; sicut in sententia P. Oviedi & aliorum, subjectum eductionis, nec debet, nec potest constituere compositum per se substantiale cum instrumento formæ effectivo & ad eam dispositivo, quod in se habet, licèt debeat cum forma; ita similiter forma, nec debet, nec potest cōstituere compositum substantiale cum instrumento subjecti eductionis, licèt debeat cum subjecto eductionis.

CLXXXIV. Si verò urgeat hoc modo: vel forma substantialis educta uniretur immediatè isti potentiæ, quæ realiter distingueretur à materia, vel non? si primū, non faciet unum per se cum materia; si secundum, non erit subjectū instrumentale receptionis, uti nec instrumentale informationis, ut patet.

CLXXXV. Respondeo formam substantialē (cum, ut infra probabitur, eductio sit unio) proximè uniendam utrique, prout utraque erit proximè illius subjectum eductionis; sic tamē ut uni proximè uniatur tamquam subjecto eductionis principali, & quocum præcisè faciat unum per se substantiale; alteri tamquam subjecto eductionis instrumentali, & quocum præcisè non faciat nisi unum per accidens: idem enim proportionaliter contingit in effectu causæ efficientis, qui fit ab ipsa causa tamquam causâ principali, ab instrumento tamquam causâ instrumentali, ut igne A. v.g. qui ignem B. producit tamquam causa principalis, cum suo calore tamquam causa ejusdem ignis B. instrumentali.

CLXXXVI. Confirmatur, juxta communiorem sententiam datur potentia instrumentalis formarum accidentalium; ergò & substantialium: Probatur consequentia, quia sicut in causa efficiente, igne v.g. potentia instrumentalis effectiva accidentaliū, alterius caloris v. g. est & substantialium, alterius ignis v.g. ita potentia instrumentalis receptiva accidentalium, est & substantialium. Probatur antecedens ex Soncinate 12. Metap. q. 26. Iavello q. 8. Cajet. 1. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1°. & plurimis aliis.

CLXXXVII. Objicies 1°. forma seipsâ est actus sustentationis; ergò è converso materia prima est seipsâ subjectum sustentationis formæ: consequentia tenet à pari.

CLXXXVIII. Responsio quæ mihi primò occurrit, fuit retorsio in effectum causæ efficientis, qui producitur (ut communiter asserunt omnes) nullo ex parte sua mediante instrumento realiter à se distincto, licèt id mediet ex parte causæ efficientis: non est autem potior ratio, cur actus sustentationis sit talis per potentiam ex parte sua instrumentalem realiter à se distinctā, quàm effectus per instrumentum, &c. verùm non puto hanc responsionem omnino satisfacere: quæro enim cur non mediet ex parte effectus tale instrumentum, sicut mediat ex parte causæ? videtur enim esse paritas: nec obstare potest, quòd illud nō experiamur, quia etiam subsistentiam in nobis, aut brutis, realiter distinctam, in nobis, aut brutis, non experimur; illam tamen dari, ex eo, quòd in humanitate Christi data sit, rationabiliter inferimus. Quare aliter

CLXXXIX. Respondeo negādo antecedens; quia forma seipsâ non est actus sustentationis, sed mediante potentiâ sustentabilitatis ut instrumēto formali realiter à se distincto; sicut enim materia non est seipsâ subjectum sustentationis, sed mediante potentiâ sustentativitatis, ut instrumento materiali realiter à se distincto; sic forma, &c. unde proportionaliter ab authoribus omnibus videtur dicendum, effectum non fieri seipso, sed medio instrumento causali realiter à se distincto; ista tamen duo instrumenta non aliter distinguuntur, quam actio & passio, & de illis puto eodem modo philosophādum, ac de actione & passione; nec video quid aliud authores omnes, contra quos multùm militat hoc argumentū, respondere possint, licèt responsio primo intuitu videatur exotica, defectu autoritatis.

CLXXXX. Objicies 2°. si potentia per quam materia recipit formas substantiales distingueretur realiter à materia; vel materia illam reciperet mediante aliâ realiter distinctâ, vel non? si primum, idem de hac secundâ quæram, & sic in infinitum: si secundum, ergò jam dicis materiam primam esse immediatè receptivam istius potentiæ: si sic, quidni erit & formarum substantialium, quibus, utpote consubstantialibus, est magis proportionata.

CLXXXXI. Respondeo 1°. retorquendo argumē-

tum

tum in instrumentum causæ efficientis, calorem ignis v. g. vel enim causa efficiens suum instrumentũ producit mediante alio realiter distincto, vel non? si primum, idem de alio quæram, & sic in infinitũ: si secundum, ergò jam dicis causam efficientem esse immediatè ipsius instrumenti productivam; si sic, quidni erit & effectuum aliorum? quod negas.

CLXXXXII. Respondeo igitur 2°. materiam primam, illam potentiã recipere immediatè, sicut causa efficiens corporea suum instrumentum producit immediatè, ne alioqui sequatur processus in infinitum; & idipsum respondere debent omnes, qui admittunt in materia quantitatem realiter distinctam tamquam subjectum sustentationis accidentium materialium: unde non probo quod D. Caramuël loco citato docet nempè potentiam talem recepti vam esse cuicumque subjecto necessariam.

CLXXXXIII. Objicies 3o. potentia, &c. est essentialis materiæ; ergò non distinguitur realiter ab illa: Probatur antecedens, in quo sola difficultas, quia ab Aristotele hîc c. 9. & nobis supra, materia definitur per rationem primi subjecti, sive primæ potentiæ, &c. eò quòd sit essentialiter receptiva formæ, ergò, &c.

CLXXXXIV. Respondeo distinguendo antecedens potentia, &c. radicalis, principalis & *ut quod* materiæ, est essentialis materiæ, concedo antecedẽs: formalis, instrumentalis & *ut quo*, nego antecedens; non enim aliter convenit materiæ esse potentiam formalem, &c. quàm conveniat igni esse calidum formaliter; ac proinde sicut ignis maneret ignis, si ab eo realiter separaretur calor formalis, remanente solo radicali, id est, capacitate ignis ad illum producendum; ita remaneret materia, si ab ea realiter separaretur potentia dicta formalis, remanente solâ radicali, id est, capacitate ad formas recipiendas: hanc similiter solutionem adhibe huic argumento; pura potentia recipit, & non recipitur in alio: verum enim est de radicali; de formali potentia falsum; ut à simili patet in 1ª causa efficiente, quæ efficit & non efficitur, si 1ª radicalis, principalis & *ut quod*; efficit autẽ & efficitur si 1ª formalis, puta creata, instrumentalis & *ut quo*, ut consideranti patebit.

CLXXXXV. Instabis: illa potentia formalis realiter distincta omnino superflua est, ergò solutio nulla: Probatur antecedens, quia sicut causa efficiens ad intra agit immediatè seipsâ; ita causa materialis; nam quidquid causat, ad intra causat; ergò, &c.

CLXXXXVI. Respondeo negando antecedens; ad ejus probationem respondeo distinguendo antecedens: causa efficiens corporea inanimata ad intra agit immediatè suas proprietates, & instrumenta propria, concedo antecedens: effectus indebitos, & sine quibus realiter existere potest, nego antecedens; idipsumq; omnes negare tenentur: unde ex argumento tantùm sequitur, materiam primam suã potentiam (utpote proprietatem illius & instrumentum proprium) recipere immediatè seipsâ; alias verò formas substantiales, sine quibus naturaliter saltem determinatè, imò, ut postea, etiam absolutè, existere potest, & quę proinde sunt effectus indebiti, per potentiam realiter à se distinctam. Ex his

CLXXXXVII. Colliges hanc conclusionem non esse extendendam ad omne subjectum; quasi verò omne subjectum haberet potentiam receptivam à se realiter distinctam; sed ad subjectum dumtaxat corporeum inanimatum, (de spirituali enim & animato fortè aliter philosophandum, ut infra) formarum contingentium, id est, indebitarum & non connaturalium; quia sicut hæ immediatè producuntur sine medio instrumento, ita & immediatè recipiuntur, &c.

CLXXXXVIII. Objicies 4o. D. Thomas oppositum tenet pluribus locis, & nominatim 1°. Physic. lect. 15. ubi ait, *non igitur potẽtia materiæ est aliqua proprietas addita super essentiam ejus: sed materia secundùm suã substantiam est potentia ad esse substantiale*, ergò, &c.

CLXXXXIX. Respondeo inprimis, nos non profiteri doctrinam D. Thomæ purè Philosophicam, in eo rigore, in quo eam Thomistæ profitentur; sed sic tantùm, ut in iis, in quibus ad Theologiam spectat, eam revereamur, & secundùm Reverentiam tanto Doctori debitam, in bonum sensum interpretemur. verumtamen, hîc & alibi intelligi potest D. Thomas loqui de potentia principali ad esse substantiale, quæ ipsius materiæ substantia est, uti potentia effectiva principalis ignis, substantia ignis est; non de instrumentali, de qua in Resolut.

DVBIVM VIII.

Quomodo Materia pendeat à forma, & an naturaliter existere possit sine omni forma substantiali.

ANte Resolutionem

cc. Suppono 1°. rectè assignari duplicẽ dependentiam unius ab alio; prima dicitur à priori, & est dependentia effectus à causa efficiente, vel materiali, vel conditionali, sive conditione *sine qua non* necessariò præsuppositæ: primo modo calor ab igne; secundo forma ignis à materia; tertio calefactio ab approximatione pendet. Secunda à posteriori dicitur, & est connexio, quam habet una res cum alia; non quidem tanquam à causa efficiente, vel materiali, vel conditionali dicta; sed tamquam à re sine conjunctione ad quam, non debeatur illi naturaliter conservatio; sic ignis pendet à calore, & quævis entitas à suis passionibus.

cc1. Suppono 2°. utramq; dependentiam rectè subdividi in naturalem & essentialem: naturalis est, quæ divinitus suppleri potest; essentialis, quæ nullâ virtute, etiam divinâ suppleri potest, magis quàm essentia mutari; exemplũ naturalis sit dependentia ignis à calore suâ proprietate; exemplum essentialis, sit dependentia modi à proprio modificato. His suppositis, sit

Resolutio I.

cc11. DIco 1°. Materia prima nullo modo pendet à priori à forma substantiali, ita ferè omnes, sive Nominales, sive Scotistæ, sive Thomistæ & Societatis.

cc111. Probatur, quia materia prima non dependet à forma tanquam à causa efficiente, materiali aut conditionali dicta; sed non datur aliud genus dependentiæ à priori, ergò, &c. Probatur antecedẽs pro prima parte, quia per creationem efficitur, quæ, saltem per restrictionem ad creaturas præsentes aut præteritas, est propria Deo: item pro secunda, quia materia prima est positivè prima causa materialis, ut constat ex præmissis, unde deberet esse prior seipsâ, utpote causa materialis formæ, & posterior, utpote à forma tanquam causa materiali à priori pendens, quod implicat: deniq; pro tertia, quia forma, si materialis, à materia pendet ut à causa materiali (quod experiẽtia docet;) si spiritualis in primo produci ab ea etiam ad ipsam disposita, tanquam à conditione sine *qua non* necessariò prærequisita crearetur, pendet, ut infra patebit.

Confir-

CCIV. Confirmatur, quia materia alioqui generaretur, non secus ac forma ; quia non fieret ex nihilo, sed ex præjacente forma, sicut forma non fit ex nihilo, quia fit ex præjacente subjecto, propter quod generari dicitur, ergo, &c.

CCV. Objicies, materia est imperfectior formâ, ergo ab hac debet dependere à priori.

CCVI. Respondeo negando consequentiam, & argumentum apertè contra objicientem retorquetur in calorem efficienter producentem ignem B. & in approximationē necessariò prærequisitam ad combustionem; ignis B. enim est perfectior calore, & combustio approximatione ; ignis tamen B. & combustio ab illis pendent à priori, non è contra.

Resolutio II.

CCVII. Dico 2°, contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, Comptonum, Murciam, & Thomistas ac Scotistas communiter : materia nullo modo pendet à forma substantiali: unde, etiam semel informata aliquâ tali, potest naturaliter omni destitui: Ita Marsilius in 3. q. 13. art. 1°. Gregor. in 6^um^ Dist. 12. q. 2ª. Bur. 1. Phys. q. 1. quos citat, Murcia hîc Disp. 5. q. 6. materiamque 10. fuisse creatam sine omni forma substantiali docent plures, quos refert Argentinensis in 2. Dist. 12. q. unica art. 2°.

CCVIII. Adverte tamen ante probationem hîc à nobis, ut supra, gratis non dari, existentiam realiter distingui ab essentia; ac proinde probabile non esse quòd materia existat per existentiam totius; alioqui patet non posse existere sinè omni forma.

CCIX. Probatur 1°, materia prima creatur ; nec minùs subsistens est subsistentiâ partiali, quàm anima rationalis ; ergo non magis pendet in primo produci, aut conservari, ab aliqua forma substantiali, quàm anima rationalis, per se, & præscindendo à decreto Dei (quo, juxta communem, decrevit eam primò non producere nisi intuitu materiæ dispositæ) ab aliqua materia substantiali pendeat: atqui anima rationalis potest ab omni materia substantiali naturaliter separari; ergo & materia prima ab omni forma substantiali.

CCX. Nec obstat P. Poncius dicendo hanc rationem non esse adæquatam, cur anima rationalis non pendeat à posteriori à subjecto, sive cur naturaliter existere possit sine omni corpore : sed præterea, quia agens separans animam à corpore, non est naturaliter determinatum ad conjungendum aliud corpus cum ipsa; unde potest naturaliter existere sine omni corpore.

CCXI. Id nec obstat, inquam, quia nisi illud agens à Deo impediretur, id ex parte sua, tam est Determinatum ad illam animam conjungendam cum alio corpore, quàm materiam cum alia forma; & ipsa similiter tam ex parte sua inclinatur ad informandum aliud corpus, quàm inclinabatur ad informandum prius ; unde si hæc possit naturaliter existere sine omni corpore, poterit & materia sine omni forma ; quia illud decretum non est pro materia, & solùm impedit decretum Dei extrinsecum, quo voluit resurrectionem esse supernaturalem, & non naturalem.

CCXII. Probatur 2°, quia præcipuum quod obstare potest est axioma communiter receptum, *Generatio unius est corruptio alterius*. Sic ut ab agente naturali non expellatur forma ex materia, nisi in eam priùs introducendo dispositiones exigentes novam; item hoc, *Agens naturale ad malum non intendens, operatur ; sed ad novum effectum :* Sed illa nihil convincunt, ergo, &c. Probatur minor, quia contrarium patet per experientiam, dum ignis in instanti per aquam superfusam exstinguitur ; dum homo in instanti capite minuitur ; hæc enim non tàm fiunt per introductionem dispositionum oppositarum, quàm per suffocationem unionis, sive subitam illius subreptionem, ut patebit consideranti activitatem majorem ignis in aquam, quàm è contra, si contigua supponantur ; item quòd ensis non habeat activitatem ad dispositiones formæ cadaveris introducendæ necessarias; ergo, &c. quod autem ad intentionem agentis spectat, si liberum sit, satis constat de oppositō; si necessarium, illud intendit, quod reipsâ facit, facere autem jam ostendimus, ergo, &c.

CCXIII. Confirmatur, eodem modo se habet materia ad formam substantialem, sicut causa ad effectum non connaturalem & contingentem, sive actione non emanativâ productum; sed causa ab eo à posteriori non pendet, nisi fortè jam positis omnibus ad illum producendum requisitis, quæ sæpe non sunt (ut experientiâ constat) ergo neque materia à forma à posteriori pendet, nisi fortè jam positis omnibus ad illam recipiendam requisitis, quæ saltem absunt, ubi composita Physica subitò dissolvuntur, ergo, &c. Probatur major, quia forma est effectus non connaturalis & contingens materiæ, & ab ea actione emanativâ non productus, ut constabit per formas singulas, saltem materiales, discurrenti.

CCXIV. Objicies 1°, materia ordinatur essentialiter ad formam; ergo ab ea pendet saltem à posteriori.

CCXV. Resp. negando consequentiam ; & argumentum retorqueo in animam rationalem, quæ essentialiter ordinatur ad corpus tamquam compartem compositi Physici, & tamen à corpore non pendet à posteriori, in communi sententia ; quòd verò ita ad corpus ordinetur, patet, quia illud respicit transcendentaliter, sicut à corpore transcendentaliter respicitur; respici autem transcendentaliter non est respici inseparabiliter quoad unionem & locum ; sed quoad utrumque separationem patitur.

CCXVI. Objicies 2°, si materia existeret naturaliter sine omni forma substantiali, esset ens actu sine actu ; sed hoc implicat, ergo, &c. Probat majorem Caramuël Metaphysicor. lib. 3°. Sect. 21. ubi dicit se stare pro negativa sine formidine contrariæ partis ; quia actus primus substantialis materiæ est existentia ; ergo si existeret naturaliter sine omni forma substantiali, esset ens actu sine actu.

CCXVII. Respondeo distinguendo majorem : si materia existeret naturaliter sine omni forma substantiali, esset ens actu incompletum sine actu formali prout opponitur entitativo, de quo procedit Resolutio, concedo majorem ; sine actu entitativo, nego majorem ; habet enim, ut supra Dub. 3. Resol. 3ª vidimus, propriam existentiam, quæ est actus entitativus : Probatio autem Caramuëlis est hîc omnino impertinens ; quia non dicimus materiam posse naturaliter existere sine existentia, quod solùm impugnat, & in terminis repugnat ; sed sine forma substantiali alterâ parte compositi substantialis completi, quod non tangit.

Objicies

CCXVIII. Objicies 3°, materia prima non potest existere sine omni forma accidentali, ut v. g. sine omni ubi, esse nusquam; sine omni duratione, esse numquam, &c. ergo neque sine omni substantiali.

CCXIX. Respondeo 1°, hoc Argumentum fortè nimiùm probare, videlicet nequidem supernaturaliter materiam posse esse sine omni forma substantiali; quia communiter docetur nequidem supernaturaliter aliquid posse esse nusquam & numquam.

CCXX. Respondeo 2°, distinguendo consequens, ergo neque sine omni forma substantiali, quam propriè & emananter produceret, sicut in communi sententia (de quo nos infra) ubi, durationem, &c. producit, concedo consequentiam; sed nulla talis: quam ab alio productam contingenter recipiat, nego consequentiam; talis enim est formæ unio, qualis productio (ut infra patebit) ac proinde cum formarum, de quibus hîc, sit contingens productio, est & contingens unio materiæ ad illas.

CCXXI. Respondeo 3°, negando consequentiam; quia disparitas est, quòd vix aut ægrè admodum intelligatur aliquid existere, & nusquam, aut numquam esse; non item materiam informem omni forma substantiali contra entitativam condistinctâ existere. Ex his autem tribus Solutionibus

CCXXII. Colliges nullum esse pro oppositâ parte D. Murciæ fundamentum, videlicet, quòd materia dicat necessariam connexionem, cum forma substantiali, tamquam cum complemento sui esse. Ita ille hîc Disp. 5. q. 6. sed ipsi probare incumbit illud complementum esse materiæ proprium, & necessarium, & non contingens, quod negamus.

CCXXIII. Objicies 4°, natura abhorret otiosum & inutile; sed talis esset materia sine omni forma substantiali, ergo, &c.

CCXXIV. Respondeo negando minorem; quia inprimis otiosa non esset; nam suam potentiam receptivam formalem, subsistentiam partialem, ubi, durationem, &c. reciperet & terminaret: neque etiam inutilis esset; quia vacuum impediret: deinde considerari posset ut actu patiens & recipiens dispositiones ad formam, quam agentia circumstantia ex ea educere niterentur, quomodo valde utilis est.

CCXXV. Instabis: ideo materia dicitur otiosa & inutilis; quia sine omni forma non habet actum ullum, ad quem essentialiter ordinatur, ergo, &c.

CCXXVI. Respondeo negando assumptum; quia inprimis habet subsistentiam, durationem, &c. ad quas formas strictius ordinatur quàm ad alias substantiales, cum sine his naturaliter existere possit, non autem sine illis: deinde, sicut potentia progressiva non est otiosa sufficienter ad non existentiam, hoc ipso quòd nullum habet actum progressionis, modò illum habere possit; ita nec materia prima, hôc ipso quòd non habet formam substantialem, modò illam habere possit, est otiosa sufficienter ad non existentiam.

CCXXVII. Colliges contra PP. Suarem, Fonsecam, Molinam, Murciam & alios plures, materiam primam posse à Deo conservari absque omni forma substantiali eodem concursu, quo sub forma conservatur; quia forma nullum habet influxum etiam conditionalem in materiam: quòd verò habeat illam informare, & materia ab ea pendeat in genere causæ non essentialis formalis, non obstat; quia hoc genus causæ, utpote posterioris naturâ & frequenter tempore, est naturaliter à materia existente separabile: an autem materia à Deo primò produci naturaliter potuerit sine omni forma substantiali? non videtur ob præmissa dubitandi ratio, neque contra militat authoritas D. Thomæ, ut dicta Dub. 3. Resol. 3. in Quæstiuncula, consideranti patebit.

DVBIVM IX.

An omnis materia sit unius speciei, & possibilis sit aliqua diversæ speciei.

Resolutio I.

CCXXVIII. Dico 1°, materiam sublunarem esse unius speciei non demonstratur quidem, sed tamen probabiliter suadetur.

CCXXIX. Probatur prima Pars; quia evidens non est omnem materiam sublunarem esse omnium, & earumdem formarum susceptivam; quis enim evidenter probet materiam sub forma adamantis existentem, prius fuisse sub forma terræ, ut nonnulli putant; & non à Principio, aut fuisse creatam sine forma substantiali (ut supra potuisse naturaliter fieri ostendimus) aut cum forma substantiali adamantis, sic ut experientia, quâ convincitur adamantem in aliud corpus non converti, probabiliter suadeat materiam illam non esse nisi istius formæ capacem, prout de materia cœlestium probabiliter suadent Theologi, ex eo, quòd in alia corpora non convertantur? ergo, &c.

CCXXX. Probatur secunda Pars: tum ex definitione materiæ supra ex Aristotele allata *primum unicuique rei subjectum*, &c. ubi non videtur materiam in genere definire; sed sublunarem, cui soli est accommodatior, si materia cœlestis specie distinguatur à sublunari, ut plures docent; tum quia entia non sunt specie distinguenda sine ratione & fundamento, quod hîc non est, quandoquidem omnia corpora sublunaria, præterquam fortè Adamas & pauciſſima alia, in se mutuò convertantur, ut experientia docet: nam lignum in ignem; ignis in cineres; cineres in terram; terra in herbas; herbæ in animalia; animalia in calculos, lapides, ossa, &c. convertuntur; ergo, &c.

Resolutio II.

CCXXXI. Dico 2°, dari possunt materiæ sublunares specie diversæ, & una perfectior omni materiâ sublunari, quæ de facto datur.

CCXXXII. Probatur prima Pars, quia, uti ex Resolutione prima patet, fortè nunc datur materia diversæ speciei in Adamante à materia aliorum corporum sublunarium, ergo, &c.

CCXXXIII. Probatur secunda Pars, unde & prima confirmatur: tota essentia materiæ in eo consistit, quòd sit subjectum sustentationis positivè primum; sed materia secundùm definitionem illam potest dividi in plures species, videlicet in materiam subjectum sustentationis positivè primum unius tantùm formæ substantialis, & materiam subjectum sustentationis positivè primum plurium formarum substantialium specie diversarum: in materiam subjectum, &c. harum, & materiam subjectum illarum tantùm, ergo, &c. Probatur major; quia definitio materiæ sic tradi debet,

bet, ut non soli sublunari, quæ modò datur, conveniat, prout eam tradit Aristoteles supra citatus; sed sic, ut omni materiæ existenti & possibili conveniat; & formam sibi oppositam à suo conceptu excludat, quod fit per illam definitionem, in qua dicimus totam materiæ essentiam consistere, ergo, &c.

CCXXXIV. Confirmatur, creet Deus alium mundum; & omnino alias corporum species, ut potest, in illo materia erit, ut probabiliter colligetur, specie distincta, à materia hujus mundi, ergo, &c.

Resolutio III.

CCXXXV. Dico 3°, materiam cœlestem esse ejusdem speciei cum sublunari, non demonstratur quidem, sed probabiliter suadetur.

CCXXXVI. Probatur prima Pars; quia id experientia non docet: nam licèt probabiliter doceant multi firmamentum, id est, Cœlum stellarum & orbes omnes inferiores, esse factos ex aquis, quæ erant inter terram & Cœlum Empyreum; id tamen pendet ab hominum conjecturali interpretatione; unde alii per firmamentum etiam probabiliter intelligunt infimam aëris regionem, quæ aquas pluviales ab aliis dividit, ac proinde id evidens non est, ergo, &c.

CCXXXVII. Probatur secunda Pars, 1°, quia materia sublunaris est capax formæ hominis perfectioris; ergo & Cœlestis imperfectioris; alioqui fatendum esset sublunarem esse perfectiorem Cœlesti, quod non satis suadetur.

CCXXXVIII. Probatur secunda Pars, 2°, materia sublunaris est capax formæ materialis & spiritualis; ergo & sublunaris corruptibilis ac cœlestis incorruptibilis, ergo, &c.

CCXXXIX. Objicies 1°, ex P. Compt. Disp. 2ª. de Cœlo: cum potentia in materia Cœli ad formas corruptibiles numquam reducenda sit ad actum, imò naturaliter eò reduci non possit, videtur omnino superflua, ergo, &c.

CCXL. Confirmatur ex eodem; si videremus potentiam activam, quæ numquam posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad ejusmodi actus, ergo, &c.

CCXLI. Respondeo 1°, retorquendo Argumentum in appetitum materiæ ad formas corruptas, qui non ideo superfluus est, quia numquam reducendus est ad actum, ut supra Dubio 6° vidimus.

CCXLII. Respondeo 2°, potentiam illam non reducendam ad actum defectu alicujus se tenentis ex parte generationis ut mutationis; non verò defectu alicujus se tenentis ex parte formæ; quia eâdem omnino manente potentiâ, & solâ mutatione formæ incorruptibilis factâ in corruptibilem, reduceretur ad actum: unde dici non potest superflua, sed impedita tantùm dici debet; impedita autem potentia supponit potentiam; superflua verò negationem potentiæ arguit, quamdiu per experientiam non probatur esse potentia. Vnde

Ad Confirmationem

CCXLIII. Respondet P. Poncius Disp. 3. Phys. Concl. 2ª. non esse frustraneam potentiam in aliqua specie, licèt in aliquo individuo non posset reduci ad actum, modò in aliis individuis possit reduci; sed non satisfacit; quia responderet P. Comptonus, in aliis individuis non fore frustraneam, in hoc autem fore, & ideo hoc debere esse diversæ speciei ab illis. Quare aliter

CCXLIV. Respondeo distinguendo assumptum; si videremus potentiam activam, quæ numquam, defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius, posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad ejusmodi actus, concedo assumptum: defectu alicujus extrinseci, nego assumptum; quis enim dicat 1°, (jam per experientiam notificato, quòd illuminatio objecti non se teneat ex parte potentiæ visivæ, sed ex parte objecti proximè visibilis) illum hominem, in cujus oculis defectus non notaretur, non habere potentiam visivam, quia semper fuisset, & esset constitutus in loco tenebroso, in quo nihil videre potuisset? Quis dicat 2°, potentiam intelligendi independenter à phantasmate esse in anima nostra superfluam, quia, quamdiu anima est in corpore, non potest independenter ab illo intelligere, prout materia illa, quamdiu est sub forma cœlesti, non potest sublunarem recipere? certè nullus; adde tamen nos pro hac Resolutione plus habere, videlicet paritatem illam, & Resolutionis duas allatas probationes, quæ saltem probabiliter suadent, illam esse veram.

CCXLV. Objicies 2°, si materia cœlestis esset ejusdem speciei cum sublunari, posset cœlum converti in corpora sublunaria, ut aërem, aquam, &c. & illa in se convertere; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

CCXLVI. Respondeo experientiam nostram eò usque non pertingere, & hoc certum esse, non omnia, etiam sublunaria vicina, posse in se mutuò converti aut convertere, ut patet ex Adamante, qui in alia sublunaria non convertitur, &, an alia in se convertat, non satis probatur; unde non video quo fundamento de cœlestibus id asseratur.

DISPVTATIO TERTIA

De forma Substantiali.

1. NOta, formam ab eo formam dici, quòd materiæ deformitatem ac ruditatem formet ac poliat; sic nempe ut non sit subjectum sustentationis positivè primum; sed in eo sustententur, vel saltem illi uniatur, tamquam perfectius quidpiam denominans, imperfectiori cuipiam denominato: cum quo facit unum compositum substantiale, per modum actus & potentiæ, si substantialis; accidentale, si accidentalis: brevius tamen forma definiri potest, *Actus primus materiæ. Actus condistinctus à materia. Pars illa, quæ simul cum materia, unum per se, & non secundùm accidens constituit*: illæ enim definitiones, jam præsuppositâ aliunde cognitione materiæ, sunt bonæ.

Nomina, quibus variè à variis ex Antiquioribus Philosophis forma nuncupatur, ut *pulchrum*, eò quòd pulchram faciat materiam alioqui per se turpem: *Quidditatis rationem*, eò quòd essentiam ultimò constituat, &c. ut inutilia omitto. Quare, sit

DVBIVM I.

An detur forma substantialis; quid illa sit; & an tota essentia Corporis completi.

Resolutio I.

II. Dico 1°, sistendo in Principiis fidei certum est dari formam substantialem.

III. Probatur 1°, ex Concilio Viennensi sub Clemente quinto Clementinâ unicâ, *Quisquis deinceps asserere, defendere, aut tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis non sit forma corporis per se & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.*

IV. Probatur 2°, ex Concilio Lateranensi sub Leone decimo sessione octavâ, ubi definitur, *animam rationalem naturâ suâ esse formam corporis*, & præcipitur Philosophiæ Magistris, ut solvant argumenta, quæ contra hanc veritatem adduci possunt; ergo datur forma substantialis: probatur consequentia; quia, ut rectè notant PP. N. Compl. hîc Disp. 4. q. 1. ex positione animæ rationalis tamquam formæ separabilis à subjecto, rectè concluditur esse in entibus naturalibus aliquod subjectum substantiale, quod sit incompletum in genere substantiæ, & aptum ut informetur formâ substantiali, quæ sit etiam ens substantiale incompletum, ergo, &c.

Resolutio II.

V. Dico 2°, sistendo in nudis luminis naturæ Principiis non videtur efficaciter probari, dari formam substantialem: est contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, Poncium, Comptonum & alios ferè omnes sive Thomistas, sive Scotistas: ita è Societate Egidius Regius de Sacramentis tom. 1°. q. 76. art. 3. n. 14. Zavarellus 1°, de gener. & inter. cap. 6°. apud P. Telles hîc Disp. 23. Sect. 1ª. & nuperrimè Ren-descartes 4. p. Princip. Philos. item & omnes antiqui Philosophi, si P. Comptono hîc Disp. 11. credatur, ubi sic habet: *Forma antiquis Philosophis ferè fuit ignota, quos proinde non semel hoc nomine reprehendit Aristoteles, quòd scilicet materiæ considerationi veluti immersi, præstantissimæ rerum naturalium partis investigationem penitùs neglexerint.*

VI. Probatur, quia, in illis Principiis stando, non videtur efficaciter probari, dari materiam primam; ergo nec videtur efficaciter probari, dari formam substantialem: Probatur consequentia, quia materia & forma sunt correlativa; nec aliud præter materiã est assignabile quod forma substantialiter cõpleret, & à quo substantialiter cõpleretur; quod esse deberet; quandoquidem foret substantialiter incompleta, ergo, &c. Antecedens patet ex Disp. 2ª. Dub. 1°.

VII. Confirmatur 1°, suppositò ex loco citato, quòd non detur materia prima, non datur nisi ens in actu completum; sed quidquid advenit enti in actu completo est accidens; ergo quidquid assignabitur pro forma substantiali, erit accidens.

VIII. Confirmatur 2°, si dixero 1°, non dari substantiam aliam, præter simplicem completam: 2° omnia, quæ dicuntur hodie composita substantialiter, esse tantùm composita accidentaliter, proindeque nullam dari compositionem substantialem; sed accidentalem dumtaxat; 3° accidentia, quæ communiter dicuntur compositi substantialis proprietates, ad illud se habere instar formæ substantialis (si daretur) ad materiam, nec aliter, quàm formam à materia, ab illo exigi; præterquam quòd id videatur exigere rigorosa definitio substantiæ (quæ in rigore à subsstando cæteris, sive realiter, sive ratione solâ distinctis, dicitur) non facilè convincetur dari formam substantialem, nec aliter discurrendum ulla experientia, aut pura ratio naturalis, efficaciter convincere videtur ut solutione Objectionum patebit, ergo, &c.

IX. Objicies 1°, ex P. Oviedo de Anima Controv. 17. p. 1ª. Resol. ista omnino opponitur decreto Concilii Lateranensis supra citato; ergo temeraria est.

X. Respondeo inprimis (præterquam quòd id prò sola anima rationali aliquid decernat, & nihil pro cæteris brutorum, & inanimatorum formis substantialibus) Resolutionem nostram supponere istud Concilium non esse, vel potiùs ab ejus, & fidei decretorum existentia præscindere; quia non in authoritate, sed in solis luminis naturæ Principiis sistit: unde objici rationabilius non potest, quàm si non esset: deinde non asserimus secundùm rectam rationem animam non esse formam substantialem; sed solùm, sistendo in nudis luminis naturæ Principiis, non videri efficaciter probari, esse talem; sic tamen, ut, non esse talem non probemus, & multò minùs asseramus, defendamus, &c. ut patet; id autem solùm prohibet Lateranense Concilium, uti & solùm rationes id probantes solvere præcipit.

XI. Objicies 2°, experientia docet animas defunctorum redire; energumenos loqui variis linguis, quas numquam audierunt; habentes pactum cum dæmone per aëra volare, &c. sed hi effectus non possunt aliis causis attribui, quàm spiritibus; ergo experientia & ratio docet dari spiritus incompletos; cur enim potiùs completi darentur, quàm incompleti? cum ad hos omnes effectus sufficiant incompleti, sive plures animæ spirituales simul junctæ, ut probant Theologi.

XII. Respondeo 1°, illos effectus videri sufficienter salvari; admittendo substantias spirituales completas simplices; sicut admittimus substantias corporales completas simplices: ex quo non sequitur dari spirituales incompletas; quia sicut sistendo in nudis luminis naturæ Principiis nihil est, quod efficaciter probet, dari corporales incompletas; ita nihil efficaciter probat, dari spirituales incompletas.

XIII. Respondeo 2°, neque, ad salvandos illos effectus, videri requiri substantias spirituales completas, neque incompletas; sed sufficere corpus simplex substantiale completum insensibile; habens quidem partes extra partes localiter (in quo distinguetur à spiritu) non tamen impenetrabilitatem cum alio; item, forte ut est equus; volatile ut aquila; potens exercere omnes motus corporales, quos quilibet homo, tam intra, quàm extra se exercere potest, &c. tale enim corpus non implicat, & sistendo in nudis luminis naturæ Principiis, dici posset dictos effectus à tali corpore nunc derivari ac procedere.

XIV. Objicies 3°, In homine intellectus & voluntas sunt potentiæ spirituales; ergo præsupponunt in homine Principium incompletum à quo exiguntur, esse spirituale: Probatur antecedens, quia in Deo & Angelis tales sunt.

XV. Respondeo 1°, sistendo in hypothesi Resolutionis nostræ, sive in sola ratione purè naturali negando antecedens; quia sistendo, &c. id nec experientia probat, nec ratio convincit.

Respon-

XVI. Respondeo 2°, negando antecedens pro prima parte; quia, nec id experientia probat, nec ratio convincit, si sistas in nudis luminis naturæ Principiis: numquid discurrendo, volendo, &c. fatigatur corpus, & extenuatur? quidni ergo illæ potentiæ essent corporales? cur, quæso, discursus perfectus hominis esset potiùs spiritualis, quàm imperfectus canis, quo dicit, *Si sequar herum, dabit mihi bolum panis, quem offert: sed sequar; ergo habebo?* deinde, cur magis determinatio libera hominis ad accipiendam potiùs hanc, quàm istam viam, esset spiritualis, quàm similis necessaria determinatio canis? denique, cur cogitatio de Deo, spiritibus & æternitate, esset potiùs spiritualis, quàm de creatura, corporibus, & tempore? non enim ipsa accipit spiritualitatem ab objecto, uti in Logica Disputatione *de scientia* monstratum est; & alioqui de corporeo, corporea esse deberet, quod omnino falsum est: quòd verò bestiæ non habeant tales cogitationes, solùm sequi videtur, in ratione & Principiis purè naturalibus sistendo, non habere accidentia, quæ sint Principia istarum cogitationum materialium nobilium; ac proinde accidentaliter ab homine distingui, tamquam imperfectius à perfectiori accidentaliter: idem dic de potentiis inter se.

XVII. Adde secundam partem antecedentis similiter negari posse, ut patebit ex solutione 1ª, & 2ª, ad sequentem Instantiam.

XVIII. Instabis ex P. Arriaga Disputatione 3ª. Physicæ sectione 1ª: vel illæ omnes potentiæ & operationes radicantur in uno Principio, à quo exiguntur, vel sunt inter se disparatæ? si primum, illud Principium est forma substantialis: secundum autem est falsissimum; quia in equo v.g. post mortem desinunt omnes operationes, motus, vita, &c. & in igne extincto calefactio, illuminatio, exsiccatio, &c. idque defectu unius Principii primi & substantialis, in quo erant radicatæ; nam si fuissent omnes disparatæ, cur, unâ pereunte, omnes eô ipsô perirent? ergo, &c.

XIX. Respondeo 1°, hoc totum admitti posse; quia hæc Instantia non convincit Principium illud primum esse substantiale; dicam enim esse accidentale, quia advenit enti in actu completo: Nec doctrina P. Poncii Physicæ Libro 1. Disputatione 4ª, Quæst. 1ª, quâ docet *Formam substantialem esse illam, quæ non supponit aliam, ex qua sequatur, aut producatur, & est Principium aliquarum aliarum formarum constitutivarum totius compositi conflati ex ipsa & subjecto, in quo recipitur*, contra facit, ut constat ex dictis in Logica Disputatione de substantia contrà PP. Arriagam & Oviedum; & contrarium patet in subsistentia partiali formæ substantialis. Nec magis urget, quod dicat certum esse lignum & aquam substantialiter differre; differre plusquàm res alba & nigra; quando ex re alba fit nigra, non dici rem albam destrui, & nigram generari, &c. quia primum supponitur, & non probatur; secundum solùm convincit differre pluribus accidentibus; tertium est de modo loquendi, & si id non dicatur, ideo est, quia non censetur res illa habere pro accidente connaturali albedinem, aut nigredinem, quo solo destructo aut genito, censetur res destrui aut gigni.

XX. Respondeo 2°, non radicari in uno Principio, sed potentias & operationes omnes esse disparatas; unde in equo, vel homine moribundo, prius cessat una potentia & operatio, quàm alia; prius locutiva, quam auditiva; auditus, quàm visus; respiratio, quàm contractio nervorum, &c. si verò in igne virtus calefactiva, illuminativa & exsiccativa, ac per consequens calefactio, illuminatio & exsiccatio simul desinant per extinctionem, non ideo est, quia per illam destruitur unum Principium substantiale illis commune; sed quia in corpore simplici completo, quod extingui dicitur, improducitur accidens aliquod contrarium attemperationi caloris, lucis, siccitatis, & cæterorum accidentium ignis inter se, præcisè necessariæ, ut sint calefaciendo, illuminando & exsiccando, apta inflammare, & comburere, quod est proprium ignis: deinde falsum est omnes simul perire; nam carbo non lucens, adhuc calefacit & exsiccat, ut experientia docet; sed solùm non exercent amplius operationes, quas virtute unitâ simul exercebant, & aliter non poterant.

XXI. Nec quod subdit, ferrum candens separatum ab igne recuperare propria accidentia priora; item animal ratione alicujus morbi pene consumptum, morbo deficiente, recuperare pristinam sanitatem, convincit id fieri ratione formæ substantialis remanentis; sed homo virtute medicamentorum, aëris & alimentorum, sanitatem recuperat, nec sine illis eam recuperaret: & ferrum candens virtute agentium circumstantium propria priora accidentia recuperat, & illa non recuperaret, si vel poneretur in vacuo, vel existens in pleno virtus agentium circumstantium unita residuis accidentibus Physicis, non esset fortior virtute accidentium impropriorum & posteriorum.

XXII. Objicies 4°, ex eodem Arriaga loco in Instantia præcedenti citato: fides docet post verba consecrationis destrui totam substantiam panis, & ibi manere omnia accidentia panis (saltem non modalia;) ergo accidentia non sunt partes substantiæ panis; alioqui non esset tota substantia panis destructa; & cum ipsa materia non sit tota substantia panis (ne alioqui panis & lapis conveniant se totis substantialiter) oportet formam substantialem admittere, ergo datur.

XXIII. Respondeo inprimis hoc argumentum nihil contra Resolutionem nostram concludere, quia procedit ab authoritate fidei, ad quam abunde responsum est supra Object. 1ª. ad Lateran. Respondendo.

XXIV. Respondeo 2°, ibi quidem destrui totam substantiam panis, scilicet corpus simplex completum, non tamen totam essentiam; quia non destruuntur illa accidentia, quibus essentialiter constituitur, & differt à lapide; lapis enim & panis se totis substantialiter conveniunt, & solis accidentibus differunt; nec ratio aliud probat efficaciter.

XXV. Instabis ex P. Poncio Physicæ Libro 1°, Disput. 4ª, Quæst. 1ª, ergo post consecrationem manet totus panis, quia ibi est materia prima Corporis Christi, ejusdem naturæ cum materia panis, & præterea omnia, vel saltem præcipua accidentia panis; atqui hoc nullus dixerit, ergo, &c.

XXVI. Respondeo inprimis hoc Argumentum, nihil etiam contra Resolutionem concludere; quia absurdum, quod infert, non est contra rationem, sed contra fidei authoritatem, à qua hîc omnino abstrahimus.

XXVII. Resp. 2°, negando assumptum, quia illa accidentia non uniuntur materiæ Corporis Christi per modum actus potentiæ, sive per modum

formæ informantis subjecto: quia ab illis non denominatur extensa situaliter, alba, &c. de quo, specialiter in Theologia: panis verò est compositum quoddam ex actu & potentia, forma informante & subjecto.

XXVIII. Objicies 5°, ex eodem P. Poncio loco citato, certum est experientiâ, aliqua accidentia aliquibus rebus convenire connaturaliter, & aliis disconvenire; calor enim convenit igni, & disconvenit aquæ, ut colligitur ex eo, quòd non sit in aqua, nisi ab extrinseco agente, quo semoto, aqua reducit se ad pristinum frigus, rejiciendo calorem; ergo debet esse aliquid in illis, ratione cujus id accidat; ac proinde forma substantialis; quia Materia prima id esse non potest, ut patet.

XXIX. Respondeo, sistendo in cognitione purè naturali, in qua totâ hâc Resolutione sistimus, accidentia non dici rebus convenire, quia in illis est Principium aliquod ea exigens; & disconvenire, quia in illis est Principium aliquod contraria exigens; sed quia illæ res similibus accidentibus essentialiter constituuntur, & aliæ contrariis; nec (ut vidimus n. 21. contra P. Arriagam) si res illa accidentia deperdant, illa recuperare possunt aliter, quàm virtute agentium circumstantium: Adde quòd hoc non convincat illud Principium (si daretur) esse formam substantialem, juxta dicta n. 19. contra P. Arriagam.

XXX. Objicies ultimo ex P. Oviedo, loco suprà n. 9. citato: nulla Respublica potest ordinatè vivere, nisi homines metu pœnæ animabus post mortem infligendæ, arceantur; ergo datur anima rationalis immortalis substantialis.

XXXI. Respondeo hoc argumentum esse debile: quia homines possent adigi ad ordinatè vivendum pœnis temporalibus, sicut adiguntur canes ad non mordendum: homines deinde ad ordinatè vivendum, sufficienter inducuntur per innatam sibi legem naturalem; sicut bestiæ similis naturæ ad se amandum, sibi succurrendum, non plus manducandum aut bibendum, quàm sit naturæ consentaneũ, &c. per legem naturæ suæ inditam satis coguntur.

XXXII. Adde hæc omnia dicta ex abstractione, & suppositione quòd non detur fides Divina, aut decreta fidei, sed sola ratio; qui verò loquitur ex suppositione, non loquitur ex propria mente, neque ex veritate, sed ex sola doctrinæ consequentia; ita nos: quia tamen Concil. Lateran. Philosophiæ Magistris præcipit, ut argumenta solvant, quæ pro nullitate animæ rationalis formæ substantialis adduci possunt, sit

Resolutio III.

XXXIII. Dico 3°, etiam sistendo in nudis luminis naturæ Principiis efficaciter probari potest de facto dari formam substantialem: ita omnes Peripatetici; quorum tamen rationes nihil evincunt, ut Resol. 3ª. probatum est. Quare aliter

XXXIV. Probatur, sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis de facto datur Materia 1ª, quæ sit subjectum substantiale incompletum; ergo etiam sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis de facto datur forma substantialis, quæ sit actus substantialis incompletus: consequentia patet, quia incompletudo potentiæ substantialis, omnino ex se exigere videtur incompletudinem actus substantialis, per quem tamquam per compartẽ compleatur, ergo, &c. antecedens probatum est Disp. 2. Dub. 1°.

XXXV. Confirmatur, si sistendo in nudis luminis naturæ Principiis efficaciter probari non potest de facto dari formam substantialem actum incompletum substantialem; etiam in iisdem sistendo efficaciter probari non potest, tam variam seriem accidentium compositi ignis, aquæ, hominis, &c. non refundi in Principium substantiale incompletum, illis intrinsecum, & diversum in diversis; quod cum efficaciter non probetur esse Materia 1ª, aut corpus completum simplex, sed potius oppositum, eò quòd in quotidianis transmutationibus videatur manere idem numero subjectum; ut minus dubium est, an dentur formæ substantiales, &c.

XXXVI. Subsumo, atqui una vox est totius Ecclesiæ, & omnium Peripateticorum post Aristotelem, quòd de facto detur forma substantialis actus incompletus: & sicut in dubiis stando in luminis naturæ nudæ Principiis, bonum commune est præferendum privato; ita judicium commune privato, ergo probari potest dari, &c. Hinc pro solutione objectionum ex Resolut. 2ª.

XXXVII. Colliges, quòd, ex dictis Resolutione 2â, nullum contra hanc argumentum confici possit positivum, sed purè negativum tantùm, tale: *Non est cur dici, cur id salvari non possit dicendo*, &c. cui per Resolut. hujus confirm. abunde satisfit; uti & per hanc retorsionem, *non est cur id non salvetur per formam substantialem*, &c. Vnde semper in posterùm procedemus ex suppositio, quòd detur, uti verè & certò datur, saltem in homine, à quo, utpote nobiliori, bene ad ignobiliora argumentamur; tum quia compositio ex Materia & Forma, est quædam imperfectio, quæ, si perfectiori conveniat, potest & imperfectiori; tum quia melius in omnibus adstruitur unum Principium accidentium omnium, quàm tot disparata, ut patet ex dictis: ex his patet satisfieri Lateranensi Objectione primâ Resol. 2ª. citato.

Resolutio IV.

XXXVIII. Dico 4°, Forma substantialis prout condistinguitur contra substantiam (quomodo eam hîc accipiunt Aristoteles & cæteri Philosophi) *Est actus substantialis, unam naturam per se completam cum materia* (quam aliunde dari & esse substantiam incompletam hîc supponimus) *constituens*. Vide dicta n. 1°.

Resolutio V.

XXXIX. Dico 5°, Forma substantialis non est tota essentia Corporis Naturalis completi.

XL. Probatur, tum ex illius definitione, tum quia alioqui veræ essent hæ propositiones, *Hæc anima rationalis est hic homo; homo est immortalis, non corrumpitur*, &c. quæ sunt absurdæ, ergo, &c.

XLI. Confirmatur, sic forma dat materiæ esse determinatum, esse in talis generis vel speciei composito, ut in Quæstiuncula Dub. 3ª. Disp. 2ª. vidimus ex D. Thoma pluribus locis, ut tamen non det materiæ esse existens per modum potentiæ, composito esse se solâ adæquatè constitutum, &c. ergo, &c. Probatur assumptum, alioqui similiter in artefactis figura se solâ adæquatè sedem constitueret, & in Symbolo Athanasii frustra post ly *anima rationalis* adderetur *& caro*, post ly *ita Deus* frustra adderetur *& homo*; nempe, *sicut anima rationalis & caro*

& caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus: ista autem sunt absurda. ergo, &c.

XLII. Objicies tamen 1°, Aristoteles 2o Physicorum Textu 18. ait formam esse *rationem*, & *definitionem naturæ cujusque*, *quidquid erat esse*, &c. ergo, &c.

Respondeo Aristotelem sic intelligendum, ut tantùm velit formam esse rationem, & definitionem naturæ completivam, & ultimò in sua specie constitutivam; non verò completam rationem, & integram definitionem, ut constat ex dictis ad D. Thomam supra Disp. 1ª. Dub. 3o. in Quæstiuncula citatum.

XLIII. Objicies 2°, si forma non sit tota essentia corporis completi, non erit idem homo senex & antea puer; sed id non admittitur, ergo, &c. Probatur sequela, quia, cum semper aliquid materiæ per activitatem caloris naturalis absumatur, & nova & nova per nutritionem subrogetur, contingere poterit, ut senex totam materiam suam primigeniam perdiderit (quia illa admodum parva est) & acquisierit novam; atqui mutatâ parte essentiali, mutatur totum essentialiter, ergo, &c.

XLIV. Respondebis cum P. Suares Disp. 5ª. Metaph. Sect. 6ª. corpus completum constare quidem essentialiter formâ determinatâ, sed materiâ quàcumque & indeterminatâ; ac proinde esse eundem hominem essentialiter senem, & antea puerum. Sed

XLV. Contra: hæc sententia magnas difficultates patitur; quia, vel materia, quam Sanctus Martyr aliquis reliquit in morte, in resurrectione ab illo glorificanda resumetur, vel non? non primum, quia casu quo fuisset tota caro illius à barbaris, & Anthropophagis devorata, ac in ipsorum substantiam conversa, (quod, ut patet, fieri potest) sequeretur idem corpus esse damnatum & glorificatum; damnatum habere corpus æternùm glorioſum, & Sanctum habere corpus æternùm damnatum; imo & corpus lupi resurgere ac glorificari, si dicta caro à lupo devoraretur, quæ sunt absurda: si secundum, ut quid veneramur reliquias sanctorum, sive materiam, quam Sanctus in morte reliquit, si illa in resurrectione ab illo glorificanda resumi non debeat? ibi enim est præcipuum fundamentum nostræ venerationis; deinde tale totum, quales partes, si pars essentialis indeterminata, totum essentiale indeterminatum. Quare aliter

XLVI. Respondeo negando sequelam; ad ejus probationem Respondeo semper aliquas ex primigeniis partibus remanere in ossibus, & similibus partibus corporis solidioribus; unde fit, quòd semper maneat idem essentialiter senex & puer; ut docet Augustinus Serm. de Assumptione D. Virginis cap. 5°. *Caro Christi, caro Mariæ est*, & post pauca. *Caro Christi, quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria.* Quantùm verò ad resurrectionem attinet, homo resurget secundùm corpus, quod reliquit in morte; sed in periculo dictorum inconvenientium, secundùm dictas partes primigenias tantùm, consonanter ad illud Iob. 19. *Circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*; & *Divinâ virtute aliunde supplebitur* (ait Divus Thomas in additione quæstionis octuagesimæ art. 4o ad 3um) *Quantum indigebit ad perfectionem quantitatis, sicut etiam suppletur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt:* sed de his plura in Theologia.

DVBIVM II.

An formæ substantiales intendi & remitti possint.

ANte Resolutionem

XLVII. Suppono 1°, ex dicendis in libris de generatione, intensionem fieri per veram additionem gradus ad gradum præexistentem in eadem parte subjecti; remissionem verò per veram detractionem gradus à gradu remanente in eadem parte subjecti.

XLVIII. Suppono 2° certum, & apud omnes experientiâ notum, aliquas formas accidentales intendi & remitti; calor enim in igne non semper æqualis est: idem est de frigore in aqua, luce in aëre, gratia Sanctificante (ut fides habet) in justo.

XLIX. Suppono 3o, magis usu discendum, quàm à paritate rationis probandum, quæ formæ sint capaces, & quæ incapaces intensionis ac remissionis; nullus enim hoc modo argumentabitur, 1°. *Possunt gratia, fides, charitas & similes qualitates spirituales intendi ac remitti, ergo & intellectus & voluntas*; quamquàm fortè, si distinguerentur ab anima realiter, (quidquid alii dixerint) id non reputarem omnino absurdum, siquidè habent subjectum; & id videtur colligi ex eo, quòd unus alio perfectiùs intelligat & ratiocinetur, perfectiùs velit & appetat; quod refundere in melius temperamentū, videtur lōgiùs petitum; & propiùs dici potest, ubi meliùs temperamentum, ibi intensiorem intellectum & voluntatem supponi; sicut ubi major dispositio ad proprietates ignis, intensiores cum igne congenerantur; ubi majores dispositiones ad primam gratiam Sacramentalem, intensior recipitur; si enim hæ potentiæ admittant intensionem, quidni & illæ? cum sint eidem æquè accidentales. Vnde Noster Bacho in 3um. Dist. 15. q. 1ª. §. 2°. *Si potentiæ animæ sint accidentia quædam animæ absoluta, non repugnat eis suscipere magis & minus in operatione & essentia.* Et paulò infra: *Et secundùm hanc comparationem hoc nihil prohibet, quòd unus sit subtilioris intelligentiæ, quàm alter.* Item Articulus 124. Parisiensis apud eundem §o. 1°. ibidem. *Inconveniens est ponere aliquos intellectus* (puta hominum, quia id in favorem animæ Christi, dicit) *nobiliores aliis*, &c. nota, est *Error*. Nullus hoc modo argumentabitur 2°. *Possunt calor, lux, &c. intendi & remitti, ergo & ubi, duratio*, &c. negatur enim consequentia, quia, vix intelligi potest, quomodo aliquid sit magis in loco uno tempore, quàm alio; aut magis in tempore unâ horâ, quàm aliâ. His suppositis, sit

Resolutio I.

L. DIco 1°, formæ substantiales materiales possunt naturaliter intendi & remitti. Hæc conclusio solâ ratione, nullâ authoritate nititur. Quare eam præcisè stando in ratione defendimus, & authoritati negativam partem ultro concedimus.

LI. Dixi *materiales*, quia spirituales totales Physicæ, ut anima rationalis, subjectum sustentationis non habent, quod ad intensionem & remissionem requiritur.

LII. Probatur conclusio, id potest intendi & remitti naturaliter, quod potest habere naturaliter modò plures, modò pauciores sui partes in eadem parte subjecti; sed id possunt formæ substantiales

materiales, ergo, &c. Probatur minor, quia id possunt earum proprietates, ut v. g. calor in igne, frigus in aqua : sed intensiori proprietati intensius Principium, & remissiori remissius est magis proportionatum, ergo, &c. Probatur consequentia, quia hæc major proportio servari debet, quantùm sine absurdo potest, quod hîc nullum adfertur, ut solutione Argumentorum patebit, ergo, &c.

LIII. Confirmatur 1°, extensæ proprietati præsupponitur extensa essentia connaturaliter; ergo & intensæ, aut remissæ, intensa aut remissa : consequentia tenet à pari.

LIV. Confirmatur 2°, nisi probetur contrarium, non est ratio dicendi proprietates intendi & remitti, & non intendi & remitti formas; nam effectui remisso connaturalior est causa remissa; si enim forma aquæ in præsentia ignis, nihil virium, sive sui, perdat; quomodo admittit calorem, & frigus suum non conservat, uti in absentia ignis? denique, sicut magnus ignis dicitur intendere calorem parvi, quidni & formam ipsius ignis parvi? in eo enim nulla repugnantia, quandoquidem etiam subjectum sustentationis habeat.

LV. Objicies 1°, juxta Aristotelem capite de Substantia. Substantia non suscipit magis & minùs, non suscipit gradus, &c. ergo, &c.

LVI. Respondeo 1°, Aristotelem ibi dubitanter loqui, & habere, *Substantia non videtur suscipere gradus*; prudens verò & rationabile dubium, quale debet tali ingenii Monstro tribui, est de re utrimque probabili; unde ipsemet Aristoteles censet nostram sententiam esse probabilem.

LVII. 2°, Dic Aristotelem ita explicandum, ut tantùm nolit omnem omnino substantiam suscipere gradus, ut patet ex sequentibus, *unaquæque sub-stantia* (id est omnis) *Hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minùs, non enim est alter, altero magis homo.* Ecce ibi ostendit unam substantiam in particulari non suscipere magis & minùs.

LVIII. 3°, Dic Aristotelem meliùs explicari, si dicatur loqui de susceptione magis & minùs, non quidem quoad gradus intensionis & remissionis, sed quoad perfectionem specificam; quia 6°. Metaph. capite 3o. vult illam consistere in indivisibili, ita scilicet, ut vel unicus gradus formæ sit de essentia totius; ac proinde quòd unus equus non sit magis aut minùs equus, quàm alter, propter magis aut minùs intensam formam; nec aliud docere ibi intendit Aristoteles, ut constat ex verbis allatis, quod rectè notat noster Eximius Pater Bacho in 3^um^ Distinct. 15. q. 1.

LIX. Adde de veritate magis indagandum, quàm de mente Aristotelis, ut notant prudentissimi viri; unde (quidquid dixerit Aristoteles) semper stat Resolutio, quamdiu aliunde argumento positivo non reprobatur.

LX. Objicies 2° : forma substantialis est primum Principium constitutivum rei, & prima radix omnium proprietatum illius; ergo debet esse fixa & immutabilis; ac proinde non potest intendi ac remitti.

LXI. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in extensionem formæ substantialis. forma substantialis est Principium, &c. ergo debet esse in extensione fixa & immobilis, non secus ac in intensione; hujus tamen experientia contrarium docet.

LXII. Respondeo 2°. distinguendo consequens; ergo debet esse fixa & immutabilis, quoad illum gradum secundùm quem est de essentia totius Physici, ne alioqui mutetur essentia, concedo consequentiam; quoad omnes gradus, nego consequentiam; quia non omnes sunt de essentia, sed unus, indeterminatè saltem, reliqui integrales & accidentales.

LXIII. Objicies 3°, si forma aquæ v. g. posset intendi & remitti, hoc maximè fieret, cum intenduntur & remittuntur illius dispositiones : sed tunc non fit, ergo, &c. Probatur minor; quia si tunc forma aquæ esset remissa, neque ipsa, neque ejus proprietas ad pristinum statum rediret; nam formæ remissæ connaturalior est proprietas remissa, sive effectus remissus, ergo, &c.

LXIV. Respondeo negando minorem : ad ejus probationem nego assumptum; nam aqua redit ad pristinum frigus, non per virtutem intrinsecam, sed beneficio agentium circumstantium, potentium frigus aquæ amissum, & cæteras dispositiones ad formam aquæ necessarias remissas intendere; quæ, si non circumessent, sed agentia contraria; vel si simul juncta cum residuo frigore aquæ, debiliora essent dispositionibus contrariis introductis; aut nulla, ut in vacuo; aquæ frigus, & aliæ ad ejus formam dispositiones, ad pristinum statum non redirent: quia, ut bene objicitur, formæ remissæ connaturalior est proprietas remissa : facta verò restitutione pristini status, & graduum dispositionis necessariæ deperditorum, illis mediantibus *ut quo*, agentia circumstantia formam aquæ intendunt, & ad pristinum statum restituunt; hâc tamen proportione servatâ, ut restitutâ dispositione necessariâ ad gradum formæ aquæ, gradus formæ aquæ restituatur, & sic successivè, donec tota restituatur.

LXV. Objicies 4°, formæ ignis & aquæ sese non compatiuntur in gradibus remissis, sicut calor & frigus; ergo non intenduntur & remittuntur, sicut calor & frigus.

LXVI. Confirmatur; vel uni gradui caloris respondet unus gradus formæ ignis, & è contra, vel plures? sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor; non primum, quia alioqui ubicumque esset unus gradus caloris, ibi deberet esse unus gradus formæ ignis, contra experientiam in aqua: non etiam secundum; quia, præterquam quòd, ubicumque essent plures, quàm unus gradus caloris, ibi deberet saltem esse unus gradus ignis contra eandem experientiam; dicendum esset contra communem in igne ad minus esse sedecim gradus caloris, cum juxta communem in hoc statu, ut magis in eo sint sex & ad singulos gradus formæ ignis requirantur plures caloris, ergo, &c.

LXVII. Respondeo negando consequentiam; nam formæ possunt esse intensibiles & remissibiles, & tamen non posse sese in eodem subjecto in gradibus remissis compati; nam gratia & peccatum, assensus & dissensus, absolutè & per idem medium, odium & amor circa idem & eodem sensu intendi & remitti possunt, non tamen sese in eodem subjecto in gradibus remissis compati, ut fatentur omnes: idem dicendum de forma ignis & aquæ; quia experientia docet etiam aquam, summè, quàm potest fieri, calidam, numquam habere effectus ignis, videlicet inflammationem comburendo, exsiccationem, &c.

Ad Confirmationem

LXVIII. Respondeo uni gradui formæ ignis unum tantùm gradum caloris respondere, si per illum intelligatur tanta dispositio, quanta necessaria

est

est ad unum gradum formæ ignis; verumtamen ubicumque erit unus gradus caloris, non statim sequetur fore unum gradum formæ ignis; quia non solus calor est dispositio ad formam ignis, sed calor, siccitas & alia ignis accidentia non satis nobis nota; quæ omnia, sicut in sententia adversariorum, numquam sunt simul in aqua, secundùm gradus necessariæ dispositionis ad formam ignis; ita numquam sunt simul in aqua, secundùm primum gradum necessariæ dispositionis ad formam ignis; quia verisimiliter aqua est tam tenax suæ humiditatis, vel alterius accidentis contrarii, ut siccitatem, vel accidens contrarium, nequidem secundùm unum gradum admittat, prout in sententia adversariorum numquam illud admittit secundùm gradus necessariæ dispositionis ad formam ignis.

LXIX. Instabis: *Generatio unius est corruptio alterius*, saltem ubi agentia naturalia aliquo tempore in invicem agunt, & reagunt; sed hoc foret falsum, si duæ formæ substantiales materiales possent se in gradibus remissis compati, ergo, &c.

LXX. Respondeo distinguendo sensum Axiomatis istius: *Generatio unius*, si alterum præcesserit in gradu incompatibili, *Est corruptio alterius*, puta secundùm gradum incompatibilem, concedo: si alterum non præcesserit, vel non nisi in gradu compatibili, nego antecedens; eà enim proportione, quâ omnes loquuntur de accidentibus contrariis, loqui debes de termino à quo, & ad quem generationis, videlicet formâ pereunte, & adveniente; nec præfatum Axioma potest aliter intelligi; nam omnino clarum est, quòd si, vel forma positiva non præcesserit, ut in initio mundi in generatione elementorum; vel non nisi in gradu compatibili, ut fit in multis, de quibus dubio sequenti; generationem unius non esse corruptionem alterius, saltem totalem.

LXXI. Objicies ultimò ex P. Oviedo controversiâ 4ª, de generatione puncto 1º, ubi dicit, nullam esse rationem, ex qua possit oppositum leviter conjectari, & hoc sibi esse fortissimum fundamentum ad conclusionem oppositam amplectendam, quam hâc unicâ ratione suadet: intensio supponit id, quod intenditur, jam constitutum in illa ratione, secundùm quam fit intensio; quod sic probat: si gradus intensionis non supponit jam formam Physicè constitutam, non erit intensio, sed complementum formæ, vel aliquid essentiale illius: si verò sit ita constitutum, quod addetur, erit accidentale, non substantiale; ac proindè equum aut ferrum non constituet substantialiter, sed accidentaliter, ergo, &c.

LXXII. Respondeo ad primam partem argumenti, abundè esse satisfactum per probationem & confirmationes Resolutionis: ad secundam verò, Respondeo distinguendo assumptum: intensio supponit id quod intenditur, jam constitutum in esse entis, concedo assumptum; in esse entis intensi, nego assumptum: unde quod addetur, erit quidem non essentiale, & hoc sensu accidentale enti, cui addetur; non verò enti intenso; sed erit illi essentiale, ut patet: si verò forma equi, aut ferri ante additionem supponat equum, aut ferrum, adæquatè constitutum, ideo est, quia non exigit essentialiter formam intensam, & secundùm gradum intensivè divisibilem; sed formam intensibilem dumtaxat, & secundum gradū intensivè divisibilem, cæteris gradibus intensionis ad ejus essentiā se habentibus integraliter, & accidētaliter, sive potius, nō essentialiter.

DVBIVM III.

An plures formæ totales substantiales non subordinatæ possint naturaliter simul esse in eadem materia.

LXXIII. DIxi 1º, *totales*; quia partiales, & subordinatas simul esse in materia cum forma totali, cui subordinantur, asserunt multi; & idem asserit de forma corporeitatis Scotus in 4. Dist. 11. q. 13. art. 2.

LXXIV. Dixi 2º, *substantiales*, quia accidentales posse, clamat experientia; quis enim in pomo colorem non videt, & saporem non gustat? his præmissis pro Resolutione.

LXXV. Suppono 1º, formas substantiales non aliter esse contrarias, quàm quia habent dispositiones contrarias, & incompatibiles simul in eodem subjecto: cur enim potentia visiva, auditiva, tactiva, &c. simul radicantur in eadem anima; non autem potentia calefactiva & frigefactiva intensæ, radicantur in eadem forma substantiali? nisi quia illæ non habent Dispositiones contrarias, & simul incompatibiles in eodem subjecto, bene autem hæ: unde fit, quòd forma contraria substantialis non introducatur in subjectum, quin ab eodem subjecto expulsæ sint dispositiones ad contrariam: adde quòd sinè fundamento talis contrarietas refunderetur in naturam formarum; quandoquidem, de illa sit dubium, & infra in Confirmatione 2. per experientiam oppositum contra PP. Nostros Complutenses hîc, Ioan. à S. Thoma & alios probetur.

LXXV. Suppono 2º, multas formas substantiales habere dispositiones contrarias, ut experientia docet, multas non; quia multa sunt aggregata accidentium non contraria ut patet; dispositiones verò ad formas substantiales nihil sunt, nisi aggregata talium, & talium accidentium. His suppositis, sit

Resolutio.

LXXVI. DIco: variæ formæ substantiales, &c. possunt supernaturaliter; imò naturaliter; etiam in gradu intenso, si non habeant dispositiones contrarias; in remisso, si habeant; esse simul in eadem materia tamquam causa materiali. 1ª pars est Gregorii in 1. Dist. 12. Palud. in 3. Dist. 15. q. 2. Fonsecæ 5. Metaph. cap. 4º. q. 4ª. Suares Disp. 15. Metaph. Sect. 10ª. n. 60. Rubii. Tract. de forma q. 7. Hurtad. Arriagæ & aliorum è Societate communiter; quos è Scotistis sequuntur Mastrius, Poncius & plures alii. Contra Thomistas, Capreolum, Ferraram, Cajetanum, Complutenses nostros & Ioannem à S. Thoma. 2ª Pars verò nullius est, quòd sciam; eam tamen probabilem censet P. Arriaga Disp. 3. Physicæ. Sect. 6. unde in hac Resol. nostræ parte 2ª, ab authoritate præscindimus, eamq; præcisè in ratione & experientia sistendo, probamus.

LXXVII. Probatur prima Pars: quia nihil negandum Divinæ potentiæ sinè aperta repugnantia, quæ hîc non est, ut patebit à fortiori ex probatione secundæ partis.

LXXVIII. Probatur 1º secunda Pars: variæ qualitates possunt esse simul naturaliter in eadem materia tamquam causâ materiali; in gradu intenso, si non sint contrariæ; in remisso, si contrariæ; ergo & variæ formæ substantiales, &c. ad quas sunt dispositiones: Probatur consequentia, quia hæ non habent aliam contrarietatem, quam qualitatum disponentium, ergo, &c.

Nec

LXXIX. Nec dicas cum P. Oviedo, nullum esse fundamentum tribuendi materiæ virtutem recipiendi duas formas substantiales simul; ac proinde illas habere contrarietatem ex parte subjecti sive materiæ: nam (præterquam quòd nõ sit etiam fundamentum materiæ talem virtutem negandi) 1um fundamentum tribuendi est, quòd experientia doceat ferè omnes causas, quæ possunt successivè producere plures effectus, posse ut minimùm duos simul: potest autem materia successivè omnes formas substantiales materiales materialiter causare, ergo & saltem duas simul. 2um verò est, quòd, ut patebit ex statim dicendis, experientia doceat materiam de facto plures simul recipere.

LXXX. Dixi tamen in Resolutione *variæ*; quia formas ignis & aquæ (ac proinde nec earum qualitates in gradu remisso necessario ad faciendum unum gradum dispositionis ad formas illas producendas aut conservandas necessariæ, juxta explicationem factam dubio præcedenti) simul naturaliter stare non posse in eadem materia, etiam in gradu remisso, videtur experientia docere.

LXXXI. Probatur 2°, secunda Pars: quia nulla est ad hoc repugnantia naturalis, ergo, &c. Probatur antecedens: non ex parte materiæ, ut statim insinuavimus, & solutione objectionum magis confirmabitur: neque ex parte formarum, ut patet ex supposito 2°; neque ex parte dispositionum, quia, si non sint contrariæ, uti possunt non esse, ut probabitur per experientiam in Confirmatione 2ª: (certe non est, cur qualitates, quæ per se sunt dispositiones ad formas substantiales, omnes sint ad formas substantiales incompatibiles, cum per se non omnes sint qualitates invicem incompatibiles: deinde ex primis qualitatibus dantur compatibiles & incompatibiles, quidni & ex primis actibus sive formis substantialibus tales darentur) se compatiuntur naturaliter in gradu intenso; si verò contrariæ, saltem in remisso pro majori parte: nec aliunde sumi potest repugnantia naturalis, ergo, &c.

LXXXII. Confirmatur 1°, possunt duæ formæ substantiales totales ejusdem rationis esse simul in eodem subjecto, ergo & duæ diversæ rationis; consequentia tenet à fortiori; quia hæ habent diversa munia, unde non possunt esse superfluæ, quod contra alios objicitur: Probatur antecedens, quia in casu quo monstrum aliquod haberet capita & pectora duo, sed duos tantùm pedes; pedes illi duabus animabus informarentur, quibus pectora & capita informarentur, cur enim potius unâ, quàm aliâ informarentur? maximè cum altera dici non deberet superflua (saltem simpliciter) quia pro majori parte corporis (scilicet capitibus & pectoribus,) à qua sumitur denominatio, esset utilis, ergo, &c.

LXXXIII. Confirmatur 2°, experientiâ: in ferro rubicundo & candenti sunt qualitates & effectus ferri ac ignis; in ligno crescente sunt qualitates corporis animati & ligni; in ligno accenso sunt qualitates ignis & ligni: sed ista omnia includunt materiam & formam substantialem, ergo in materia ferri rubicundi, sunt naturaliter forma ferri & ignis; in materia ligni crescentis, forma ligni & viventis; in materia ligni accensi, forma ligni & ignis: Adde quòd in corpore hominis vivente, & carbone accenso, vel sit forma positiva cadaveris & carbonis, quia post aliunde non inducuntur, sed apparent ibi positâ præcisè morte & extinctione, nullo alio superaddito; vel dicendum, quòd formæ cadaveris & carbonis non sint formæ positivæ, ac proinde quòd homo in morte, & ignis in extinctione, maneat naturaliter sine omni forma secundùm esse materiæ suæ, quod non admittunt adversarii. Unde pateret ad nostros PP. Compl. secundarios effectus formæ cadaveris & carbonis non esse magis privativos, quàm sint ipsæ formæ cadaveris & carbonis; imò communis loquendi modus, quo dicitur carbo ignitus, cadaver mortuũ, &c. satis cõtrariũ insinuat.

LXXXIV. Respondetur communiter, ignem non existere in materia ferri, sed in materia distincta in ferri poris concluſa: quod confirmat P. Poncius, quia si in materia ferri esset forma ignis, falsum esset axioma Philosophi ab omnibus receptum, *Generatio unius est corruptio alterius*: Sed

LXXXV. Contra 1°, præterquam quòd nulla experientia doceat ignem esse in materia distincta in ferri poris concluſa, experientiâ manifestum est ferrum esse totaliter ignitum, & non solos poros; nam si superponatur asseri, non secundùm poros, & per puncta dumtaxat illum comburet, sed secundùm totam sui extensionem; ut quid hoc? si ignis in poris tantùm lateat: certè, cum tot sint partes, vel plures non porosæ, ac porosæ, deberet secundùm tot partes non comburere & apparere non ignitum, secundùm quot comburit, & apparet ignitum, cujus contrarium omnes experimur.

LXXXVI. Nec Responderi potest, omnes partes ferri candentis apparere ignitas, licèt non sint; eò quòd pori igniti, sint ita prope invicem, ut totum appareat ignitum, licèt non sit: quia potiùs & meliùs diceres à contrario (quod tamen sine absurdo & contra evidentem experientiam non dices, spero) omnes apparere non ignitas, quia partes non porosæ, quæ plures, sunt ita prope invicem, ut totum apparere debeat non ignitum; Nec dici potest, quòd candor ignis magis visum feriat, quàm color ferri: nam (præterquam quòd non magis feriat tactum, & ferrum ubique comburat, ac proinde debeat dici ubique ignitum) experientia docet colorem ferri in medio fracti magis visum ferire, ut potè irradiantem, quàm feriat candor ignis. Sed

LXXXVII. Quæres, cur, si in ferro candente sit simul cum forma ferri forma ignis, hæc ibi non remaneat & conservetur, sed sola forma ferri?

LXXXVIII. Respondeo, quia forma ignis continuò indiget pabulo in se convertibili, ut experientia docet, quod ibi non habet: forma verò ferri, tali pabulo non indiget: deinde, dum cessat forma ignis, ferrum simul cum agentibus circumstantibus frigidius est, quàm forma ignis sit calida, unde facilè cum eorum auxilio formam ignis expellit, quam per se, aut in vacuo non expelleret: denique idipsum tibi solvendum, quare in poris se non conservat ignis, maximè cum secundùm te habeat subjectum, sive materiam distinctam à materia formæ ferri? Quod tu respondebis poterimus & nos.

LXXXIX. Contra 2°, nulla est ratio aliter Philosophandi de ferro candente, ac de litantrace, vel ligno ignito, cum hæc remaneant igne extincto, non secus ac ferrum; sed nullus dicet ignem esse in solis poris litantracis, aut ligni igniti, ergo, &c. Ad Confirmationem P. Poncii Responsum est dubio præcedenti objectione 4ª.

XC. Responderi posset ad secundam experientiam ligni crescentis, in eo esse solam animam, quia lignum non habet formam ligni substantialem, sed formam ligni ut ligni esse accidentia quæ-

dam;

dam; vel saltem illam (si substantialis) expelli præsente animâ. Sed

LXXXXI. Contra est, quòd (præterquam quòd similiter dicam animam, & cæteras formas substantiales materiales non esse substantiales, sed accidentia quædam) oporteat admittere materiam primam in ligno naturaliter existere sine omni formâ substantiali totali, &c. quod non admittitur; quod additur verò formam ligni substantialem expelli, est incredibile, cum sub anima sint omnia accidentia ligni, sicut eâ absente & mortuo ligno. Tamen

LXXXXII. Objicies 1°, contra conclusionem, novem implicantias, quas hîc adfert P. Poncius.

LXXXXIII. 1ª, expulsio alterius formæ à subjecto esset, & non esset, effectus formalis formæ: esset ut admittunt omnes; nõ esset, ut patet ex conclusione.

LXXXXIV. 2ª, casu quo in eadem materia esset forma equi & leonis, materia esset de essentia equi, ut supponitur; & nõ esset, quia esset de essentia leonis.

LXXXXV. 3ª, quòd materia simul & semel haberet duos effectus adæquatos, nimirum equum & leonem.

LXXXXVI. 4ª, quòd compositum resultans ex materia & illis formis, esset unum, & plura numero & specie; unum propter eandem materiam; plura propter diversas specie formas totales.

LXXXXVII. 5ª, quòd materia dependeret ab alterutra forma, & non dependeret: dependeret ut supponitur; non dependeret, quia ab una adæquatè dependet.

LXXXXVIII. 6ª, quòd esset infinitæ perfectionis, & non esset: esset, quia, si posset simul duas formas recipere, posset infinitas, quod est infinitæ perfectionis; non esset, ut supponitur.

LXXXXIX. 7ª, sicut implicat unam formam esse in pluribus materiis simul; ita implicat materiam unam esse sub pluribus formis simul.

C. 8ª, quæ est communis Thomistarum Nominalium, PP. nostrorum Compl. & Ioan. à S. Thoma; altera formarum esset substantialis, & non esset; esset actus primus, & non esset: esset, ut supponitur; non esset, quia adveniret enti in actu completo, sive habenti primum alium actum.

CI. 9ª, quæ est ferè fundamentum PP. nostrorum Complutensium & Oviedi, materia non est capax duarum formarum substantialium naturaliter; ex quo inferunt, ergo nec supernaturaliter: probant consequentiam, quia nequidem Deus potest supplere causalitatem materiæ in illas.

CII. Resp. ad 1am: expulsionem formæ non esse effectum formalem formæ, saltem primarium; quia hic non distinguitur ab ipsa forma informante, quæ dari potest sine expulsione formæ prioris, ut patet in formis elementaribus informantibus materiam antea non informatam, & qualitatibus informantibus subjectum non habens contrarias; si secundarius verò, à primario separari potest, ut constat tum in allatis casibus; tum in casu quo forma succedens non habeat dispositiones contrarias formæ priori, & incompatibiles cùm ejus dispositionibus: dicere autem quòd forma informans habeat necessariò annexam privationem alterius formæ; non est rationi, & experientiis allatis conforme, & fingitur, si non probetur: unde patet ad 1um fundamentum PP. nostrorum Complut.

CIII. Respondeo ad 2am, isto casu materiam fore de essentia equi & leonis, sicut unio eadem indivisibilis est de essentia animæ unitæ corpori, & de essentia corporis uniti animæ; vel eadem indivisibilis subsistentia de essentia corporis subsistentis, & de essentia animæ subsistentis: non tamen propterea equus posset dici leo, aut è contra; quia equus & leo sunt nomina naturæ, quæ dicunt naturam, sive materiam & formam in recto, subsistentiam solùm in obliquo; falsum autem est, natura equi est natura leonis: addo quòd nequidem per communicationem idiomatum, equus possit dici leo, quia communicatio idiomatum (ut in tertia parte) est inter naturas completas ejusdem suppositi; ibi autem essent diversa supposita propter formas diversis subsistentiis subsistentes: undè patet ad fundamentum P. Ioan. à S. Thoma.

CIV. Respondeo ad 3am, quòd supponatur falsum, videlicet effectum adæquatum materiæ esse unam formam totalem substantialem sustentare, cum tamen possit omnes simul, quarum simul necessarias dispositiones habere potest: imò, si ad plures formas totales substantiales simul habeat necessarias dispositiones, non magis satiatur appetitus materiæ per unam, impeditis aliis, quàm satiaretur habens necessarias ad unam, si illa una impediretur.

CV. Respondeo ad 4am, illud compositum fore unum inadæquatè ex parte materiæ, sicut est unum ex parte unionis & subsistentiæ, si unio & subsistentia sint una totius; & multa inadæquatè ex parte formarum, sicut est multa ex parte materiæ & formæ unitarum & subsistentium: Adde fore duo composita numero ac specie, ratione formarum numero & specie distinctarum, & unum numero ex parte solius materiæ, cujus, quia non est ratio ultima & completiva compositi, non habetur tanta ratio, ac formæ, quæ *dat esse rei*.

CVI. Ad 5am, Respondeo quòd à neutra penderet, ut constat ex dictis Disputatione præcedenti, ubi diximus materiam primam posse naturaliter existere sinè omni forma; si verò non posset, ab alterutra tantum indeterminatè penderet, sic nempè, ut posset simul utramque habere, non tamen simul utràque carere, quin aliam reciperet.

CVII. Ad 6am, Respondeo (præterquam quòd, ex eo quòd possit simul recipere aliquot earum quas potest successivè, non statim sequatur posse omnes, ut patet in omnibus causis, quæ successivè possunt prope-modum infinitos effectus producere; non tamen simul) indè non sequi materiam fore infinitè perfectam ex parte sua, sed infinitè perfectibilem dumtaxat; quia ex eo quòd materia perficiatur animâ rationali v.g. non sequitur illâ habere ex parte sua perfectionem animæ rationalis, & sic de aliis, sed perfectibilitatem ab illa, & sic de aliis.

CVIII. Ad 7am, Respondeo formam spiritualem posse esse in duabus materiis continuis, ut patet in anima rationali in corpore humano existente: materialem verò non posse; quia deberet, sicut & materiæ, esse naturaliter in pluribus locis adæquatis, quod est contrà experientiam: ad hoc verò, ut una materia informetur pluribus formis simul, non est necessarium ut illa materia sit in pluribus locis adæquatis; quia illæ formæ naturaliter se penetrare possunt, & esse in eodem loco.

CIX. Ad 8am, Respondeo utramque formam futuram substantialem, & actum negativè primum, quia non advenirent enti in actu completo antecedenter ut in actu, sed materiæ secundùm se, sive in actu completo concomitanter: unde remanerent actus negativè primi & formæ substantiales, ac actus simpliciter

simpliciter primi, licèt non positivè seu cum exclusione alterius similiter primi. Vnde patet ad PP. nostros Comp. & Ioan. à S. Thoma.

cx. Ad 9^{um}. Respondeo nullius esse roboris contra nos, qui admittimus materiam esse naturaliter capacem duarum formarum substantialium simul, cujus contrarium falsò supponitur: hoc tamen etiam non admisso, nihil urget; quia sicut Deus supernaturaliter efficere potest, ut anima rationalis sit supernaturaliter subjectum eductionis, & causa materialis materiæ primæ; potest etiam efficere, ut materia prima incapax duarum formarum substantialium, sit supernaturaliter capax illarum. Si autem quæras quid circa hoc dubium senserit D. Thom. hoc accipe ex P. Ioan. à Sancto Thoma q. 10. de causa art. 5o. circa hoc dubium, *De mente Divi Thomæ non facile judicari potest, cum ratio D. Thomas hujusmodi quæstiones de potentia absoluta Dei disputet, & loca quæ adferuntur procedunt secundum ordinem naturæ:* ita ille: an autem loca, quæ adferuntur, convincant D. Thomam velle secundùm ordinem naturæ duas formas totales substantiales non posse simul esse in eadem materia? mihi valde dubium est.

cxi. Objicies 2o, si duæ formæ substantiales naturaliter simul esse possint in eadem materia, ut quid videmus ad generationem novæ formæ, continuò corrumpi veterem? ita ferè P. Ioan. à S. Thoma hîc q. 10. art. 5o.

cxii. Respondeo, non continuò corrumpi veterem, ut patet per experientias allatas; si verò corrumpatur, fit, quia habet dispositiones contrarias, quo tamen casu, non semper in instanti corrumpitur tota, sed successivè, & per partes ad corruptionem successivam dispositionum; unde toto illo tempore sunt duæ formæ substantiales simul in eadem materia in gradu remisso: Adde non omnes formas substantiales habere operationes aliquo sensu clarè perceptibiles, ac proinde antiquam sæpius remanere cum forma nova, ubi putatur corrupta.

cxiii. Objicies 3o, ex P. Comptono Physicæ Disp. 11a. Sect. 3a. n. 8o. corpus non est naturaliter capax simul duarum ubicationum ob limitationem; ergo nec materia, &c. Probatur consequentia; quia sicut, si esset naturaliter capax plurium ubicationum simul, numerus earum determinari non posset; ita nec formarum in materia, si materia esset naturaliter capax, &c. id verò est absurdum, ergo, &c.

cxiv. Respondeo negando consequentiam, quia, ita docet experientia corpus non esse simul naturaliter capax plurium ubicationum, ut simul doceat esse capax plurium formarum, supposito quod dentur formæ substantiales: ad probationem autem consequentiæ, Resp. retorquendo Argumentum 1o, in gradus intensionis; si materia sit capax duorum graduum caloris naturaliter, determinari non poterit numerus graduum, &c. quod non admittit: 2o, in ipsas formas accidentales; non enim potest contrarias recipere: 3o, in extensionem localem Angeli, quæ non statim ad infinita loca esse potest, quia ad duo v.g. esse potest: si verò rationem quæras, est, quia formæ illæ ab extrinseco agente è materia educi debent; agentia autem tot formis educendis, sufficientia, vel non semper adsunt, vel si adsint, non simul possunt oppositas formas simul educere, ut vel ex ipsis accidentalibus patet: denique nullum apparet absurdum, in eo quòd materiæ ista capacitas concedatur, quandoquidem quantitati similis in ordine ad formas accidentales recipiendas concedatur.

DVBIVM IV.

An formæ materiales educantur de potentia materiæ, & quomodò.

ANtè Resolutionem

cxv. Suppono 1o, eductionem posse considerari dupliciter: 1o activè, & sic est actio, quâ forma egreditur ab agente mutante materiam: 2o passivè, & sic est passio, quâ forma recipitur in materia ut subjecto sustentationis ac mutationis.

cxvi. Suppono 2o, eductionẽ formæ materialis ex materia, multũ distingui à creatione activa & passiva formæ: à creatione activa quidẽ, quòd hæc sit actio, quâ forma egreditur ab agẽte nõ mutante materiã; à passiva verò, quòd hæc sit passio, quâ forma recipit esse præcisè, & nõ in materia ut subjecto sustentationis, ac mutationis: sæpe enim contingit differentias formarum positivas exprimi per negationem, defectu perspicacis cognitionis earũ. Sed

cxvii. Petes, quæ sit distinctio inter modum, quo forma materialis esse recipit in materia ut subjecto sustentationis ac mutationis, ab eo, quo anima rationalis primum suum esse recipit in materia.

cxviii. Responderet aliquis 1o, ex P. Lessio de summo bono libro secundo numero quadragesimo nono, ubi negat materiam esse causam materialem formarum materialium per veram causalitatem & influxum: item ex Arriaga Physicæ Disputatione octavâ, Sectione primâ, ubi dicit nullam rationem efficaciter probare materiam esse causam materialem dicto modo: distinctionem esse in eo, quòd formæ materiales, ita recipiant suum esse in materia, ut extra hanc tamquam conditionem sine *qua non*, nec esse, nec conservari possint naturaliter; benè autem anima rationalis. Sed

cxix. Contra 1o, vel influxus conditionalis subjecti impedit creationem, & facit eductionem; vel solus absolutus? si primum, jam anima rationalis in primo suo produci non creabitur, sed educetur; quia cum ex decreto Dei, primò non producatur nisi intuitu materiæ ad ipsam dispositæ, materia habet influxum conditionalem in ipsam; hoc autem nullus Catholicorum dixerit: si secundum, jam corruit tota ratio ipsius, ut patet.

cxx. Contra 2o, decernat Deus animam rationalem non conservare aliter, quam decrevit illam primò producere, scilicet intuitu materiæ, &c. an adhuc creabitur? an educetur instar formarum materialium? hoc secundum nullus Catholicorum admiserit: si primum, (quod verum esse debet, quia si unum decretorum non impediat creationem, neque alterum illi omnino simile illud impediet) jam sequitur omnes formas materiales creari; causas secundas de facto creare, aut nihil agere posse, ut considerati patebit; quæ sunt absurda.

cxxi. Contra 3o, sic dicere potero causas efficientes non habere etiam influxus absolutos, sed conditionales tantùm, quod non admittunt; videtur enim par ratio.

cxxii. Addes fortè inter animam rationalem, & formam materialem, hanc esse disparitatem, quòd hæc ex ratione sua intrinseca pendeat ab influxu conditionali materiæ; illa verò non nisi ex decreto Dei extrinseco, quod si tolleretur, posset extra materiam produci. Sed

Contra

CXXIII. Contra primo, nec ratio intrinseca formæ materialis, nec influxus conditionalis materiæ impedit creationem, ergo allata disparitas nulla est: Probatur antecedens, non inprimis ratio intrinseca formæ materialis, quia hæc absolutè creari potest, ut constabit ex dubio sequenti; neque etiam influxus materiæ, ut patet ex præmissis de anima rationali.

CXXIV. Contra secundo: creatio & eductio ut actiones Dei causæ efficientis, specie distinguuntur; non ex parte effectus, quia idem effectus potest creari & educi; ergo quia creatio est solius Dei, & eductio Dei & materiæ, aliter, quàm per modum conditionis, ut toties ostensum est.

CXXV. Contra tertio: quid aliud est, formam materialem ex ratione sua intrinseca pendere ab influxu conditionali materiæ, quàm illam non posse esse sine materia? unio autem (si distincta ab actione) inter materiam & formam potest creari, & tamen ex ratione sua intrinseca, non potest esse sine materia; & idem est de ipsa creatione materiæ, & sic de aliis.

CXXVI. Responderet aliquis secundo ex Patre Oviedo Physicæ controversiâ tertiâ puncto quarto, distinctionem esse in eo, quòd formæ materiales pendeant à materia tanquam causa materiali, per verum materiæ influxum positivum; unde, inquit, consequentiam hanc legitimam esse censeo, *hæc entitas non dependet à causa materiali per verum influxum, ergo creatur*: & hanc distinctionem approbat P. Poncius Disputatione quarta de forma substantiali numero 27°. quia (inquit) hic modus nihil habet difficultatis, nec melior assignari potest. In idem recidit distinctio D. Murciæ 2. Physic. Disput. 3. q. 2. nempe, quòd actio productiva & conservativa formæ materialis recipiatur & sustentetur in ipsa materia. non ita anima rationalis, aut ejus productio. Sed

CXXVII. Contra: vel influxus in formam materialem à materia prima materialiter egreditur, vel ab alio secundùm totam entitatem suam egressus, in materia recipitur? si primum, nobilior erit causa materialis, quàm efficiens purè; quia (præterquam quòd erit effectiva formarum substantialium materialium omnis generis, ut ignis, aquæ, &c. causa verò purè efficiens non nisi unius aut alterius, ut v. g. ignis A. ignis B. Petri, Ioannis, &c.) per proprios effectus seipsam perficiet, non ita efficiens purè, & ultra perfectionem suam sibi assumet cæterorum agentium perfectiones, quorum neutrum causæ purè efficienti convenit; quomodo igitur *prope nihil?* entium imperfectissima? pura potentia passiva? si secundum, ergo forma non est per verum & positivum influxum materiæ; primo, quia supponitur non influxiva; imò, si per impossibile, supponatur ipsa absente causa efficiens influere; ipsâ absente, adhuc erit totus influxus, & tota forma, ut patet: quare omnino nulla est allata distinctio.

CXXVIII. Responderet aliquis tertio cum PP. nostris Complut. hic Disput. 4. q. 2a. §. 3o. distinctionem esse in eo, quòd forma materialis fiat per transmutationem materiæ seu unitionem sui ad materiam: non ita anima rationalis: sed per præviam. Tamen

CXXIX. Contra etiam est, quòd, vel materia in unitionem illam influat per verum influxum ab unitione ista realiter distinctum, vel per indistinctum, à se egressum partialiter, vel non? quidquid dixerint, jam rejectum est. His itaque distinctionibus tanquam non sufficientibus: aut minus, quàm satis, sufficientem distinctionem explicantibus, rejectis, aliter

CXXX. Respondeo distinctionem inter modum, quo forma materialis esse recipit in materia ut subjecto sustentationis ac mutationis, ab eo, quo anima rationalis primum suum esse recipit in materia, sitam in eo, quòd forma materialis sit in materia eo modo, quo generatio; anima verò rationalis eo modo, quo foret creatio, si forent entia solida, & non modalia.

CXXXI. Ratio est primo, quia sic clarè distinguitur causa materialis ab efficiente, & generatio formæ à creatione ejusdem: secundo, quia sic vitatur multiplicatio influxuum sine necessitate: modus autem, quo generatio est in materia, est talis, ut habeat totam entitatem suam ab alio, quàm materia, sed à materia ita sustentatam, ut, etsi foret res solida, adhuc laberetur in nihilum, destructâ solâ materiâ, ad eum ferè modum, quo plumbum habens totam entitatem suam ab alio, quàm manu sustentante, laberetur in terram, sepositâ solâ manu ipsum sustentante: modus verò, quo creatio est in materia, est omnino alius, & talis, ut si foret ens solidum, adhuc remaneret pereunte solâ materiâ, non secus ac anima rationalis; quia ab ea non sustentatur, sed à causa creante sola in esse conservatur. Ex his

CXXXII. Colliges contrà Patrem Poncium libro 2o. Physicorum disputatione 8a. num. 35. rectè à nobis assignari posse rationem, cur forma materialis debeat produci in subjecto, licèt subjectum non debeat influere in ipsam; quia videlicet naturâ suâ talis est, ut remoto subjecto statim in nihilum labatur, in quo à forma spirituali, anima rationali v.g. differt, ut statim vidimus.

CXXXIII. Nec dicas primo, sustentationem esse influxum materiæ in formam, quem agnoscit contraria sententia.

CXXXIV. Respondeo enim quod per sustentationē hîc non intelligamus actionem, aut passionem alicui actioni identificatam, sed præcisè existentiam materiæ sub forma, quæ, & habeat totam entitatem suam ab alio, quàm materia, & laberetur in nihilum destructâ solâ materiâ; quod fieri posse intelliges (saltem rudi modo) per exemplum plumbi allatum; & est communis sensus, quòd formæ materiales pereant separatâ solâ materiâ, quod ibi declaratur.

CXXXV. Nec dicas secundo, experientiâ docere formam recipi in materia per influxum realiter à se distinctum, sicut fit per influxum realiter à se distinctum: nam (præterquam quòd experientia primum non doceat, sed sola ratio sumpta ab indifferentia effectuum, non alligandorum determinatè causæ essentialiter sine necessitate) ratio dictat, non esse multiplicanda entia, sive influxus, sine necessitate & contra rationem causæ materialis, quæ propriè, ut à causa efficiente condistinguitur, non influit: imò essentia causæ materialis ut condistinctæ à causa efficiente aliter intelligi non potest, quàm modo dicto, scilicet

purè sustentando formam aliunde ex integro productam, ita ut desinat desinente solâ materiâ. Hinc

CXXXVI. Colliges eductionem, non esse dependentiam formæ à materia, per influxum aliquem positivum secundùm entitatem à materia procedentem; sed dependentiam à materia tanquam causa materiali, sive purè sustentante, tum formam, tum totam entitatem influxus agentis in illam: unde passio non est à materia secundùm entitatem, sed est ipsa entitas actionis materiam respiciens, in qua sustentatur: hinc eductionis naturam, etiam non satis explicant PP. Conimbricenses, Ioannes à sancto Thoma, Fuentes, Telles, & alii, dicendo quòd sit productio formæ cum dependentia à materia, sive subaudiant *prius tempore*, sive non; sive *in esse & conservari*, sive *in esse & primo produci tantùm*. His præmissis, sit

Resolutio I.

CXXXVII. Dico 1°. omnes formæ substantiales totales, &c. præter animam rationalem educuntur ex materia. Ita omnes Philosophi, quoad 1am Partem: & Scotistæ quoad utramque.

CXXXVIII. Probatur 1ª pars, quia educi ex materia nihil aliud est, quàm fieri dependenter à materia, tanquam causa materiali, seu purè sustentante, &c. sed omnes formæ substantiales totales, &c. præter animam rationalem, ita fiunt, ergo, &c.

CXXXIX. Probatur minor 1°. quoad sublunares non elementares cum communi Doctorum: quia successivè à causis secundis generantur; sed generatio est eductio, ergo, &c. Probatur major, quia à causis secundis producuntur, & non creantur; nam creare est proprium Dei respectu creaturarum existentium aut præteritarum, ut infra probabitur, ergo generantur.

CXL. Nec dicas causas secundas non nisi materiam disponere, Deum verò ad exigentiam illarum formam creare: hoc enim est, ubi occurrunt causæ naturales, miracula fingere, ac proinde sine necessitate causis naturales actionibus sibi propriis privare, quod absurdum est.

CXLI. Probatur minor 2°. cum Scoto in 2um. dist. 17. quoad sublunares elementares, Suarez Metaph. Disp. 15. sect. 3. Vasquez 1ª. p. tom. 2. Disp. 174. cap. 4. Molina, Rubio, Murcia &c. contra Conimbr. Complut. nostros, Ioannem à S. Thoma, &c. quia non est ratio de illis aliter, quàm de non elementaribus philosophandi, ergo, &c. Probatur antecedens; quia, vel illæ exigunt creari, vel non? non 1um, quia alioqui ex natura sua essent independentes à materia in esse & conservari, & non nisi ex aliquo Dei Decreto extrinseco (uti de anima rationali dictum est) ab ea dependerent; ac proinde essent ex natura sua perennes, & incorruptibiles, uti anima rationalis, quod videtur fictitium: non 2um, quia, si non exigant creari, miraculosè crearentur, cujus nulla est necessitas, ergo, &c.

CXLII. Nec dicas cum Conimbricensibus, Complutensibus nostris, Ioanne à S. Thoma, &c. esse necessitatem, eò quòd materia non priùs tempore existat, quàm formæ illæ. Quia, licèt id requiratur ad generationem secundùm mentem Aristotelis, & strictè sumptam, ut Disput. 1ª. de principiis dictum est, non requiritur tamen ad productionem non creativam præcisè, sive generationem latè sumptam; nam hæc solùm dicit productionem in materia purè sustentante, sive prius tempore, aut naturâ, fuerit sub privatione formæ, sive non: unde rectè confundes eductionem cum productione non creativa, sive generatione latè sumpta; non verò cum generatione strictè, ad quam requirunt Thomistæ post Aristotelem, materiam priùs tempore extitisse, quod, cum aliunde subsit omnino rigorosa differentia generationis à creatione, omnino frustra fit.

CXLIII. Probatur minor 3°. quoad substantiales cœlestes, cum Molina, Vasquez, Rubio, Murcia, &c. post universam ferè Scoti Scholam, contra Thomistas communissimè, uti de elementaribus probata est.

CXLIV. Nec dicas 1°. cum Conimbr. Complutensibus nostris, Suare, Fonsecâ, &c. has esse cum materia eâdem indivisibili actione concreatas: quia (præterquam quòd dicendum esset illam eandem indivisibilem actionem simul esse creationem materiæ, & generationem formæ, ac idem concludendum de terra forma elementari, juxta illud Scripturæ *In principio creavit Deus Cœlum & terram*. ubi tamen agitur de creatione latè sumpta pro productione, quo sensu infra dicitur, *masculum & fœminam creavit eos*) illa productio non debet esse indivisibilis, cum naturaliter terminetur ad effectus specie diversos, materiam scilicet & formam: si verò formæ Cœlorum sint à materia sua inseparabiles, & ideo incorruptibiles, non fit, quia sunt eâdem indivisibili actione cum materia concreatæ, sed fortè, quia non habent dispositiones suis contrarias.

CXLV. Nec dicas secundo eductionem formæ præsupponere dispositiones suas priùs in materiam introductas: quia id tantùm requiritur, ubi forma contraria expellenda, in materia præsupponitur; nam materia secundùm se semper est satis præparata & dispositа ad formam, non secus ac ad dispositiones ipsas, recipiendum.

Resolutio II.

CXLVI. Dico secundo: formæ materiales substantiales, & idem est de accidentalibus; non sic in materia præextitere, ut per generationem, vel eductionem de novo, etsi partialiter tantùm, non producantur; sed solùm appareant, & educantur, uti equus è stabulo, prout voluere nonnulli antiqui Philosophi, quos videtur sequi noster Bacho, Quodl. lib. 1°. q. 6. art. 2°. & in 2um dist 18. art. 2°. verùm ipsum aliud, quàm nos, velle non puto; quia §°. 5°. ad 1um docet formas terminare generationem secundùm modum essendi sive existendi, sic nempè, ut ante, in materia non fuerint, nisi secundùm aliquod esse potentiale, sive sumibile à materia.

Probatur primo: quia id non stat cum imperfectione materiæ.

CXLVII. 2°. Quia sic nulla daretur generatio substantialis, aut accidentalis; nam, si in illa præextiterint formæ substantiales, præextiterunt & accidentales, idque ante omnem generationem in materia

materia per creationem materiæ, quod absurdum est.

CXLVIII. 3°. vel illud, ratione cujus de novo apparent, ita præextitit in materia, vel non? si sic, quomodo potius uno tempore facit eas apparere, quàm alio: si non, idem dic de aliis.

CXLIX. 4°. Absurdè sequeretur in aëre esse lucem absente sole; in carbone calorem absente igne; in igne, summum frigus; in aqua, summum calorem; in lacte, summam nigredinem, &c. quia materiam continent, quæ omnes formas haberet.

CL. Nec refert, quòd dicatur habere omnes latentes; quia debent tandem apparere per formam non latentem, alioqui nunquam apparerent, ut patet: unde vel hæc forma latuit in materia, vel non? si sic; ergo debet apparere per aliam, quæ latuit in materia, & hæc per aliam, & sic in infinitum: si non, idem dic de omnibus omnino formis materialibus, non enim habent esse ante eductionem magis quàm illa: hinc formæ melius dicentur induci in materiam, quàm educi; quia tamen Philosophi communiter ita loquuntur, dic hoc sensu educi, quòd sint ex materia, tanquam ex causa materiali.

CLI. Objicies 1°. ex Aristotele 7°. Metaph. textu 29. in materia præexistit pars rei faciendæ, sed forma sit; ergo ejus pars in materia præexistit.

CLII. Respondeo per rem faciendam intelligendum corpus naturale completum, sive compositum, quod sicut absolutè & principaliter à natura intenditur, & forma non nisi secundùm quid, & propter compositum; ita absolutè & principaliter fieri dicitur, & forma non nisi secundùm quid, &, propter compositum: unde dic locutionem esse intransitivam, ut sit sensus, materia præexistit pars rei faciendæ: vel dic Aristotelem ibi agere de materia secunda, & per rem faciendam intelligere artefactum aliquod, cujus aliquod accidens essentiale semper præexistit in materia secunda, ex qua fit: cum verò Augustinus 3°. de Trinitate cap. 7°. ait, *omnium quæ nascuntur, occulta quædam semina in mundi elementis latere*, vult tantùm dispositiones ad omnia quæ nascuntur, in mundi elementis latere efficienter; nam ad omnia quæ nascuntur, disponunt calor, frigus, &c. quæ elementa producunt.

CLIII. Objicies 2°. si formæ non præextitissent in materia, fierent ex nihilo, ac proinde crearentur, quod supra improbatum est, ergo, &c.

CLIV. Respondeo distinguendo antecedens pro prima parte, fierent ex nihilo sui & subjecti tanquam partis se componentis, concedo antecedens; ex nihilo subjecti tanquam causæ materialis, & sustentationis, nego antecedens; sic autem sufficienter distinguitur eductio à creatione, ut supra vidimus: creari enim est fieri ex nihilo sui & subjecti tanquam causæ materialis; educi verò & generari, est fieri ex nihilo quidem sui, sed ex aliquo subjecti tanquam causæ materialis.

Objicies 3°. ex Magistro nostro Bachone Quodl. lib. 1°. q. 6. art. 2°. *quando formæ noviter educuntur in actum, non acquiritur nova realitas formæ: sed educitur de potentia in actum illud, quod* 1°. *fuit ibi in potentia*, ergo, &c.

Respondeo velle, aliud ens ex materia non educi, quàm fuerit possibile ex ea educi sive in potentiâ *ens* participium ut loquitur art. 3°.

DUBIUM V.

An forma non modalis, quæ connaturaliter educitur ex materia, divinitus creari possit; & quæ connaturaliter creatur, ut anima rationalis, divinitus educi possit ex materia: & an simul eâdem indivisibili actione educi, & creari possit.

Resolutio I.

CLV. Dico 1°. forma, quæ connaturaliter educitur ex materia, divinitùs creari potest.

CLVI. Probatur: quia species Eucharisticæ quæ connaturaliter educuntur ex materia ante consecrationem, post consecrationem creantur, ergo, &c.

CLVII. Confirmatur, non sunt effectus alligandi determinatis causis essentialiter sine necessitate; sed nulla est necessitas, ita alligandi formas non modales causis creatis, ut Deus se solo illas creare non possit; vel ita, ut non sint indifferentes ad educi vel creari, præsertim cum hoc minuat dominium Dei in creaturas, & dependentiam creaturarum à Deo, ergo, &c.

Resolutio II.

CLVIII. Dico 2°. forma, quæ connaturaliter creatur, ut anima rationalis, divinitùs educi potest ex materia: est contra Suarem, Molinam, Hurtadum, Amicum, Perieram, Oviedum, Telles, &c. Ita tamen nonnulli Recentiores, quos tacito nomine, citat P. Telles de Anima Disp. ult. sect. 1ª.

CLIX. Probatur, quia nulla est repugnantia: nihil verò divinæ virtuti negandum, quod non repugnat, ergo, &c. Probatur major. quia si aliqua esset, esset, vel ex parte causæ efficientis; vel ex parte influxus; vel ex parte effectus, sive formæ connaturaliter creatæ; vel ex parte causæ materialis sive materiæ; quia aliud non suppetit ex parte cujus sit: sed ex parte illorum nulla est, ergo, &c. Probatur minor: non ex parte causæ efficientis; quia sicut Deus effectum connaturaliter eductum creare potest, ita & connaturaliter creatum educere: non etiam ex parte influxus; quia sicut influxus creativus potest terminari ad formam connaturaliter eductam, ita eductivus ad formam connaturaliter creatam; non etiam ex parte effectus, quia sicut effectus connaturaliter eductus creari potest, ita connaturaliter creatus educi: non denique ex parte materiæ, quia illa est capax causandi materialiter omnes formas, quarum causativos influxus sustentare potest; sed posset talis formæ influxum, utpote eductivum & generativum, sustentare, ergo, &c.

CLX. Confirmatur, majoris virtutis est ex parte causæ efficientis, & majoris defectibilitatis ex parte effectus, formam connaturaliter creatam annihilare, quàm educere; sed talem formam potest Deus annihilare, ergo & educere. Ex his

CLXI. Patet ad P. Oviedum Physicæ controv. 13. puncto 6°. aientem, non esse positivum fun-

damentum animæ rationali concedendi capacitatem eductionis, & materiæ receptionis illius; si enim loquatur de capacitate eductionis connaturalis; fateor; si de capacitate eductionis supernaturalis; oppono statim allata fundamenta.

CLXII. Objicies 1°. ex P. Telles: id quod est, per se, & essentialiter immortale, nec divinitus potest fieri mortale; sed anima rationalis est per se & essentialiter immortalis, ac independens à materia; ergo nec divinitus fieri potest mortalis, seu dependens à materia; & consequenter nec divinitus educi potest; nam id quod educitur dependet in fieri, & conservari à materia: major demonstrationis certissima est; nam id quod per se est tale, nec divinitùs potest non esse tale, Deus enim mutare non potest essentiam rei, quia id implicat contradictionem: minor expressè traditur à Concilio Lateranensi, habito sub Leone decimo, sess. 8ª. ita verbotenus ille: verùm in illo argumento multa displicent. Quare

CLXIII. Respondeo 1o. retorquendo argumentum in animam equi, quę retorsio contra præfatum authorem, plus, quam illud argumentum, quod immerito jactat, fortis est instar equi Trojani: *id quod est per se & essentialiter mortale, nec divinitùs potest fieri immortale; sed anima equi talis est,* (nam non aliter anima, rationalis est immortalis, & independens à materia, quàm anima equi mortalis & dependens, scilicet ex exigentia suæ naturæ; unde sicut anima rationalis à præfato authore dicitur per se, & essentialiter immortalis (licèt falsò, sensu quo intelligit, ut statim patebit,) ita ab eodem hæc debet dici per se & essentialiter mortalis.) *ergo, &c.* Negat majorem præfatus author, & meritò; quomodo igitur nobis objicit, quòd id, quod est per se & essentialiter immortale, nec divinitùs possit fieri mortale?

CLXIV. Resp. 2o. negando minorem, ad ejus probationem, salvâ Reverentiâ, fallitur P. Telles dicendo minorem expressè tradi à Concilio Lateranensi, sensu ab ipso dato; nam in eo solùm damnantur velut hæretici, Pomponatius, & nonnulli alii Philosophi, docentes animam rationalem esse naturâ suâ mortalem, sive posse naturaliter emori, sicut anima equi; quod non est tradere animam rationalem sic esse per se & essentialiter strictè immortalem, ut nequidem divinitùs esse possit mortalis, eo sensu quo anima equi divinitùs esse potest, vel ipso fatente, immortalis: sed latè, sive sic, ut sicut anima equi naturaliter esse non potest immortalis; ita anima rationalis non possit naturaliter esse mortalis, quæ toto Cœlo distinguuntur: nec aliud intendit Concilium per ly *naturâ suâ*: deinde si immortalitas sit de essentia animæ, erit & immors; quomodo igitur divinitùs potest poni mors, sive destructio animæ? quam poni posse divinitùs, non nisi temere negaret P. Telles.

CLXV. Instabis ex eodem: substantia non potest divinitùs inhærere, quia est per se essentialiter existens; ergo etiam anima rationalis non potest divinitùs educi, quia est per se essentialiter, id est, per suam essentiam independens à subjecto.

CLXVI. Respondeo 1o. negando antecedens, & consequentiam: malè enim ibi confundit P. Telles ly *per essentiam*, cum ly *per naturam*, sicut & ly *essentialiter*, cum ly *naturaliter*; siquidem formæ solidæ materiales naturaliter pendent à subjecto, non tamen essentialiter; sed solæ modales, ut propemodum omnes Philosophi loquuntur.

CLXVII. Respondeo 2°. distinguendo antecedens: si ly *inhærere* sumatur in antecedente, eo modo, quo ly *educi* sumi debet; si videlicet ly *inhærere* ita sumatur, ut sit commune entibus connaturaliter inhæsibilibus, & non connaturaliter inhæsibilibus, sicut ly *educi* ita sumitur, ut sit commune entibus connaturaliter educibilibus, & non connaturaliter educibilibus, nego ant. quia ut sic *inhærere* rectè confunditur cum hoc modo *educi*: & sicut anima rationalis & accidens possunt sic educi, ita & inhærere: si ly *inhærere* sumeretur strictè, ut est cõmune solis entibus connaturaliter inhæsibilibus, v.g. formis accidentalibus, concedo ant. sed neque etiam *educi* conveniret animæ rationali, si sumeretur strictè, ut est commune solis entibus connaturaliter educibilibus; verùm quia hæc restrictio non daret dubio aut divinæ virtuti locum, nec fundata est; non debent ly *inhærere* aut *educi* sub hac restrictione sumi, sed priori modo.

CLXVIII. Vrgebis & dices, te contendere, neque inhærere, neque educi posse ita latè sumi, & communiter strictè sumi, ergo, &c.

CLXIX. Respondeo negando consequentiam; id quidem contendis; sed non probas; & ego contrarium probo: sicut enim *per se existens*, attendendo ad omnem potentiam, etiam divinam, quomodo procedit dubium, potest ita sumi, ut sit commune entibus connaturaliter per se existentibus, & entibus non connaturaliter per se existentibus, v.g. formis accidentalibus; ita & *inhærere* allato modo sumi potest: deinde sicut *creari* potest ita sumi, ut sit commune entibus connaturaliter creabilibus, & entibus non connaturaliter creabilibus, v.g. formis materialibus; ita & educi allato modo sumi potest. Hinc contra eundem supra citatum P. Telles

CLXX. Dic, nec substantiam esse per se immediatè actu existentem per se, sed per actionem condistinctam ab inhæsione connaturali formarum accidentalium; nec animam rationalem esse per se immediatè actu creatam, sed per actionem condistinctam ab eductione connaturali formarum materialium, quarum, illam naturaliter, hanc vero supernaturaliter terminare potest: neque per hoc mutantur essentialiter, ut dictum est; quia neque de essentia substantiæ est non inhærere præcisè, sed connaturaliter non inhærere; neque de essentia animæ rationalis non educi, sed connaturaliter non educi, ut ex formis accidentalibus à pari constat de non existere per se, & in materialibus, de non creari; illæ enim divinitùs ac supernaturaliter existunt per se; hæ verò divinitùs ac supernaturaliter creantur.

CLXXI. Objicies 2°. ex P. Hurtado Phys. Disp. 32. sect. 6. actio supplens defectum naturalis actionis, debet in modo attingendi esse nobilior eâ, quam supplet; sed eductio, utpote pendens à subjecto, est ignobilior creatione, ergo, &c.

CLXXII. Respondeo 1o. retorquendo argumentum in actiones causarum secundarum, quæ supplent defectum actionis divinæ ut totalis; non sunt tamen in modo attingendi nobiliores hâc, ut patet, sed ignobiliores saltem ex parte principii

principii : deinde calor supplet defectum actionis ignis in ignem, vel saltem calorem ; ipsius tamen actio non est nobilior actione ignis, ut etiam patet.

CLXXIII. Respondeo 2°. in forma, negando majorem ; quia gratis & sinè probatione ponitur ab Hurtado, actionem supplentem defectum naturalis actionis debere in modo attingendi esse nobiliorem eâ, quam supplet, nisi fortè velit esse nobiliorem hoc ipso, quòd supernaturalis, ex quo nihil contra nos.

CLXXIV. Objicies 3°. nulla est proportio inter eductionem actionem materialem, & effectum spiritualem ex natura sua à materia non pendentem, ergo, &c.

CLXXV. Respondeo distinguendo assumptum: nulla est proportio attentâ virtute naturali & causæ secundæ, concedo assumptum; attentâ virtute supernaturali & causæ primæ, nego assumptum; si enim hâc attentâ sit sufficiens proportio inter creationem actionem ex natura sua à materia non pendentem, & effectum materialem ex natura sua à materia pendentem ; erit & inter eductionem, &c. ex his liquet P. Telles aientem, *isti sententiæ* (scilicet nostræ) *nescio, quâ mercede conducti, juniores aliqui Philosophi judicio malè pertinaci adhæserunt*, judicio malè pertinaci malum esse Cœlorem; præsertim cum D. Thomas, quem pro se citat ex 1ª. p. q. 75. art. 6°. in corpore, ubi dicit, *impossibile est ergo quòd anima intellectiva sit corruptibilis*; loquatur de potêtia ordinaria & naturali; quia ut profundè notat, è profundissimis Thomistis unus, R.P. Ioannes à S. Thoma Phys. q. 10. art. 5°. rarò D. Thomas hujusmodi quæstiones de potentia Dei absoluta disputat. & loca (è quibus ad propositum ipsius hic unus isti similis est, *impossibile est in uno & eodem esse plures formas substantiales*) quæ circa hoc adferuntur, procedunt secundùm ordinem naturæ.

Resolutio III.

CLXXVI. Dico 3°. tam formæ connaturaliter creatæ, quàm materialiter eductæ, possunt divinitus simul eâdem indivisibili actione creari & educi.

CLXXVII. Probatur, quia creatio & eductio possunt in eandem indivisibilem entitatem coalescere, ergo, &c. Probatur antecedens ; quia eodem modo se habent creatio & eductio ad diversas formas, sive terminos in subjecto existentes, vel non existentes ; sicut se habent scientia & opinio ad diversa media ; sed hæ, imò & assensus ac dissensus, possunt in eundem indivisibilem actum coalescere, ut constat ex dictis in Logica Tract. 9°. Disp. 3ª. ergo & creatio ac eductio diversarum formarum alioqui successivè creatarum & eductarum.

CLXXVIII. Confirmatur 1°. nihil denegandum divinæ virtuti sinè aperta repugnantia ; sed hic nulla est, ergo, &c. Probatur minor, quia creatio & eductio sunt actiones positivæ, non habentes annexa, nisi independentiam positivam, & dependentiam positivam, inter quas nulla contradictio, magis quàm inter certitudinem scientiæ, & incertitudinem opinionis, ergo, &c.

CLXXIX. Confirmatur 2°. ex hac cõclusione solùm sequitur independentia positiva & dependêtia positiva indivisibilis formarum diversarum à subjecto ; sed hæ positivæ entitates non magis repugnant divinitùs, quàm idē indivisibilis effectus pendens per eductionem & creationem à causa creante & educente, quod fieri posse supra monstratum est: deinde hæ non magis repugnant divinitùs, quàm independentia, & dependentia ejusdem effectus ab alterutro agentium totalium actione unâ indivisibili virtualiter duplici totali, quæ nullo modo repugnant, ut probabitur infra, ergo, &c. Probatur minor, quia optimè intelligo calorem ita pendere ab igne A, ut sit in existere absolutè independens ab igne B. à quo etiam producitur per actionem totalem, & è contra, ergo, &c.

CLXXX. Objicies, eadem actio non potest esse simul in subjecto, & non esse ; sed eductio est in subjecto sustentationis, & creatio non est in subjecto sustentationis ; ergo eductio & creatio non possunt in unam indivisibilem actionem coalescere.

CLXXXI. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in formam : eadem forma non potest esse simul in subjecto, & non esse ; sed hoc fieret si simul educeretur & crearetur ; ergo non potest simul educi & creari : consequentia est apertè falsa, nam quis non videt Deum posse hîc formam ignis ex materia educere, & simul Romæ per creationem sine subjecto conservare?

CLXXXII. Respondeo 2°. in forma, negando minorem : quare enim illa actio, quæ connaturaliter esset eductio & creatio, non posset in uno loco esse in subjecto sustentationis, utpote eductio, & in alio replicata in eo non esse, sed in solo subjecto adhæsionis, utpote creatio simul & eductio?

CLXXXIII. Nec obstat quòd sit modus ; quia, præterquam quòd id negabimus infra, manet utroque in subjecto modus, sed ut eductio, erit ad unum subjectum eductionis essentialiter determinata ; ut creatio, ad aliud adhæsionis etiam erit essentialiter determinata ; quod difficiliùs non intelligitur, quàm quòd unio respectu unius subjecti sit modus, respectu alterius sit res: hæc enim actio esset virtualiter eductio & creatio, sicut illa unio est virtualiter modus, & res, respectu diversorum subjectorum: Attende tamen quòd modus ille actionis non posset existere, quin saltem unum subjectum afficeret, utpote unius saltem subjecti secundùm eandem indivisibilem entitatem modus.

Dvbivm VI.

An in corpore naturali detur forma corporeitatis præter specificam & ultimam.

Resolutio.

CLXXXIV. Dico cum cõmuni Thomistarum & PP. Societatis; non datur in viventibus forma corporeitatis præter formam specificam & ultimam : est contra Scotum, in 4. Dist. 11. q. 3. cum suis, nominatim Fabro Theoremate 37. Cavello hîc Disp. 1ª. sect. 4ª. Mastrio Disp. 2ª. q. 4. art. 2. Poncio de Anima Disp. 7. q. 3ª. quos sequuntur Zaravella, Murcia, Landinus, Caramuël, Coninck de Sacramentis q. 76. art. 2°. Camerarius 2. p. q. 27.

CLXXXVI. Probatur, quia illa forma est omnino superflua ; nec illius sufficiens est indicium, ut solutione argumentorum patebit : atqui entia non sunt multiplicanda frustra, & sine sufficienti indicio, ergo, &c.

CLXXXVII. Probatur major pro prima parte, quia si superflua non esset ; vel requireretur ut faceret formaliter corpus completum de prædicamento substantiæ? & hoc non, quia illud solùm dicit materiam & formam specificam unita; vel ut faceret formaliter corpus incompletum, prout est altera pars viventis? & hoc etiam non, quia illud solùm dicit mareriam & certam accidentium organizantium seriem,aut formarum partialium aggregatum, ante & post separationem formæ remanens; vel denique ut faceret corpus cadavericum? & neque hoc, quia corpus per solam privationem formæ est sufficienter cadaver, ut patet ex communi sensu ; nullus enim formam cadaveris percipit, statim tamen à separatione formæ, corpus ab omnibus vocatur cadaver propter solam substractionem formæ, cujus operationes ampliùs non percipiuntur, ergo, &c.

CLXXXVIII. Respondebis cum P. Poncio Disp. 7ª. de Anima, negando formam corporeitatis esse superfluam, & pro ejus veritate & utilitate adferes 1º. quòd sit principium exigens omnia accidentia diversæ rationis, quæ in organis animalium reperiuntur: 2º. quòd constituat corpus, prout est altera pars viventis. Sed

CLXXXIX. Contra primum est, quòd forma illa corporeitatis non sit coæva materiæ, quia docet illam in ligno, igne, &c. non reperiri; sed præsupponit materiam ad sui receptionem per accidentia seminis prævie dispositam; dispositionem autem ad illam dicimus esse radicem exigentem omnia accidentia diversæ rationis, quæ dicit P. Poncius à forma corporeitatis exigi;sic enim vitamus formæ istius corporeitatis sine necessitate multiplicationem; quia, sicut ipse dicit semen dispositum terminari ad formam illam corporeitatis, dicimus nos illud immediatè terminari ad accidentia, ad quæ vult formam illam corporeitatis immediatè terminari.

CXC. Contra secundum etiam est, quòd id sufficienter habeatur per unionem ad animam viventis; sicut, quòd albedo sit forma viventis, sufficienter habetur per hoc, quòd uniatur corpori viventis, vel potiùs, sicut quòd corporeitas sit talis forma corporis viventis sufficit in P. Poncii sententia, quod uniatur materiæ viventis.

CXCI. Confirmatur Resolutio : si materia constitueretur formaliter corpus ut sic, per formam substantialem corporeitatis, deberet etiam forma ut sic, per formam formeitatis constitui; item & materia & forma unitæ formaliter, deberent constitui compositum ut sic, per formam composeitatis ut sic, quæ omnino sunt Chymærica, & superflua; ergo & forma corporeitatis, &c.

CXCII. Respondebis ex eodem P. Poncio, esse disparitatem, eò quòd forma corporeitatis secundùm omnes, saltem accidentaliter à materia distinguatur, non verò forma formeitatis à forma. Sed

CXCIII. Contra, quod jam contendimus est, formam corporeitatis radicalem,quæ sit exigẽtia formarum accidentalium corporis organici,frustra distingui à forma seminis; formam verò corporeitatis actualem frustra distingui à formis accidentalibus aut etiam partialibus substantialibus, (si dentur) materiæ ipsius viventis, patet; si enim præsè adsint, corpus dicitur organicum; si verò præsè absint, dicitur inorganicum. Hinc

CXCIV. Objicies 1º. Anima definitur actus corporis organici; ergo ad animam præsupponitur corpus organicum,ac proinde forma corporeitatis.

CXCXV. Respondeo negando consequentiam, quia illa locutio est intransitiva, & sensus est, anima est actus corporis quod vitaliter est organicum per animam ; vel si mavis, dic esse præsuppositivè organicum per certam accidentium organizantium seriem,vel formarum partialium aggregatum.

CXCXVI. Objicies 2º. quod est argumentum præcipuum Scotistarum : quando per violentiam, & subitaneam mortem recedit anima à corpore animalis, non statim introducitur alia forma; ergo remanet ibi forma corporeitatis.

CXCXVII. Respondeo negando consequentiam, quia tunc materia existit naturaliter sine omni forma totali substantiali, ut dictum est supra: & reverâ, si possit secundùm ipsos existere cum sola forma corporeitatis, poterit se solâ; quia cum hæc sit incompleta materialis, & sicut materia prima, ordinetur ad unam totalem, materia cum illa erit adhuc incompleta, & ordinata ad unam totalem, quam per se & principaliter exigit.

CXCXXVIII. Objicies 3º. ex P. Poncio loco supra citato : si in triduo mortis Christi aliquis Apostolorum consecrâsset, posuisset sub speciebus panis Corpus Christi; non secundùm solam materiam, alioqui in ligno, igne, & ubicumque esset materia prima, esset Corpus Christi,ac consequenter hæc forma consecrationis, *hæc est materia mea*,æquivaleret huic, *hoc est Corpus meum*, quod est falsum secundùm omnes; neque etiam secundùm materiam cum solis accidentibus disponentibus ad formam ossis, nervi, &c. 1º. quia si hæc accidentalis esset, conversio Eucharistica non esset transsubstantiatio, sed conversio substantiæ in accidẽtia: 2º. quia alioqui accidentia essent de substantia Christi, eo modo quo corpus ; quæ sunt absurda; ergo ut informatum forma substantiali corporeitatis.

CXCXXIX. Respondeo negando antecedens pro secunda parte, ad ejus primam probationem Respondeo adhuc conversionem Eucharisticam rectissimè dici transsubstantiationem à potiori parte, conversione scilicet materiæ in materiam, licet concomitetur quædam conversio accidentium in accidentia : ad secundam autem Respondeo accidentia illa esse,vel non esse, de substantia Christi, prout Corpus Christi adæquatè, vel inadæquatè sumptum, est de substantia Christi; si enim velit, Corpus inadæquatè sumptum pro ea tantùm parte, quæ materia est & substantia, esse de essentia, sive substantia Christi, accidentia non sunt de essentia Christi: si verò velit corpus adæquatè sumptum pro materia & eo, quô in esse corporis formaliter constituitur,esse de essentia Christi,dici debet accidentia esse de essentia Christi : primum tamen malim dicere : quia accidentia non sunt de essentia, nisi quoad nos, prout quoad nos tantùm individua per accidentia inter se numero distinguuntur, ut vidimus in Porphyrio,dum de Individuo ageremus.

DV-

DVBIVM VII.

An potentia, per quam forma ex parte sua recipitur in materia, distinguatur realiter à forma.

Resolutio.

cc. DIco contra authores citatos Disput. præcedenti Dub. 7°. potentia per quam forma ex parte sua recipitur in materia, distinguitur realiter à forma.

cc i. Probatur, potentia, sive instrumentum, causæ efficientis & materialis, ab illis realiter distinguitur; ergo & potentia, sive instrumentum causæ formalis, seu formæ; consequentia tenet a pari.

cc ii. Objicies; vel illud instrumentum & potentia formæ, esset formæ connaturalis, vel non? si primùm; ergo debet à forma emanare, & in forma recipi, quod est contra dicta Disputat. præcedenti Dub. 7. videlicet, quòd identificetur potentiæ instrumentali materiæ, quæ à materia emanat, & in ea recipitur: si secundum; ergo non bene argumentamur à causa materiali ad formalem, quia illius potentia est illi connaturalis, non huic, ergo, &c.

cc iii. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in causalitatem formæ: vel causalitas formæ, scilicet unio, est formæ connaturalis, vel non? si primum; ergo debet ex forma educi, & in forma recipi, quod est contra dicenda, videlicet, quòd identificetur causalitati materiæ, quæ ex sola materia educitur, & in ea sola sustentativè recipitur: si secundum; ergo non bene argumentamur à causa materiali ad formalem, videlicet, quòd hæc debeat habere causalitatem in compositum, sicut illa.

cc iv. Respondeo 2°. illam potentiam esse connaturalem materiæ primæ, ac proinde illius proprietatem; sicut instrumentum & potentia, quâ fit effectus, est connaturalis causæ efficienti & illius proprietas; hujus ratio est, quia alioqui, ubi una sufficit potentia universalis, sicut causa est universalis, oporteret tot potentias multiplicare, quot multiplicantur formæ & effectus, sine ulla necessitate; quia sicut optimè intelligitur eandem indivisibilem entitatem actionis, receptam in materia, esse causalitatem *ut quo* materiæ passivam, & formæ activam, sive in facere & in fieri, & unionem in componere; ita optimè intelligi potest, eandem potentiam receptam in materia, esse potentiam materiæ & formæ in recipere & recipi.

Pro aliarum objectionum solutione, vide dicta dubio citato.

DISPVTATIO QVARTA.

De Subsistentia.

DVBIVM I.

Quæ sit ratio formalis Subsistentiæ, sive (quod idem est) quis effectus formalis Subsistentiæ.

Ante Resolutionem

1. Suppono Subsistentiam, à qua *subsistens*; suppositalitatem, à qua *suppositum*, se habere ad personalitatem, à qua *persona*, ut magis ad minus commune: subsistentia enim & suppositalitas indifferenter afficiunt naturam, sive animatam, sive inanimatam; rationalem, sive irrationalem; personalitas verò solùm naturam rationalem, sive intellectualem: unde Boëtius libro de duabus naturis, personam definit, *rationalis naturæ individuam substantiam* (puta completæ per subsistentiam;) hypostasin verò, quo nomine varii utuntur, & à qua unio *hypostatica* dicitur, confunde cum persona. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

ii. DIco 1°. effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam formaliter existentem. est contra Cajetanum 3. p. q. 4. art. 2°. quem plures Thomistæ sequuntur; rectè tamen ostendit P. Ioannes à S. Thoma Phys. q. 7. art. 4. D. Thomam non sumere pro eodem existentiam & subsistentiam.

iii. Probatur 1°. quia subsistentia distinguitur realiter à natura, ut probabitur dubio sequenti; non verò existentia, ut suprà Disp. 2ª. insinuatum est, ergo, &c.

iv. Probatur 2°. quia alioqui sequeretur, humanitatem Christi extitisse ab æterno; quia existeret per subsistentiam Verbi, quæ, si sit existentia, est formalis existentia æterna, ac per consequens dat existere ab æterno; quia posita causa formali in subjecto, impossibile est effectum formalem non sequi, ergo, &c.

v. Confirmatur, quia, vel subsistentia est duæ negationes, actualis & aptitudinalis dependentiæ ab alio, tanquam supposito, ut Scotistæ; vel positiva entitas ultimò complens naturam in esse, ut alii omnes communiter docent: sed hæc præsupponit naturæ existentiam, quia alioqui reciperetur in nihilo (quod suprà Disp. 2. Dub. 4°. fusè impugnatum est) ut patet; & illæ negationes non possunt esse existentia naturæ; quia hæc debet esse positiva, ut fatentur omnes, ergo, &c.

Resolutio II.

vi. DIco 2°. effectus formalis subsistentiæ, non est constituere naturam potentem proximè operari, quasi virtus operativa naturæ non sit in actu primo proximè potens operari, sine subsistentia.

vii. Probatur, Accidentia in Eucharistia sunt proximè operativa, & operantur sine subjecto & subsistentia; ergo à fortiori natura, si subsistentiâ privetur; ergo effectus formalis subsistentiæ non est, &c.

viii. Confirmatur, ignis in operari non aliter pendet à subsistentia, & fortè minùs (si nempe subsistentia dicatur terminus naturæ) quàm ab approximatione passi; unde, vel approximationi tribuendus idem effectus formalis ac subsistentiæ, quod foret absurdum; vel dicendum illum non esse effectum formalem subsistentiæ, magis quàm approximationis, ergo, &c.

IX. Nec dicas *actiones esse suppositorum*; nam axioma illud ita intelligi debet, ut suppositа tantùm sint principium *quod*, & denominationis actionum, non autem *quo*, & formale.

Resolutio III.

X. Dico 3°. in sententia asserente subsistentiam esse duas dictas Resolutione primâ negationes, effectus formalis subsistentiæ est, constituere naturam totalem incommunicabilem alteri naturaliter, tanquam supposito positivo, ut explicabitur Dub. 2°. Resolut. 2ª.

XI. Probatur, quia aliud non apparet, in quo constitui possit, ergo, &c.

XII. Objicies 1°. materia prima potest naturaliter existere sinè omni forma, & anima rationalis separata ab omni corpore; sed in illo casu habebunt subsistentiam, & consequenter effectum formalem subsistentiæ; ergo effectus formalis subsistentiæ non est, constituere naturam totalem incommunicatam & incommunicabilem alteri naturaliter, tanquam supposito.

XIII. Respondeo negando minorem; quia sicut materia potest naturaliter existere sine unione ad animam rationalem, & è contra; ita & sine unione ad subsistentiam; non enim esse debet major dependentia ab hac, quàm à se invicem: deinde non apparet, qualis negatio esse possit subsistentia partialis utriusque, quandoquidem anima rationalis sit apta esse in materia, tanquam partiali supposito (si detur) & utraque in toto, tanquam totali supposito.

XIV. Instabis ex P. Telles Metaphysicæ Disput. 57. Sect. 3ª. ubi docet cum S. Thoma, Suare, Vasquez, Conimbr. &c. nequidem divinitùs naturam creatam conservari posse sine aliqua subsistentia; quia implicat contradictionem, naturam esse terminatam, & non esse; sed hoc contingeret, ergo, &c. Probatur minor, esset quidem terminata, quia esset extra causas; non esset, quia non haberet terminum, sive subsistentiam, ergo, &c.

XV. Respondeo distinguendo majorem, implicat naturam esse terminatam essentialiter, & non esse terminatam essentialiter, & eodem sensu, concedo majorem; esse terminatam essentialiter, & non esse terminatam subsistentialiter, & diverso sensu, nego majorem; esset autem terminata essentialiter, utpote posita extra causas, quomodo secundùm totam essentiam poni debet; non esset verò terminata subsistentialiter, quia terminus ille subsistentialis (licet esset positivus) non minùs est cõtingens materiæ, aut animæ rationali, quàm anima rationalis materiæ, & materia animæ rationali: Sanctus Thomas autem probabiliter loquitur de natura totali, & subsistẽtia disjunctivè descendente ad consistentem in duabus negationibus, aut in entitate positiva, sine quarum alterutra, nequidem divinitùs existere potest; quia realiter inter illas & positivam, non datur medium.

XVI. Objicies 2°. natura totalis secundùm se est incommunicata, & incommunicabilis alteri tanquam supposito; ergo effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam totalem, &c.

XVII. Respondeo negando antecedens, quia præcisâ negatione est indifferens ad *esse* cõmunicatũ & incommunicatum, communicabile & incommunicabile, quæ indifferentia est realiter impossibilis; ac proinde etiam realiter impossibile est naturam totalem secundùm se, esse incommunicatam & incommunicabilem: unde, si natura totalis non haberet negationes communicationis & communicabilitatis, hoc ipso esset communicata & communicabilis; quia realiter negatio tollitur per formam oppõsitam, & alterutra necessariò est realiter, vel ipsa, vel forma ei oppositа.

Resolutio IV.

XVIII. Dico 4°. in sententia asserente subsistentiam esse formam positivam, dici potest, 1°. effectum formalem subsistentiæ esse, esse principium & basim suppositam naturæ, eo modo, quo materia prima est principium, & basis suppositа formæ: vel dici potest 2°. illius effectum formalem esse, esse terminum ultimum substantialem, & finem superpositum naturæ, eo modo, quo forma superponitur materiæ. 1ª. pars est eximii D. Caramuelis suæ Philosophię lib. 3. Disp. 1. sectionis 1ª. eamque omninò puto esse plurimorum Nominalium, Okami Quodlibet. 4°. Gabrielis in 3ᵘᵐ dist. 1ª. q. 2ª. art. 3°. Richardi etiam in 3ᵘᵐ Disp. 6. art. 1°. q. 1ª. Durandi in 1ᵘᵐ Disp. 34. q. 1. qui sic negant suppositum nihil superaddere naturæ, ut tamen velint cum Magistro nostro Bachone in 3ᵘᵐ Dist. 1. q. 1. art. 3°. aliquid esse infra naturam suppositabilem, quod ad rem nostram vocat *suppositativum præhabitum naturæ*, ut etiam ex his verbis manifestũ est, *licet natura suppositabilis sit idem realiter cum esse suppositabili, dummodo inter illa sit ordo ex natura rei, & dummodo præhabeat sufficiens suppositativum, potest ab illo suppositari.* quod mihi eò verius 1°. quod etiã Durandus loco cit. comparet *suppositum ad naturã, sicut album ad albedinem*; album autem nihil quidẽ supra albedinem dicit, per modum termini albedinem terminantis, tamen aliquid dicit infra albedinem per modum suppositativi albedinem suppositantis, aut si mavis subjectantis; igitur ex mente Durandi idem dicendum de suppositо respectu naturæ creatæ: 2°. quod eximius P. noster Bacho in suis operibus ubique Durandum, Gabrielem, Okamum & alios Nominales, pro, vel contra se citet; ibi autem, nec pro, nec contra, quasi illa sit inter ipsos communis & recepta sententia, quod mihi probabiliter persuadeo, tum ut tantos viros, tum ut P. Wadingum, qui Disput. 4. de Incarn. Dub. 2°. §. 5°. num. 47. scribit se legisse triginta octo authores, qui eam tenent ex professo, inter quos numeravit, è Societate sua Salmeronem tom. 2°. Tract. 27. & Molinam 1. p. q. 29. art. 2. Disp. 3. à gravi nota, quam post alios, ipsis inurit P. Poncius Metaph. Disp. 18. ubi de Durando & Wadingo dicit *cum hæreticis convenire, & sicut illi in eo erraverunt, ita & illos errare*, vindicem.

Probatio primæ Partis.

XIX. Probatur prima pars: Concilia, & Sancti Patres nomina subsistentiæ & personæ confundunt, ut constat ex verbis Iustiniani Imperatoris in secundo volumine Conciliorum relatis, & ab omnibus Græcis ac Latinis Patribus receptis, *Omnes Sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam seu substantiam & formam, & aliud esse subsistentiam sive personam.* Sed ex iisdem clarè colligitur personam esse principium, seu basim naturæ; ergo

dici

dici potest effectum formalem subsistentiæ esse, esse principium seu basim suppositam naturæ: Probatur minor primò, quia id significat primò Concilium Calcedonense his verbis, *qui* (scilicet Christus) *duabus in naturis sinè confusione, &c. cognoscitur, sed utriusque naturæ servatâ proprietate, & in unam personam atque in unam hypostasim* (id est, subsistentiam) *concurrente*: nunquam autem dicitur subjectum concurrere in formam, sed forma in subjectum, ergo ibi significatur subsistentiam non se habere per modum formæ, termini & finis, sed per modum subjecti, principii & basis.

XX. Probatur secundò clarissimè ex Concilio Lateranensi consultat. quintâ, Canone primo, ubi Martinus quintus definit, *Deum esse unitatem in Trinitate*, & explicat *unum Deum in tribus subsistentiis*: item ex Concilio Constantinopolitano (referentibus Granado tomo tertio in primam partem, & Salmanticensibus tomo secundo in primam partem) in quo exstat Epistola ad Damasum, in qua asseritur, *à Nicena synodo dictum esse, ut coæternum regnum* (id est Divinitas) *in tribus perfectis subsistentiis credatur*.

XXI. Probatur 3°. ex Patribus: 1°. S. Thoma q. 9. de potentia art. 5°. *licèt tota & perfecta Divinitas, sit in qualibet trium Personarum*, id est, personalitatum, sive subsistentiarum: quia 1ª. parte q. 29. art. 2°. personam à subsistentia in eo dumtaxat distinguit, quòd *subsistentia significet communiter in toto genere substantiarum, persona in genere rationalium substantiarum*. sed clarissimè in 1^um^ sent. dist. 34ª. q. 1ª. *in illis enim in quibus aliud est essentia, quàm hypostasis vel suppositum, oportet quòd sit aliquid materiale* (puta instar principii & basis) *per quod natura communis individuetur & determinetur ad hoc singulare: unde illam determinationem materiæ, vel alicujus, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam & naturam*; ecce S. Thom. aliquid in hypostasi, (quã omnes Ecclesiæ Græcæ & Latinæ Patres confundunt cum persona, ut bene mõstrat Vasques in 1^am^ partem tomo 2°. Disp. 126.) comparat ad naturam, sicut communiter comparatur materia ad formam: hisque conformiter Iustinianus supra cõfundit naturam cum forma, dicens *aliud esse naturam seu formam*, &c. & P. Hurtadus Disp. 11. Metaph. sect. 5ª. dicit *Divum Thomam tribuere subsistentiæ esse subjectum naturæ*, & quidem, quia 2°. contra gentes cap. 68. sic habet, *unde sequitur aliud, scilicet quòd forma & materia conveniant in uno esse*, &c. *& hoc esse* (nota) *est in quo subsistit subsistantia composita*.

XXII. Confirmatur 1°. ex communi modo loquendi omnium Patrum & Scholasticorum, unio hypostatica non est facta in natura, sed in persona, id est, non fuit naturarum inter se, sive in naturis; sed in personalitate Verbi; ergo hæc se habet per modum subjecti, principii & basis naturæ.

XXIII. Confirmatur 2°. quia subsistentia ab eo dicitur, quòd subsistat; suppositalitas, ab eo quòd sub ponatur; unde ad rem nostram D. Thomas 1. p. q. 29. art. 2°. in corpore, *subsistantia secundùm quod per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia*; ergo est principium & basis naturæ, & non terminus, sive finis; aliàs deberet dici supersistentia, & non subsistentia; superpositalitas, & non suppositalitas, ut consideranti patebit, ergo, &c.

XXIV. Objicies 1°. si subsistentia esset principium & basis naturæ; materia prima haberet subjectum sustentationis, sed hoc est falsum, ergo, &c. Probatur minor, quia materia prima ab omnibus communiter definitur *primum subjectum*, &c. ita scilicet, ut omnes formas materiales substantiales sustentet, & non sustentetur; non generetur, sed creetur, ergo, &c.

XXV. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem: Respondeo assumptũ verum quidem esse in hypotesi Resolutionis pro 2ª. parte, quam statim ponemus, & quam omnes admittentes subsistentiam positivã communiter sequuntur; non verò juxtà hanc, secundùm quam defendimus materiam primam non esse subjectum sustentationis absolutè primum, sed respectivè ad formas omnes materiales substantiales à se distinctas; nec dici debet creari aliter, quàm Disp. 3ª. Dub. 4. diximus formas elementares, & cœlestes creari; sed dici debet generari, non secus ac illæ; educi de subsistentia, non secus ac formæ ex materia, quod docet noster Bacho in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. §. 2°. ubi ait *essentiam compositam ex materia & forma generari*, licèt neget materiam & formam generari simpliciter; eò quòd sint entia per se incompleta, quæ sicut ex dictis Disp. 2. Dub. 3°. simpliciter non sunt: ita nec simpliciter generantur. neque isti Responsioni, adversatur D. Thom. 1. p. q. 46. art. 1°. ubi ait, *nos autem dicimus, quod materia & cœlum producta sunt in esse per creationẽ*, quia ut satis constat ex dictis Disp. 3. de formis elementaribus; S. Thom. ibi sumit *creationem* prout opponitur generationi sumptæ in rigore Aristotelico, pro productione formæ ex subjecto priùs tempore existente; non verò prout opponitur productioni formæ ex subjecto sustentationis, quomodo generationem hîc sumimus.

XXVI. Instabis 1°. illa subsistentia reverà est materia prima, quia illi convenit simpliciter definitio materiæ primæ, & fungitur munere illius; ergo supra illam necessariò juxta fidem admittenda est subsistentia fungens alio munere, quàm basis naturæ. consequentia patet; antecedens est Aristotelis Phys. 1°. cap. 9. textu 82. ubi sic habet, *incorruptibilem & ingenitam necesse est materiam esse; si enim fiat, subjici aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat; hoc autem est ipsis natura: quare erit antequam fiat*; ergo, &c.

XXVII. Respondeo negando antecedens, quia per subsistentiam intelligit Ecclesia, & omnes Ecclesiæ Patres moderni, aliquid realiter distinctum ab essentia, & substantia suppositi; unde in Concilio Toletano undecimo, in Confessione fidei, definitur *unam tantùm esse in Deo substantiam*: ac proinde & aliquid realiter distinctum à materia, quæ est pars naturæ, sive substantiæ materialis, juxta Aristotelem & alios. Ad probationem antecedentis, nego quòd illi conveniat definitio materiæ primæ, quia materia definiri debet *uniuscujusque formæ materialis substantialis immediatè primum subjectum sustentationis*; idque ex mente Aristotelis; subsistentia verò, *primum subjectum, & basis naturæ substantialis*; immediatum quidem sustentationis respectu materiæ primæ; mediatum autem sustentationis respectu formæ materialis; sed informationis tantùm, respectu spiritualis. Denique de fide est materiam fuisse assumptam à Verbo, & non subsistentiam ejusdem compositi, cujus pars erat materia; unde clarè sequitur, subsistentiam & materiam esse in eodem composito realiter distincta; ac proinde nec subsistentiam fungi munere materiæ primæ, quod est formas

materiales

materiales sustentare, non verò naturas; suppositare; unde in eo, quod loco citato, dicit Aristoteles, errat, prout subsistentiam à natura realiter distinctam ignorando in aliis erravit.

XXVIII. Instabis 2°. si materia posset educi & generari ex subsistentia, posset ab agente naturali produci, & corrumpi strictè; sed hoc nullus admiserit, ergo, &c. Probatur sequela, quia agens naturale potest generare, & generatum corrumpere.

XXIX. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem. Respondeo agens naturale, nec posse omne ens generabile generare, nec omne generatum strictè corrumpere, ut constat ex Cœlis in sententia eorum, qui admittunt illos esse incorruptibiles: deinde agentis naturalis generatio, fit per introductionem præviam dispositionum; & corruptio, vel per introductionem contrariarum, vel per substractionem violentam alicujus necessariò requisiti ad illam; materia verò prima ad se nullas dispositiones in subsistentia admittit; quia est subjectum primum omnium illarum; nec apparet quid ad ipsam sit necessariò requisitum, ex cujus violenta substractione corrumpatur; non enim ipsa subsistentia, quia creatur, ut patet; neque unio, vel eductio è subsistentia, quia illa est à solo Deo, & à creatura incorruptibilis, defectu contrarii, ut præmissum est. adde Antonium Andream & Niphum 4. Metaph. q. 9. quos citat Murcia hîc Disp. 5. q. 9. sentire materiam primam esse generabilem. ne alioqui putes ista omni distitui authoritate.

XXX. Instabis 3°. Si materia posset generari & educi ex subsistentia, posset & anima rationalis saltem ex partiali subsistentia spirituali; sed hoc videtur esse contra fidem, quæ docet illam creari, ergo, &c.

XXXI. Respondeo negando sequelam, quia inprimis fides non docet de materia prima, quòd docet de anima rationali, nempè esse creatam, spiritualem substantiam, &c. unde dici potest hanc non pendere à subsistentia, nisi ut jam in omnium sententia pendet à materia, scilicet tanquam à conditione sine *qua non* causæ materialis ut subjecti adhæsionis: addo tamen, fortè animam non dici creari, prout ly *creari* idem est, quod ex nullo fieri subjecto; sed prout idem est, quod ex nulla fieri præjacente materia, quomodo fit gratia, licèt generari & educi ex subjecto spirituali dicatur; quod fortè de anima rationali etiam admittere poteris, si dicas ejus eductionem in se vel in simili, ac per consequens ipsam esse, conformiter ad Ephesinum & Lateranense, ex natura sua incorruptibilem & immortalem, ut multis est forma Cœli empyrei.

XXXII. Objicies 2°. definitis substantiam immediatum subjectum *quod* sustentationis subsistentiæ; ergo subsistentia non potest esse subjectum, seu basis naturæ substantialis: probatur consequentia, quia alioqui præsupponeretur sibi ipsi, ut consideranti patebit.

XXXIII. Respondeo distinguendo antecedens, definimus substantiam, &c. sistendo alia in 2ª. parte Resolutionis juxta communem omnium, concedo antecedens: sistendo in hac prima parte, nego antecedens; juxta hanc enim definiri debet, vel potiùs ita explicari, ut sit id, quod exigit naturaliter subsistere *ut quo* vel *ut quod*; quia illud juxta communem non potest non esse substantia secundùm rigorosam substantiæ definitionè, quæcumque illa sit, nec tale quid sunt quantitas, ubi & similia accidentia; quia solùm exigunt esse in substantia, & hàc mediante subsistere; ut constat ex dictis in Logica Tract. 5. Disp. 1.

XXXIV. Objicies 3°. in casu conclusionis subsistentia esset materialis, vel spiritualis? sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor, quia si materialis, ex ea educi non posset forma spiritualis; si spiritualis, ex ea educi non posset materia prima, ergo, &c.

XXXV. Respondeo fore diversæ speciei; materialis quidem erit illa, ex qua educeretur materia; spiritualis verò ex qua educeretur incorporea & spiritualis forma; sicut in communi sententia illud dicitur subjectum spirituale, ex quo educitur forma spiritualis; & materiale, ex quo materialis; quia non cognoscimus naturam subjecti nisi à posteriori ex formis, quæ ex subjecto educuntur.

Si verò precedentes solutiones tibi exoticæ nimiùm videantur, dic materiam & animam rationalem creari, nec aliter à subsistentia basi pendere, quam modo anima rationalis, in communi sententia, à materia 1ª. pendet.

XXXVI. Objicies 4°. Natura Divina est prior subsistentiis; ergo non est earum basis seu fundamentum: consequentia patet, probatur antecedens, quia est earum principium, principium verò est prius principiato, ergo, &c.

XXXVII. Respondeo inprimis hoc argumentum nihil concludere in creatis. Respondeo 2°. in divinis dari mutuam prioritatem; nam in Patre natura divina est prius, quàm Filio sit communicata, quia natura Divina communicata Filio est posterior filiatione, & communicata Spiritui sancto est posterior spiratione, quia non est communicata nisi mediantibus processionibus, illis, per quas constituuntur Filius & Spiritus Sanctus: unde ex hoc argumento nihil colligi potest contra Resolutionem. De qua autem prioritate & posterioritate sint hæc intelligenda, oportunius dicetur suo loco in Thologia.

XXXVIII. Respondeo 3°. negando antecedens, quia inprimis subsistentia Patris est innascibilitas, unde non habet principium, ac proinde nec naturam divinam se priorem: deinde Natura divina in Filio, filiatione; in Spiritu sancto, spiratione, est posterior, ut dictum est.

Probatio secundæ Partis.

XXXIX. PRobatur 1°. ex verbis Alexandri Tertii in Lateranensi Parte quadragesimâ nonâ, capite 20. sub eodem celebrato relatis; *Sicut Christus est verus Deus, ita est verus homo ex anima rationali & humana carne subsistens*, ly *ex anima* in aliis denotat causalitatem materialem, ac proinde subsistentiam non esse principium, sed terminum; non basim, sed finem, ergo, &c.

XL. Probatur 2°. ex sancto Thoma tertia parte q. 2ª. art. 4°. in corpore, *Hypostasis Christi potest considerari secundùm rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundùm hoc persona Christi subsistit in duabus naturis*, &c. *sic dicitur persona composita* (scilicet Christus) *in quantum unum in duobus existit*, id est, in quantum una personalitas Verbi in duabus naturis existit: iterum ex Richardo de sancto Victore, de Nominis Ethymologia capite 15. *invenimus namque, quod plures illæ in divinitate personæ*, &c. id est, subsistentiæ

fistentiæ ; nam personæ adæquatè non fuerunt in divinitate, sed potius divinitas in personis, ergo, &c.

XLI. Confirmatur ex communi ferè omnium modernorum Theologorum, qui subsistentiam unanimiter accipiunt pro termino ultimo, sive fine substantiali naturæ.

XLII. Ad fundamenta autem prioris sententiæ 1°. Respondetur, cum in Chalcedonensi dicitur *Christus in duabus naturis cognoscì, utriusque naturæ proprietate in unam personam concurrente*; personam intelligi posse completè, ut sit sensus, utriusque naturæ proprietate componente personam completam: eodem modo intelligitur Lateranense, cum dicit *Deum esse unitatem in Trinitate; unum in tribus subsistentiis*, ergo, &c. quia tantùm vult divinitatem esse in tribus personis completè sumptis : denique ita etiam intelliges Divi Thomæ verba, ex quæst. 9. de potentia, &c. loco verò in primum sententiarum oppones loca ex tertia parte & in 3^um citata ; & addes ipsum ibi non loqui in rigore Theologico; sed conformiter ad sua principia Philosophica de principio materiali individuationis, in quo ferè omnes (exceptis Thomistis) nisi explicetur prout nos in Metaph. ipsum deserunt.

Ad 1^am Confirmationem

XLIII. Respondeo commune pronuntiatum Theologorum, quòd unio facta non sit in natura, sed in persona, sic intelligi posse, ut sit facta in persona, sive subsistentia, tanquam in termino & fine; non verò tanquam in principio, & basi ; idque propter authoritatem communem modernorum Theologorum

Ad 2^am Confirmationem

XLIV. Respondeo nomina non semper convenire rebus ; forma enim hominis est substantia, & tamen non subsat, sed supra materiam stat ; si verò ad hoc, ut dicatur substantia, sufficiat, quòd subsistet variis accidentibus sibi propriis ; ad hoc, ut subsistentia talis dicatur, sufficiet, quòd sub variis accidentibus sibi propriis sistat ; sed hoc non requiritur, nam (præterquam quòd Deus dicatur substantia ; licèt nullis accidentibus subsset,) eo modo dicitur se habere subsistentia, quo intelligitur esse substantia; quia ut ostendit Vasquez 1ª parte q. 124. cap. 5°. ex Hilario, Augustino, Sancto Thoma & aliis, substantia Latine, voce Græcâ est *hypostasis* sive *subsistentia*, licèt usu Ecclesiastico jam accipiatur pro natura condistincta à subsistentia : Adde subsistentiam in sententia Nominalium & Scoti esse duas negationes, & tamen adhuc dici subsistentiam, licèt sub non sistant, ut patet.

Corrolaria.

XLV. COlliges 1°. ex his, prius à nobis dicta, processisse secundùm hanc 2^am partem resolutionis, non juxta 1^am, quæ cum sint oppositæ ; pleraque supra-positas conclusiones his annexas, problematicè defendimus: itaque hîc

XLVI. Dico 1°. juxta hanc secundam Resolutionis partem, materiam primam rectè definiri *primum subjectum*, &c. male juxta aliam, secundùm quam definiri debet *primum subjectum*, &c. *omnium formarum realiter à se distinctarum*; nam ipsa est forma subsistentiæ, si hæc basis sit, & non forma terminans naturam.

XLVII. Dico 2°. juxta hanc Resolutionis partem, forma substantialis realiter à materia condistincta, est subjectum informationis negativè primum; juxta aliam, non est; quia præsupponit aliquod subjectum informationis, scilicet subsistentiam materiæ unitam, quæ simul naturâ se mutuò denominant & informant, ac proindè sibi mutuò prius sunt subjectum informationis.

XLVIII. Dico 3°. juxta hanc Resolutionis partem, materia prima est pura potentia passiva sustentationis ; juxta aliam non est, quia ita sustentat formas substantiales à se realiter distinctas, ut ipsa sustentetur in subsistentia.

XLIX. Dico 4°. juxta hanc Resolutionis partem materia prima est strictè ingenerabilis & incorruptibilis, à Deo: juxta aliam verò est strictè generabilis & corruptibilis; quia præsupponit subjectum ex quo, videlicet subsistentiam.

L. Dico 5°. juxta hanc partem Resolutionis materia prima divinitùs intendi & remitti non potest; quia non habet subjectum sustentationis ; juxta aliam autem non videtur repugnare intendi & remitti posse divinitùs, quia (præterquam quòd habeat subjectum sustentationis, scilicet subsistentiam) non apparet, cur sicut habet in subjecto partes extensas, saltem divinitùs in eo habere non possit partes intensas: Nec ut absurdũ inferas animam rationalem eodem jure divinitùs intendi & remitti posse; quia, (præterquam quòd, si asseratur, nullum tibi sit à ratione, aut experientia, illud impugnandi fundamentum, præsertim cum ex præmissis Resolutione præcedenti, divinitus saltem, educi possit id quod naturaliter creatur, nec anima rationalis aliter creari videatur, quàm sumptâ creatione prout opponitur eductioni ex materia; & aliunde gratia sanctificans, fides, spes, charitas, supernaturaliter intendi & remitti possint, licèt entitates sint spirituales;) nec Concilia, nec Patres contrarium resolvunt; imò nequidem examinant, aut tangunt; neq; per hoc aliud docemus, quàm quòd repugnare non videatur materiam & animam spiritualem intendi & remitti posse divinitùs ; & certè equidem quis ista, aut similia, quorum repugnantiam non adferat, Deo infinitè potenti neget? cum communis sit Theologorum ac Philosophorum sententia, nominatim Suarez 1.p.l.2.c.13.n.10. & de Angelis lib.1.c.15. n. 3. Vasquez 3.p. Tom.1. Disp.74. c.7°.n.49.& plurimorum aliorum, quos infra citabimus, dum de potẽtia obedientiali agemus; id esse per Deum possibile, quod discussis ac solutis pro illius impossibilitate rationibus, non videtur divinitùs repugnare ; si verò aliqua repugnantia adferatur, statim cedimus.

LI. Colliges 2°. in rigore Theologico, & sistendo in authoritate ac ratione primam partem Resolutionis hujus esse probabiliorem secundâ ; quia tamen vix aliquis Scholasticorum hodie eam defendit (unde P. Poncius Disp. 18ª. de ente, ait, nemo id asserit; non viderat fortè Concilia & Divum Thomam ac Scolasticos Nominales n. 18. citatos) & quia omnes ferè Scholastici hodie secundam partem defendunt, illam ubique sequemur, nisi aliud expressè significemus. Haud putaveris tamen, authoritatem Aristotelis contra primam partem, & omnes ex ea pendentes problematum Resolutiones, obstare ; quia allata authoritas ex ignorantia fidei, inter fideles non est majoris virtutis, quàm infidelitas, aut ignorantia ipsa fidei; si enim Aristoteles subsistentiam à natura realiter distinctam agnovisset, de materia prima,

prima, principiis Physicis & similibus, aliter fortè Philosophatus fuisset.

DVBIVM II.

An subsistentia in creatis addat supra naturam aliquid positivum ab ipsa realiter distinctum; aut negativum tantùm.

LII. ANtè Resolutionem

Suppono primò Subsistentiam esse aliquid realiter distinctum à natura, quod constat, tum ex illo Innocentii tertii, *Persona Verbi, assumpsit Personam hominis*, id est, (inquit Sanctus Thomas 3ª. parte, quæstione 4ª. articulo 2º. ad 3ᵘᵐ) *impedivit ne propriam personalitatem sive subsistentiam haberet*: tum ex Damasceno 3º. de Fide, capite 3º. *idcirco antiqui hæretici in hac materia* (puta de Incarnatione Verbi) *lapsi sunt, quia naturam & personam idem esse statuerunt*: ita ferè etiam B. Vigilius Episcopus Tridentini libro 4º. contra Eutichen. & Epiphan. in sexta Synodo art. 6º. circa finem, his verbis, *ideo hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quàm ut ostendant naturam & hypostasin idem esse, quæ sanè inter se differre veri Ecclesiæ Catholicæ alumni cognoscunt.*

LIII. Suppono secundò rectè quidem dici posse ly *subsistens, suppositum, personam, hypostasin*, &c. solâ ratione, solo modo loquendi, &c. à suppositativo & natura suppositabili, distingui, sic ut nihil reale aut negativum supra ista, sive supra naturam suum suppositativum præsupponentem, addant, (quomodo Nominales supra num. 18. explicuimus) essentialiter distinctum, licèt negatio communicationis actualis aut aptitudinalis accidentaliter concomitetur, prout negatio identitatis cum Paulo Petrum accidentaliter concomitatur; quia totum à partibus solâ ratione, solo modo loquendi, &c. ut ostendemus infra, distinguitur; subsistentia tamen, sive suppositativum, ut condistinguitur contra naturam suppositabilem, plusquam modo concipiendi & loquendi, prout solum ens & entitas inter se, à natura distinguitur; ac proinde subsistens, suppositum, Persona, hypostasis, &c. magis distinguitur à natura, quàm concretum Metaphysicum ab abstracto Metaphysico; alioqui ubicumque esset realitas abstracti, esset & concreti, ac consequenter subsistentiæ & personæ: ex quo sequeretur in Christo esse secundùm realitatem duas Personas, Verbi scilicet & hominis, cum in illo sit humanitas secundùm totam realitatem suam, quod est Nestorianum & hæreticum: deinde sequeretur Personalitatem humanam esse assumptam, nisi velis posse in creatis unum identificatorum assumi, non assumpto alio (ut videtur velle Caramuël loco dubio præcedenti citato) sicut juxta fidem in increatis unum identificatorum, scilicet Personalitas Verbi, assumit, non assumente naturâ divinâ, quod est absurdum, ut sæpe dictum est; & sicut naturam Divinam & Verbi Personalitatem esse in Christo realiter, admittere oportet; ita & naturam humanam, & Personalitatem naturæ humanæ, esse in Christo realiter, tibi admittendum esset, quod statim rejectum est ut Nestorianum & hæreticum.

LIV. Suppono 3º. suppositâ veritate expositionis, quam super sententiâ Nominalium & nonnullorum aliorum num. 18. fecimus, circa hoc Dubium, tres esse valde celebres sententias: 1ª. ipsorum de subsistentia positiva basi. 2ª. Scotistarum post Scotum in 3. q. 1ª. communiter ac nominatim fabri, Meurisse, Poncii, &c. asserentium subsistentiam duas tantùm esse negationes, actualis scilicet, & aptitudinalis naturalis existentiæ seu dependentiæ in uniri ab alio supposito; ita scilicet ut esse subsistens, suppositum aut personam creatam, nihil aliud sit, quàm nec actu existere, seu dependere in uniri, nec exigere existere, seu dependere in uniri ab alio supposito. 3ª. Realium, Suares, Hurtadi, Lugo, Oviedi, Arriagæ, Telles, &c. post Thomistas, Capreol. Cajetan. Bannez, Ioan. à S. Thoma & nostros Complutenses, asserentium esse entitatem aliquam positivam naturæ superadditam. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

LV. DIco 1º. omnino probabilis est sententia Scotistarum post Scotum, asserentium subsistentiam creatam duas tantùm esse negationes dictas actualis & aptitudinalis dependentiæ naturalis, &c.

LVI. Probatur 1º. authoritate omnium ferè antiquorum, quorum aliqui sic negant sententiam eorum, qui docent subsistentiam esse entitatem aliquam positivam per modum termini naturæ superadditam, ut eam censurâ notent Gabriël, enim ait salvari non posse: Almainus, defendi vix posse; Guillelmus à Rubione, esse irrationabilem: de mente autem divi Thomæ omnino dubium esse, ostendunt Wadingus Tract. de Incarn. Disp. 4ª. dub. 2º. & Tiphanius; imò pro nobis apertè facit 3ª. parte q. 4ª. art. 2º. ad 2ᵘᵐ ubi docet, *dicendum quòd naturæ assumptæ non deest propria personalitas, propter defectum alicujus, quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat* (utique quia censet solas illas negationes, quæ propriè non sunt perfectio, deficere) *sed propter additionem alicujus, quod est supra naturam humanam*, quod est unio ad Divinam personâ, item in 3. dist. 6. q. 1. art. 2. ad 5. ergo, &c.

LVII. Probatur 2º. ex Damaso Papa ad Paulinum Episcopum Antiochenum Conciliorum tomo 1º. *Confitendus Dei Filius humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est, integrum Adamum, & ut expressius dicam totum veterem nostrum sine peccato hominem*: coincidit Damascenus lib. 3º. de fide cap. 6º. referente D. Caramuële lib. 3º. de subsistentia; ubi asserit *humanitatem assumptam esse à Verbo cum omni entitate positiva illi debita, Verbum assumpsisse totum, quod in homine plantavit*, &c. sed si subsistentia esset entitas aliqua positiva naturæ humanæ superaddita, Dei Filius non assumpsisset *integrum Adamum; totum veterem nostrum hominem*, &c. *humanitatem*, &c. *totum quod in homine plantavit*, &c. quia subsistentiam non assumpsit, ergo, &c.

LVIII. Probatur 3º, sancti Patres, tam Græci, quam Latini, frequentissimè dicunt Verbum assumpsisse hominem, ut bene monstrat Ludovicus Vives, in lib. 9ᵘᵐ Augustt. *de Civitate Dei*, ubi irridet Scholasticos Theologos, quòd illam locutionem non admittant: Adde & illam usurpari in Conciliis, Alexandrino, Ephesino, Toletano 1º. 6º. & 11º. Francofordiensi, &c. quæ citat Delugo de Incarn. Disp. 13ª. sect. 2ª. item Ambrosius & Augustt. in hymno Te Deum, dicunt *eu ad liberandum susceptu-rus hominem, non horruisti Virginis uterum*. Athanasius in symbolo, *Deum & hominem, unum esse Christum*, &c. sed hæ locutiones, ita explicari debent, ut

assum-

assumpserit totum, quod est in homine positivum, nisi ex eo sequatur absurdum in fide, aut contra rationem evidentem, quod hîc non sequitur, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c. Probatur minor, quia aliàs non assumpsisset hominem, sed partem positivam dumtaxat hominis, ergo, &c.

LIX. Confirmatur ratione; non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod alioqui fieret; nec apparet major ratio dicendi subsistentiam esse realem positivam entitatem, quàm tenebras esse talem entitatem, quod ultimum probo; quia, si quæ major ratio appareret, illa, vel esset Physica, vel Theologica? non Physica, ut communiter admittitur, quia, nisi fides doceret *Verbum esse incarnatum; unicam esse in Christo Personam*, &c. subsistentia à natura realiter distincta non reciperetur, ergo, &c. non etiam Theologica, quia Scripturæ & Patrum locutiones de Mysterio Incarnationis & Christo sufficienter salvantur per allatas duas negationes, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

LX. Objicies tamen 1°, in hac sententia difficulter explicantur Sanctorum Patrum locutiones, ut v.g. quòd *Personalitas Verbi suppleverit personalitatem humanitatis Christi*; nam hæc sic explicari debet, ut personalitas Verbi tribuerit humanitati Christi effectum formalem, quem negationes actualis & aptitudinalis existentiæ, &c. illi tribuebant; quod magis intelligi non potest, 1° quàm, quòd ens positivum sit negationes; 2° quàm, quòd non ens tribuat effectum formalem entis, &c. Item *quòd Verbum assumpserit naturam humanam, & non personam*; nam hæc sic explicari debent, Verbum assumpsit naturam humanam, & non reliquit illam inassumptam; vel sic, Verbum fecit naturam humanam à se dependentem per unionem, & non reliquit illam à se independentem per unionem; quæ propositiones sunt identicæ & ridiculæ; neque erat necessarium ex omnibus Orbis partibus Episcopos ad hoc definiendum congregare, neque tam absurdi erant Nestorius, & sententiæ ipsius Patroni, ut admissâ primâ locutione, cum aperta in terminis contradictione secundam negarent, ergo, &c. Pro Solutione hujus argumenti, quod est Achilles Adversariorum, & semper vehementer Scotistas torsit.

LXI. Nota 1° Eutichen, olim Abbatem Constantinopolitanum, non distinxisse subsistentiam seu personalitatem à natura; ac ideo, cum fide Divinâ crederet in Christo esse unicam Personam, docuisse naturam Divinam & humanam per unionem confusivam, & commixtivam earum in tertiam, factas in Christo unicam; aut saltem per unionē conversivam & commutativam, naturam humanam conversam & commutatam in Divinam; ne alioqui admittendo duas naturas, admittere deberet, contra fidem, duas in Christo Personas.

LXII. Nota 2°, Nestorium, olim Patriarcham Constantinopolitanum, similiter non distinxisse subsistentiam seu personalitatem à natura, ac ideo cum fide Divinâ crederet in Christo duas esse naturas, docuisse in Christo duas esse Personas, per unionem tantùm moralem & accidentalem operationis, affectus, honorificationis, &c. inter se unitas, ne videlicet admittendo unionem formalem substantialem & unificam, confusivam aut conversivam, ut ante n. 61. admittere deberet unicam esse in Christo Personam, & consequenter cum Eutiche unicam esse naturam.

LXIII. Nota 3°, Concilia ac S. Patres hîc contra utrumque, Eutichen scilicet & Nestorium, agere, ac intendere utriusque errores confutare, præcisè probando subsistentiam esse aliquid realiter distinctum à natura, sive negativum, sive positivum sit, à quibus abstraxerunt; quia, cum Eutiches & Nestorius hæc non tangerent, nec fuit necessarium Conciliis & Patribus hæc tangere, ut eos confutarent: unde ex citatis Conciliis & Patribus nihil contra nostram Resolutionem colligi potest. His tamen notatis, ad argumentum

LXIV. Resp. 1°, primam locutionem, scilicet. *Personalitas Verbi supplevit personalitatē humanitatis Christi*, supponi esse ex Patribus; nullū tamen esse, qui eâ clarè utatur: unde fallitur Medina dicens istā locutionem esse de fide, tradi à Patribus, Conciliis & Theologis; itē & Telles p. 3ª. in Metaph. Disp. 55ª, asserens Concilia & Patres communiter dicere *Verbū Divinum supplere in humanitate proprium suppositum*.

LXV. Resp. 2°, gratis dato, quòd prima ista locutio sit ex Patribus, illam debere his modis explicari: *Personalitas Verbi fecit personam, utì illæ negationes faciebant*; quo sensu dicitur accidens supplere vices substantiæ, creatura vices Dei: vel, *Humanitati Christi sub personalitate Verbi, æquè bene, vel melius fuit, quàm sub duabus suis negationibus*.

Ad 2ᵃᵐ verò locutionem, scilicet; *Verbum assumpsit naturam humanam, & non personam*.

LXVI. Respondeo 1°, hunc esse sensum, *Verbum assumpsit naturam humanam, & non id, quod persona superaddit realiter naturæ*, sive illud sit positivum, sive negativum; nec debet esse alius sensus, ut constat ex notabili 3°.

LXVII. Respondeo 2°, gratis supposito, quòd Concilia & Patres per personam, sive per personalitatem intellexerint duas dictas negationes, adhuc ipsorum definitionem fuisse perutilem & necessariam; quia non habet hunc sensum præcisè, *Verbum assumpsit naturam humanam, non relinquendo illam non assumptam; non unitam*, &c. quomodo esset ridicula & inutilis, ut rectè objicitur; sed hunc, *Verbum assumpsit naturam humanam, non relinquendo illam non assumptam, propter confusionem, commixtionem aut conversionem in naturam tertiam*, aut *Verbi* (ut voluit Eutiches;) *Sed illam integram retinens*: vel hunc, *Verbum assumpsit naturam humanam, non relinquendo illam non unitam formaliter, & in esse entis unius per se* (ut voluit Nestorius;) alioqui enim ipsorum definitio, non tam fuisset de re controversa, & contra Scripturam, quàm de non controversa & conformi Scripturæ, vel saltem non diformi, utì est subsistentia negativa; ac proinde definitio illa non fuisset satis prudens, & rationabilis.

LXVIII. Objicies 2°, ex D. Caramuële lib. 3°. de subsistentia; Deitas non est suppositum, ut per se patet; nihilominus natura illa Divina habet independentias duas dictas, actualem & aptitudinalem; ergo istæ duæ independentiæ, sive negationes dependētiæ, non sufficiunt, ut constituant suppositū.

LXIX. Resp. inprimis non bene argumentari à Personalitate Divina ad creatam, sicut non bene argumentamur ab indistinctione reali Personalitatis Divinæ à natura, ad indistinctionem personalitatis creatæ à natura: deinde falsum est naturam Divinā habere independentiā actualē, quia (quidquid dixerint alii) dependentia nihil aliud est, quàm necessaria conjunctio, ita ut unū nō possit existere sine alio, quā strictiorē habet natura Divina ad suppositum Divinū, cū sit ei identificata realiter, quā natura crea-

ta ad humanum : denique esto non habeat dependentiam, habet saltem actualem unionem & actualem communicationem, & à fortiori aptitudinalem cum supposito Divino, cum quo non stat esse personæ, sive negationes ad Personalitatem requisitæ, ut patet.

LXX. Respondeo 2°, esse disparitatem, eò quòd scilicet Deus sit substantia infinitè completa substantialiter, ac proinde, utpote incomplebilis positivè substantialiter, nullam dicens negationem, quæ per positivum complementum substantiale tolli possit, uti potest in natura creata, ut constat per oppositum, nempe, quòd sit positivè complebilis substantialiter : tum quia etiam unio hypostatica facta est ad subsistentiam Verbi ; non potest autem esse facta ad aliquid negativum; tum quia divinitas non posset esse in tribus personis (diceret enim negationem actualem & aptitudinalem existentiæ, dependentiæ, &c. ab alio tamquam supposito) quod est hæreticum : creata autem natura est finitè tantùm completa substantialiter, ac proinde non aliter, quàm quia non exigit ulterius complementum substantiale positivum, licèt id habere possit secundùm obedientiam, sive secundùm potentiam obedientialem, (ex quo fit, illam non esse ita completam, quin divinitùs per Divinam subsistentiam ulteriùs compleri possit) quod salvatur sufficienter per allatas negationes.

LXXI. Instabis ex eodem : conceptus subsistentiæ, non secus ac substantiæ, debet esse univocus creatæ & increatæ; sed increatæ est positivus; ergo & creatæ.

LXXII. Respondeo negando majorem ; quia intelligi non potest, substantiam consistere in negatione, bene autem subsistentiam creatam, inter quã & Divinam est lata disparitas, ut statim vidimus.

LXXIII. Vrgebis ex De Lugo de Incarn. Disp. 12ª. Sect. 2ª : si subsistentia supra naturam adderet tantùm dictas negationes, vera esset hæc propositio, *Humanitas est homo*, non secus ac hæc, *Petrus est cæcus*; sed hoc dici non potest, ergo, &c. minor patet, quia sequeretur Christum assumpsisse Personam humanam : probatur major, quia negatio non prædicatur in recto, sed in obliquo ; persona enim est natura habens negationes, &c. cæcus, Petrus habens negationem, &c. ergo, &c.

LXXIV. Respondeo distinguendo assumptum, vera esset hæc propositio *humanitas est homo*, si ly *homo* sumatur præcisè secundùm quod dicit in recto, & prout subest verificationi, concedo assumptum; nam cum homo ut persona (quomodo ibi sumitur) dicat naturam in recto, ut constat ex dictis in Præparamento Logico Disp. 4. Dub. 2°. illius est hic sensus, *humanitas est humanitas*; nec ullum est absurdum dicere Verbum assumpsisse personam, sive hominem præcisè secundùm quod dicit in recto, & prout subest verificationi de humanitate : secundùm totum quod dicit in recto & in obliquo, & prout subest suppositioni, nego assumptum; nam ut sic allata propositio est similis his, *Pars Physica est totum Physicum; abstractum Physicum est concretum Physicum*, quæ sunt apertè falsa. Ex his

LXXV. Colliges personam in creatis esse ens mixtum ex ente, & non ente, dicens in recto ens, sive naturam; subsistentiam, sive duas negationes in obliquo; cum enim Boëtius lib. de duabus naturis definit personam, *Persona est naturæ rationalis individua substantia*, sensus est, *Persona est naturæ rationalis substantia aliis suppositis non communicata, aut communicabilis naturaliter, non unita aut unibilis naturaliter, ab illis separata*, &c. unde Richardus 4°. de Trinit. cap. 22°. sic illam exponit, *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia.*

LXXVI. Objicies, saltem ex Resolutione ista sequitur naturam esse distinctam, & naturam esse subsistentem, esse omnino idem : sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur minor, quia, quandoquidem Verbum assumpserit naturam distinctam à se, assumpsisset naturam subsistentem, ac proinde in Christo fuissent duæ personæ quod est Nestorianum; major autem clarè sequitur ex dictis in Logica Tract. 1°. Disp. 2ª. de Distinct. Dub. 1°, ubi probatum est distinctionem esse negationem identitatis, ac proinde & communicabilitatis ac communicationis cum alio, in quo subsistentiam collocamus, ergo, &c.

LXXVII. Resp. negando assumptum, quia distinctio dicit negationem communicabilitatis & communicationis alteri, tamquam eidem; subsistentia verò, negationem communicabilitatis & communicationis alteri, tamquam supposito positivo, id est, negationem unibilitatis & unionis subsistentiæ positivæ; ac proinde tamquam alteri realiter distincto, quæ sunt valde diversa.

LXXVIII. Instabis, si natura subsistens dicat illam negationem unibilitatis & unionis, quomodo igitur Verbum nostram naturam assumere potuit ? quomodo quælibet natura jam subsistens, est personalitati Verbi unibilis ? id enim contradictoriè repugnat, sicut non unibile & unibile, ergo, &c.

LXXIX. Resp. naturam subsistentem per negationes illas, esse unibilem subsistentiæ positivæ ut naturam, minimè verò ut subsistentem, quod tantùm contradictoriè repugnat ; sic enim esset unibilis, ut patet, & non esset propter dictas negationes, quæ per actualem unionem ad subsistentiam positivam tolluntur, nec per aliud tolli possunt ut patet; ac proinde per solam Divinam subsistentiam de facto, vel per solas positivas possibiles, licet de facto non existant juxta hanc sententiam, nec absolutè necessariæ sint ad explicandam naturam secundùm esse subsistens.

LXXX. Vrgebis ex P. Comptono Disput. 8ª. Sect. 2ª. aptitudo naturalis ad dependendum ab altero tamquam à supposito, est impossibilis; ergo negatio illius est negatio rei impossibilis & Chymæricæ.

LXXXI. Respondeo distinguendo assumptum, aptitudo naturalis ad dependendum ab altero, tamquam à supposito, stante illâ negatione, est impossibilis, concedo assumptum; illâ ablatâ, nego assumptum; quòd autem sit auferibilis, licèt negatio identitatis inter duo distincta auferibilis non sit, patet ; quia de facto ablata est in humana natura Christi per unionem ad Verbum : cur autem hæc sit auferibilis, non autem illa identitatis negatio, aliam solidiorem hâc rationem non video, nempe quòd non detur positiva & negativa distinctio, sicut datur negativa & positiva, saltem possibilis, subsistentia, quæ negativæ opponatur; addi tamen potest negativam hanc tolli posse, clarè erui ex Mysterio SS^mæ. Verbi Incarnationis; illam autem tolli non posse, etiam per identitatem, quæ à Principio non fuit ex communi Philosophorum suffragio ; eò quòd scilicet, semel realiter distincta nullâ potentiâ fieri possint realiter eadem, sive indistincta realiter.

RE-

Resolutio II.

LXXXII. Dico 2°, Probabilis est etiam opposita sententia Thomistarum, & Patrum Societatis, communiùs docentium, subsistentiam creatam esse entitatem positivam à natura realiter distinctam.

LXXXIII. Probatur 1°, natura in esse naturæ completur per aliquid positivum; ergo & in esse personæ, sive suppositi: antecedens apud omnes certum est: probatur consequentia, quia cum persona Divina sit in esse personæ completa per aliquid positivum, non secus ac natura in esse naturæ, servanda est ea proportio, quantum sine absurdo (quod hic nullum est) fieri potest, ergo, &c.

LXXXIV. Dices cum P. Poncio parte 3ª. Disp. 18ª. n. 103°, non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas ponendi aliquid positivum, distinctum realiter à natura singulari, pro personalitate, ergo, &c. minor probatur: quia non est assignabilis ullus effectus positivus personalitatis istius positivæ, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo 1°, negando minorem; quia, præterquam quòd major necessitas statim apparebit, hæc sufficit, nempe ut servetur dicta proportio, quantum sine absurdo servari potest; effectus autem positivus personalitatis est, esse basim aut terminum positivum ultimò complentem naturam in esse personæ.

LXXXVI. Respondeo 2°, retorquendo argumentum in naturam completam in esse naturæ; illa non est completa in esse naturæ per negationem communicationis & communicabilitatis alteri tamquam naturæ; ergo nec est completa in esse personæ per negationem communicationis & communicabilitatis alteri tamquam personæ aut supposito.

LXXXVII. Nec Respondeas naturam esse completam in esse naturæ per dictam negationem formaliter, & fundamentaliter per formam substantialem quæ necessaria est, ut sit prima radix proprietatum & operationū compositi; in esse verò personæ, esse completam formaliter per dictā negationē, & fundamētaliter per seipsam sine alio positivo; quia (inquies) non est necessarium aliud fundamentū hujus dictæ negationis. Contra, licèt non sit necessarium, ut prima radix operationum & proprietatum compositi; est tamen necessarium ut sit terminus naturam positivè in esse personæ complens, & ut sic servetur proportio complementi positivi naturæ & personæ, quantum sine absurdo potest: deinde etiam ad aliud necessarium est, ut statim patebit.

LXXXVIII. Probatur 2°, quia sic clarius explicantur locutiones Conciliorum & Sanctorum Patrum suprà n. 60. allatæ; cum enim dicunt, *Verbum naturam humanam assumpsit, & non Personam*, sensus est, *assumpsit humanitatem, & non formam illam positivam, per quam persona constituitur*, quod clarius longè est, quàm explicatio supra allata, ergo, &c.

LXXXIX. Nec dici potest, Sanctos Patres non agnovisse similem formam. Quia similes locutiones, attentâ fide ipsorum, quâ cognoverunt in Divinis personalitates esse positivas, & de negativis pro creatis nihil expressérunt, nec etiam quidquam sequatur intellectu difficile, si quoad hoc à Divinis ad creatam personalitatem positivam trahatur consequentia, apertè contrarium convincunt.

LXXXX. Confirmatur 1°, in sententia Scoti & aliorum docentium subsistentiam consistere in negativo, difficulter assignatur effectus formalis subsistentiæ; in hac verò clarè, ergo, &c. Antecedens pro 2ª parte patet ex Resolut. 4ª. Dubii primi, dicendo, quòd sit basis, vel terminus, &c. qui effectus tam clarus est, quantum ratio nostra, adjuta lumine fidei, de subsistentia cognoscit: pro reliquo autem captivandus intellectus in obsequium fidei, quæ, cum in præsenti puncto sit valde obscura, pro effectu formali subsistentiæ creatæ, sufficit dicere, illam tribuere ferè eundem effectum proportionaliter, quem tribuit Divina divinitati.

LXXXXI. Probatur antecedens pro 1ª parte, quia dici non potest cum P. Poncio loco citato numer. 37°, illum esse incommunicabilitatem, à qua persona habet, quòd non possit communicari ulli distincto, à quo compleatur: vel enim *personam* accipit secundùm naturam ut personatam specificativè, & secundùm quod natura; vel ut personatam reduplicativè, & secundùm quod personalitas?

LXXXXII. Si 1ᵘᵐ, per *ullum distinctum* intelligit, vel naturam ut condistinctam à supposito, vel suppositum? per illud *distinctum* non potest intelligere naturam, &c. quia natura ut specificativè personata, non habet ab illis negationibus (quidquid sit de aliis, in quibus consistit formalis distinctio unius naturæ ab alia, ut Log. Tract. 1°. Disp. 1ª. Dub. 1°. probatum est) incommunicabilitatem ulli naturæ, ut condistinctæ à supposito; sed à seipsa & intrinsecis suis; quia natura non est naturæ communicabilis, forma formæ, subjectum subjecto: igitur intelligit suppositum, & incidit in sententiam quam ibidem impugnat, & statim impugnabitur.

LXXXXIII. Si 2ᵘᵐ: Item, per *ullum distinctum* intelligit, vel naturam ut condistinctam à supposito, vel suppositum? per illud *distinctum* non potest intelligere naturam, &c. quia personalitas est illi communicabilis, ut per se patet: igitur intelligit suppositum, &, præterquàm quòd incidat in sententiam, quam ipse impugnat, ut dictum est, ipsius sententiæ erit hic sensus, *Effectus formalis personalitatis est reddere personalitatem*, sive seipsam, *Incommunicabilem personæ* seu supposito; qui effectus formalis est æque ignotus ac ipsa forma, & idem per idem ejusdem rationis explicat, quod est vitiosum: deinde hic effectus non est proprius subsistentiæ; nam omni formæ & subjecto commune est dare incommunicabilitatem per modum actus & potentiæ, cum ente ejusdem secum rationis, ut per omnia entia discurrenti patebit.

LXXXXIV. Subsumo, sed nihil adferri potest aliud, in quo consistat effectus formalis subsistentiæ negativæ. Nec sufficit, juxta dicta supra Dub. 1°. Resolutione 3ª, dicere effectum formalem subsistentiæ negativæ, consistere in incommunicabilitate naturali alteri supposito positivo; quia, licèt hic effectus sit paulò notior ipsâ formâ, & non explicet idem per idem ejusdem rationis, negativum scilicet per negativum, sed per positivum; nec sit communis omni subjecto & formæ, quia aliud est negationem dare incommunicabilitatem cum positivo, aliud positivum cum positivo ejusdem secum rationis; tamen, cum explicari non possit, nisi per ordinem ab subsistentiam positivam, cujus explicatio ulteriùs quærenda erit, si in priori sententia sistamus; conformius rationi videtur adstrui positiva sine multiplicatione explicationum, quàm negativa adstruatur cum illa adhuc satis obscura.

LXXXXV. Confirmatur 2°, subsistentia dicitur ab eo, quòd sub sistat; suppositalitas ab eo, quòd sub ponatur; sed illud quod subsistit & supponitur, debet esse positivum, utpote basis entium positivorum substantialium, & non negativorum tantùm, ut patet, ergo, &c.

LXXXXVI. Confirmatur 3°, Subsistentia Verbi complet substantialiter naturam humanam; ergo est substantialiter incompleta secundùm esse personæ, ac proinde exigit Subsistentiam positivam, quâ substantialiter compleatur secundùm esse personæ.

LXXXXVII. Respondebis fortè distinguendo consequens; ergo est substantialiter incompleta secundùm potentiam obedientialem, concedes consequentiam; quia, inquies, non repugnat illam divinitùs compleri per subsistentiam positivam, uti fides factum docet: secundùm potentiam naturalem, negabis consequentiam; quia ut sic est substantialiter completa, in quantum non exigit compleri per subsistentiam positivam, sed illi satis sit, utpote cum sit individua & non communicata substantia, habere non communicationem & non communicabilitatem naturalem, vel similes negationes. Sed

LXXXXVIII. Contra, istud quidem responsum est probabile, juxta dicta in prima Resol. verùm, cum subsistentia positiva Verbi ponatur loco subsistentiæ humanæ, quæ humanitatem terminat secundùm potentiam naturalem, videtur dicendum, naturam esse incompletam substantialiter secundùm potentiam naturalem, & non tantùm secundùm potentiam obedientialē; ac proinde subsistentiam Divinam poni loco humanæ positivæ. Ex his

LXXXXIX. Patet Responsio ad Confirmationem Resolutionis præcedentis: solùm igitur

C. Objicies Damasum, Damascenum & Patres Græcos ac Latinos ibidem probatione 3ª citatos.

CI. Respondeo omnes istos Patres sumere concretum hominis pro abstracto humanitatis; & cum Damascenus asserit, *Verbum assumpsisse humanitatem cum omni entitate positiva illi debita*, agit de entitate substantiali humanitati debita, ut humanitas sit; non verò ut sit homo & persona: cum verò dicit, *Verbum assumpsisse totum, quod in homine plantavit*; etiam sumitur concretum pro abstracto; licèt dici possit assumendo humanitatem, assumpsisse totum, quod in homine plantavit; quia in illo subsistentiam propriam non plantavit, sed suâ prævenit; vel ita intelligi debet, ut assumpserit totum, quod in homine erat assumptibile; subsistentia verò non erat assumptibilis.

DVBIVM III.

Quomodo Subsistentia Positiva distinguatur à natura.

CII. DIstingui modaliter tantùm, affirmant Suares, Lorca, Connimbricenses, Vasquez, Lugo de Incar. Disp. 12. & plures alii recentiores, quos tacito nomine citat Albertinus de Prædicamento Substantiæ Disput. 3ª. ubi illos appellat doctissimos: Physicè verò distingui, Cajetanus, Ferrara, Bannez, Albertinus, Medina, Hurtadus, Arriaga, & è recentioribus Thomistis Herrera & Pantusa: P. Oviedus autem pro alterutra parte nihil determinat, sed convictus utriusque partis rationibus, utramque partem dicit probabilem, quod tamen postmodum retractat, ut infra videbimus: P. Comptonus verò utramque partem censet probabilem, hanc tamen probabiliorem.

RESOLUTIO.

CIII. DIco; subsistentia positiva distinguitur Physicè à natura, ac proinde est res, & non modus tantùm.

CIV. Probat P. Arriaga in simili Resolutione de ubi, Disp. 14ª. Physicæ: non est major ratio, cur albedo, nigredo, actus videndi, amandi, &c. sint entia realia, & non modi, quàm cur non etiam ubicatio, subsistentia, &c. sint entia realia, & non modi, ergo, &c.

CV. Propter hanc rationem ait P. Oviedus, *Profectò nullam rationem invenio, quæ efficaciter alteram Resolutionis partem suadeat.* Sed

CVI. Contra sic argumentor: non est major ratio cur actio, unio, &c. sint modi, & non entia realia, quàm cur non etiam ubicatio, subsistentia, &c. sint modi, & non entia realia, sive res, prout modis opponuntur.

CVII. Respondet P. Arriaga negando antecedens: actio enim (inquit) ideo est modus, quia si non esset, daretur processus in infinitum; deberet enim prima per unionem distinctam uniri, & hæc fieri per actionem distinctam, & hæc iterum uniri per unionem distinctam, & sic in infinitum; at etiamsi sessio (& idem est de subsistentia) non sit modus, non sequitur processus in infinitum, sed solùm infertur debere uniri subjecto per unionem realiter à se distinctam, sicut albedo unitur unione realiter à se distinctâ Petro. Sed

CVIII. Contra; rogo cur ex eo, quòd albedo, sessio, subsistentia, &c. non sint modi, aut non uniantur seipsis, non sequatur processus in infinitum? & sequatur ex eo, quòd actio non sit modus, aut non uniatur seipsâ?

CIX. Respondebis, quia in albedine, sessione, subsistentia, &c. sistitur in unione realiter distincta; non verò in actione, &c. Sed

CX. Contra 1°, etiamsi actio non sit modus, sistitur in unione, si dicatur unionem fieri seipsâ, prout infra dicemus fieri seipsâ.

CXI. Contra 2°, si ego contendam, albedinem, Sessionem, subsistentiam, &c. esse suiipsius unionem, ac proinde modos, quia *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*: & tu contendas non esse modos, quia *ex eo, quòd non sint suiipsius unio*, sed uniantur per unionem realiter à se distinctam, *Non sequitur processus in infinitum*, Hæc tua ratio nulla est, quia facilè admittam processum in infinitum, si mihi admittas posse multiplicari entia sine necessitate; unde tibi probandum prius est, quòd multiplicentur entia sine necessitate, casu quo dicantur non esse suiipsius unio: verùm hoc non probas per hoc, quòd prætexes, quòd non detur processus in infinitum, si non sint suiipsius unio; nam si duo entia, videlicèt unio & unionis actio, in tua sententia, possint multiplicari sine necessitate, quidni & infinita, actio actionis, unio unionis, &c.

CXII. Contra 3°, si ego contendam actionem, unionem, &c. non esse suiipsius unionem; ac proinde non esse modos, quia, *Non sunt alliganda entia essentialiter suis Principiis, aut subjectis determinatis, sine necessitate*; & tu contendas esse necessitatem, *Quia ex eo, quòd non sint suiipsius unio*, sed uniantur per realiter distinctam unionem, *Sequitur processus in infinitum*, quem etiam agnoscit P. Oviedus loco citato: hæc tua similiter ratio nulla est; quia falsum est sequi processum in infinitum, si dicatur actio uniri per unionem realiter distinctam, quæ fiat

fiat seipsâ, ut ante dictum est; & idem est de unione, si dicatur uniri per unionem realiter à se distinctam, quæ fiat seipsâ; in hac enim sistetur, in his autem nullum est absurdum, positâ veritate allati Principii (quod ibi non refellis) de non alligandis, &c.

CXIII. Dices albedo est seipsâ essentialiter albedo, & non per albedinem realiter à se distinctam, & sic de aliis; ergo & unio est seipsâ essentialiter unio, & non per unionem à se realiter distinctam.

CXIV. Respondeo concedendo totum, & tantùm dico, quòd si dicatur unionem uniri per unionem realiter distinctam, quæ fiat seipsâ, propter hoc Principium, *Non sunt entia essentialiter alliganda, &c. sine necessitate*; non sequi processum in infinitum; ac proinde non debere dici essentialiter seipsâ uniri, ne sequatur processus in infinitum, quod contendit P. Arriaga; sed propter rationem, quam statim adferemus. Ex his

CXV. Confirmatur tota impugnatio: dicis albedinem non uniri seipsâ, ac proinde non esse modum, *Quia ex eo, quòd non uniatur seipsâ, &c. non sequitur processus in infinitum*; è contra dicis actionem, unionem, &c. uniri seipsis, ac proinde esse modos, *Quia ex eo, quòd non uniantur seipsis, ac proinde non sint modi, sequitur processus in infinitum*: verùm ego contendo albedinem uniri seipsâ, ac proinde esse modum, *Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate*; ex quo contra te infero, quòd, si albedo, sessio, &c. non uniantur seipsis, sequatur processus in infinitum: deinde contendo actionem, unionem, &c. non uniri seipsis, ac proinde non esse modos, *Quia non sunt entia alliganda essentialiter determinatis Principiis, & subjectis sine necessitate*; ex quo iterum contra te infero, quòd, si actio, unio, &c. non uniantur seipsis, non sequatur processus in infinitum: hic conceptus est à priori, & contra nihil probas; tuus est à posteriori, qui priorem præsupponit. Itaque aliter

CXVI. Probo Resolutionem, quidquid non habet pro effectu suo formali specifico unire formaliter duo extrema inter se, est res, & non modus; sed omne ens distinctum ab unione & actione eductiva, est tale, ergo, &c. minor præcisè probabitur Disput. 6ª. & patet ab entium enumeratione; quia nullum est, dictis exceptis, quod pro suo effectu formali habeat unire formaliter duo extrema inter se; siquidem actio non eductiva facit formaliter creans, sessio sedens, albedo album, subsistentia subsistens, &c. Probatur major, quia de illis pariformiter loquendum; ac proinde, vel dicendum, omnia illa esse modos, quod de quantitate (secundùm eos, qui admittunt eam à materia realiter distingui) albedine & aliis accidentibus Eucharisticis (in nostri sententia) nullus admittere potest: vel dicendum, omnia illa esse res; quia cum omnia illa habeant effectum formalem specificum æque distinctum ab effectu formali unionis, nec appareat ulla ratio aliter Philosophandi de his, quàm de illis, dicendum, omnia illa esse res, & non modos, ergo, &c.

CXVII. Confirmatur, probabile est subsistentiam esse basim, & subjectum materiæ ex præmissis; sed hoc dato, non potest esse modus, ergo, &c.

CXVIII. Objicies 1º, ex P. Oviedo post alios: *Cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest; neque aliqua danda est, absque positiva ratione, sine qua sufficienter explicari possit*; sed præsentia, subsistentia, &c. sufficienter explicantur cum distinctione modali, neque positivo aliquo argumento cogimur asserere posse à suis fundamentis separari, & illarum aliqua distingui à proprio subjecto, ut rem à re; ergo dicendum non est ita distingui, sed tantùm ut modum à re, ergo, &c.

CXIX. Confirmabis ex eodem; imperfectio subsistentiæ, præsentiæ, &c. nonnullam præbet conjecturam, ad affirmandum modos esse, & non res, ergo, &c. His addit P. Oviedus, *Vt communi sententiæ omnium fere Doctorum asserentium præsentiam & subsistentiam, modos esse, & non res, subscribam; rationi supradictæ supersedeo, & affirmo præsentiam & subsistentiam modos esse, & non res*, &c.

CXX. Respondeo 1º, retorquendo Argumentum; sicut enim dicitur, *Cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest*, propter hoc axima, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, in quo id fundatur; dico ego è contra, *Cuicumq; enti danda est major distinctio, quæ dari potest*, propter hoc axioma, *Non sunt alliganda entia essentialiter determinatis Principiis, vel subjectis, sine necessitate*, in quo id fundatur: ex utroque enim sequuntur æque magna absurda; ac inprimis, ex *multiplicatione entium sine necessitate* sequitur, actionem fieri per actionem distinctam; unionem uniri per unionem distinctam; albedinem esse albam *ut quo*, per aliam distinctam, & hanc per aliam, & sic in infinitum, quæ sunt absurda; nec minora sequuntur ex *alligatione entium*, &c. *sine necessitate*; quia sequitur omnes formas substantiales & Physicas accidentales uniri seipsis suis subjectis, ac proinde esse modos: Item ipsas & cætera entia fieri seipsis, ac proinde non esse indifferentia ut à Deo solo, vel Deo & creatura simul pendeant, &c. quæ sunt absurda.

CXXI. Respondeo 2º, in forma, admissâ majore, negando minorem; quia cum præsentia, subsistentia, &c. non minùs habeant effectus formales specificos, ab effectu formali unionis distinctos, quàm formæ substantiales, accidentales aliæ solidæ, &c. explicari debent ut hæ, nec aliter sufficienter explicantur; & hæc ratio est positivum argumentum, quo cogimur adstruere illas posse à suis fundamentis realiter separari, ac proinde esse res, & non modos, haud secus quàm formæ materiales substantiales, aut accidentales quascumque.

Ad Confirmationem

CXXII. Respondeo negando assumptum; non enim video, quænam sit major imperfectio unionis (præsertim substantialis) subsistentiæ, &c. quam quantitatis, quatuor primarum qualitatum, &c. quas facit P. Oviedus res, & non modos.

CXXIII. Objicies 2º, ex P. Telles p. 3ª. in Metaph. Disp. 5ª. (ubi docet, impossibilem esse substantiam creatam connaturaliter subsistentem, per subsistentiam realiter Physicè à se distinctam:) dari non potest accidens, cujus inhærentia ab eo realiter Physicè distinguatur, siquidem inhærentia est actualis dependentia; ergo nec substantia, cujus subsistentia ab ea realiter Physicè distinguatur.

CXXIV. Respondeo, transeat antecedens; nego consequentiam; est enim disparitas, quòd inhærentia sit actio eductiva, quæ in omnium sententia est modus, & non res; subsistentia verò non est actio, sed actionis terminus, ab eaque realiter distinctus, non secùs ac quantitas, albedo, &c.

DVBIVM IV.

An anima rationalis, materia prima, partes integrantes, & modi substantiales habeant subsistentiam.

RESOLUTIO I.

Iuxta sententiam admittentem Subsistentiam positivam.

1ª Pars Problematis.

CXXV. DIco 1°, anima rationalis, & materia prima, tam in compositione, quàm extra, habent Subsistentiam partialem sibi propriam: est Paludani in 3. Dist. 2. q. 1. Ferrar. 2. contra gentes cap. 68. Suarez Metaph. Disp. 34. Sect. 5. Raguſæ 3. p. q. 4. art. 1°. Rubii Phys. Tract 1°. q. 4. Murciæ 1°. Phys. Disp. 6. q. 2ª. Hurt. Phys. Disp. 2. Sect. 7. Oviedi Metaph. Cont. 6. p. 4. Comptoni, &c. contra Vasques infensissimum hostem subsistentiarum partialium, Albertinum, De Lugo, Arriagam, &c.

CXXVI. Probat 1° P. Oviedus; Verbum fuit unitum animæ, & materiæ humanitatis Christi, per partiales uniones, ut constat ex triduo mortis Christi; ergo materia & forma habent partiales subsistentias; quia non ex alio capite inferimus naturam esse capacem subsistentiæ, nisi quia Verbum fuit unitum naturæ, quod fuit unitum etiam animæ separatæ; de materia prima (inquit) à paritate animæ eadem conclusio sufficienter probatur. Verùm

CXXVII. Respondeo concesso toto antecedente, negando consequentiam: si enim dicamus cum P. Oviedo subsistentiam esse terminum substantialem, & non basim, dico animam rationalem & materiam primam, tam posse naturaliter existere sine subsistentia partiali, quàm sine invicem, licèt non dicant repugnantiam ad hoc, ut illam habeant, sicut non dicunt repugnantiam naturalem ad hoc, ut naturaliter se mutuò informent; quòd verò anima manserit unita Verbo in statu separationis, ex necessitate animæ non est factum, sed ex gratuita Dei voluntate.

CXXVIII. Nec rectè P. Poncius 3ª parte, Disp. 18ª dicit, nos ideo colligere humanitatem habere Personalitatem propriam, quia completur de facto per personalitatem Verbi; nam ex eo tantùm colligimus illam esse realiter ab humanitate distinctam, & humanitatem posse illam habere; non verò actu habere: ex quo ulterius patet ad argumentum P. Telles, quod p. 3ª. in Metaph. Disp. 56ª. sæpius repetit: nempe, *Quod potest assumi ad subsistentiam Verbi, debet habere propriam subsistentiam*; non enim debet illam habere, sed sufficit quòd illam habere possit, ut constabit infra de accidente, quod dicemus à Verbo assumi posse: & patet à simili ex materia prima, quæ ut possit à forma informari, non debet aliam habere formam; sed sufficit, quòd illam habere possit: hinc ad id quod paulò infra subdit, creationem esse rerum subsistentium, clarè etiam patet, videlicet, creationem esse rerum per se & seorsim à subjecto eductionis naturaliter subsistentium.

CXXIX. Probant 2°, ulterius uterque; animæ subsistentia non repugnat cum unione ad materiam; ergo anima potest terminari eâdem subsistentiâ, dum est unita, & dum est separata, & è contra.

CXXX. Respondeo concedendo totum, quia per hoc non convincitur habere subsistentiam partialem, sed talem, quæ non pugnet cum unione ad materiam, quod non negabunt nostri Adversarii. Quare aliter

CXXXI. Probatur conclusio, quia id omnino conformius est existentiæ ipsius naturæ, ergo, &c. Probatur consequentia, quia subsistentia sequitur naturæ existentiam; sed naturæ existentia, vel est incompleta (si natura partialis,) vel completa (si totalis) ex duabus partialibus existentiis, quæ se mutuò complent; ergo subsistentia, vel est incompleta (si existentia partialis,) vel completa (si existentia totalis) ex duabus partialibus subsistentiis, quæ se mutuò complent: minor patet ex dictis Disputatione 2ª. Dubio 4°. Probatur major, quia sicut existentia complet naturam in esse, ita subsistentia complet naturam in existere, ergo, &c.

CXXXII. Confirmatur, alioqui materia prima v. g. vel subsisteret per subsistentiam ipsius formæ, vel per unam utriusque indivisibilem: non 1ᵘᵐ, quia sicut forma est natura incompleta, ita & ipsius subsistentia est incompleta, alioqui ei proportionata non esset; unde totum numquam completè & totum subsisteret, sed incompletè dumtaxat & pars ejus, quod est absurdum: deinde, sicut existentia formæ petit compleri per existentiam materiæ, ita & subsistentia formæ per subsistentiam materiæ, quod alioqui non fieret: non etiam 2ᵘᵐ, quia illa est completa & incomplebilis per subsistentiam formæ, contra exigentiam subsistentiæ materiæ, quæ petit compleri per subsistentiam formæ, sicut ipsius existentia per existentiam formæ, ut jam dictum est; & alioqui subsistentia non sequeretur naturæ existentiam, quæ in materia permanens est & incompleta, ut Disp. 2ª. Dub. 3. & 4°. probatum est; quidni & subsistentia? qualis, non esset, ut patet. Neque his obstat Aug. lib. de Eccles. Dogmatibus. cap. 16. ubi dicit *solum hominem habere animam sustentativam, animalium verò animas non esse sustentativas*; quia intelligi debet de sustentativitate per se & seorsim naturaliter à subjecto eductionis, quæ soli animæ hominis convenit; unde patet ad D. Thomam, qui 1. p. q. 75. art. 3°. locum istum pro sua sententia citat.

CXXXIII. Objicies ex P. Vasques: non dantur in eodem composito substantiali plura supposita partialia; ergo nec plures subsistentiæ partiales: consequentia tenet à pari.

CXXXIV. Respondeo negando antecedens, quia sicut datur suppositum inadæquatè, & sicut corpus est homo inadæquatè, & anima rationalis est homo inadæquatè; ita dantur in eodem composito duo supposita partialia, sive inadæquatè; licèt absolutè duo supposita dici non debeant, quia ex usu communi absolutè suppositum accipitur pro natura individua completa subsistente.

RESOLUTIO II.

Iuxta eandem Sententiam.

2ª Pars Problematis.

CXXXV. DIco 2°, anima rationalis, & materia prima, tam in corpore, quàm extra, (dum

(dum extra subsistit) non habent subsistentiam partialem sibi propriam; sed subsistunt subsistentiâ unâ totali & indivisibili: ita Molina 1. p. q. 29. art. 2. dist. 3. Fonseca 9. Metaph. cap. 8. q. 5. Sect. 1. Vasquez, & alii n. 125. citati.

CXXXVI. Probatur, quia subsistentia incompleta animæ & incompleta materiæ implicant contradictionem, ergo, &c. probatur antecedens, quia quælibet esset prima basis naturæ, & non esset, secundùm unam sententiam ex Problematicè propugnatis Dub. 1°. esset ultimum complementum substantiale, & non esset secundùm aliam sententiam; sed hæc implicant contradictionem, ergo, &c.

CXXXVII. Probatur minor pro prima contradictione; esset prima basis, ut supponitur: non esset, quia subsistentia formæ esset in subsistentia materiæ, vel saltem in materia, tamquàm basi, ergo, &c.

CXXXVIII. Nec dicas de ratione subsistentiæ materiæ esse, esse primam basim materiæ, & de ratione subsistentiæ formæ esse, esse primam basim formæ; nam subsistentia materiæ & formæ (saltem materialis) non debent distingui pluſquam connotato, & debet esse earum ratio intrinseca una & eadem, scilicet prima basis naturæ, ut constat à pari in suppositalitate, & personalitate, quæ, partem naturæ esse suppositum aut personam non denominant, ut patet.

CXXXIX. Probatur minor pro secunda contradictione; esset ultimum complementum substantiale, ut supponitur: & non esset, quia subsistentia formæ deberet compleri per subsistentiam materiæ, & è contra, ergo, &c.

CXL. Nec dicas de ratione subsistentiæ materiæ esse, esse ultimum complementum substantiale materiæ sive materiale; & de ratione subsistentiæ formæ esse, esse ultimum complementum substantiale formæ sive formale; nam, ut dixi, subsistentia materiæ & formæ, non debent distingui pluſquam connotato, & debet esse earum ratio intrinseca una & eadem; unde non est ratio distinguendi ultimum complementum substantiale in materiale, & formale illius completivum, ut solutione argumentorum magis probabitur.

CXLI. Objicies tamen 1°, utraque partialis subsistentia non debet dici prima basis divisim, sed conjunctim respectu totius, quasi simul sumptæ aliam basim non præsupponant; item utrumque ultimum complementum, &c. non debet dici ultimum, &c. divisim, sed conjunctim, quasi simul sumpta aliud ultimum complementum non præsupponant; ergo solutio ista, ac per consequens Resolutio nulla.

CXLII. Respondeo negando assumptum; quia, cum partialis subsistentia dicat essentialem ordinem ad compartem, à qua perfici, & quam perficere debet; & ad totum, nonnisi hac mediante, ordinem dicat, debet esse prima basis partialis respectu compartis, & per ordinem ad compartem, ad quam essentialem ordinem dicit: idem dic proportionaliter de ultimo complemento.

CXLIII. Objicies 2°, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hic multiplicantur entia sine necessitate, ergo, &c. Probatur minor, quia in qualibet generatione, destruitur subsistentia totius pereuntis, & produci debebit nova succedentis, ergo, &c.

CXLIV. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in unionem indivisibilem totius, quia in qualibet generatione destruitur unio indivisibilis pereuntis totius, & produci debet nova succedentis, ut patet; si autem hæc nova ex parte utriusque produci possit, quidni & nova subsistentia ex parte utriusque?

CXLV. Respondeo 2°, negando minorem; nam eadem necessitate, quâ hic multiplicantur totales, in alia sententia multiplicantur partiales; quam multiplicationem, si ut superfluam & sine necessitate non recenseas, neque recenseo aliam esse talem, quia eadem est utriusque multiplicationis ratio; & partialem hic non agnoscimus; igitur debet totalis multiplicari.

CXLVI. Objicies 3°, hæc Resolutio est contradictoria præcedentis, ergo alterutra est falsa.

CXLVII. Respondeo utramque dici successivè quoad nos falsam, dum successivè oppositam defendimus: itaque sistendo in hac Resolutione, ad fundamenta primæ sententiæ Respondebis negando esse conformius existentiæ ipsius naturæ, subsistere per subsistentias partiales, sed debere per totalem, quia illæ contradictionem implicant.

CXLVIII. Stando verò in prima sententia, ad fundamenta hujus: Respondebis negando subsistentias partiales implicare contradictionem aliquam, & dices subsistentias materiæ & formæ esse diversæ speciei, non secus ac sunt earum existentiæ, quæ ab ipsis specificantur; ac proinde subsistentiam materiæ debere dici primam basim solius materiæ, & subsistentiam formæ primam basim solius formæ; & idem est de ultimo complemento, videlicet subsistentiam materiæ esse ultimum complementum materiæ, ac proinde materiale; subsistentiam autem formæ esse ultimum complementum formæ, ac proinde formale, quæ se mutuò perficere debent & complere, non secus ac materia formam, & è contra; dicuntur igitur basis & ultimum complementum non per ordinem ad invicem, sed per ordinem ad totum, modo supra dicto; nec aliud necessarium est (quidquid antea dictum sit) quia etiam probabiliter dici possunt esse prima basis & ultimum complementum per ordinem ad totum, & non respectu invicem. Ex his

CXLIX. Patet contra Vasques non esse de ratione subsistentiæ facere rem, quam afficit, omni modo incommunicabilem; sed totum dumtaxat, quod constituit, ut patet ex subsistentia totali indivisibili in sententia ipsiusmet Vasques, quæ non minùs immediatè singulas partes afficit, quàm subsistentiæ partiales; illas tamen non reddit sibi invicem incommunicabiles, sed totum dumtaxat, quod constituit, alteri supposito positivo.

Resolutio III.

Iuxta sententiam admittentem Subsistentiam negativam.

CL. Dico 3°, juxta sententiam hanc non dantur subsistentiæ partiales materiæ & formæ: est contra Poncium & alios loco citato.

CLI. Probatur, quia*, ut supra insinuavimus, non apparet quis possit esse effectus formalis subsistentiæ partialis negativæ, ergo, &c.

CLII. Probatur antecedens, quia ille deberet esse incommunicatio, & incommunicabilitas naturalis

alteri tamquam suppositо partiali vel totali; sed neutra potest esse, ergo, &c. probatur hæc minor, quia una pars in toto est communicata & communicabilis alteri partiali suppositо, & utraque totali, ergo, &c.

CLIII. Dices effectum formalem subsistentiæ partialis negativæ, esse incommunicationem & incommunicabilitatem naturalem alteri, tamquam suppositо totali realiter distincto, ergo, &c.

CLIV. Respondeo negando antecedens; nam, cum duæ formæ totales substantiales possint simul naturaliter esse in eadem materia, & eadem anima rationalis in diversis materiis conjunctis, effectus subsistentiæ partialis negativæ non est (ut patet) in illis casibus incommunicatio, & incommunicabilitas naturalis alteri suppositо totali realiter distincto: deinde si effectus ipsius formalis non sit incommunicatio, & incommunicabilitas naturalis ad compartem, cur erit ad alterum suppositum realiter distinctum, in quo est pars similis naturæ cum comparte? hinc malè P. Telles parte 3ª in Metaphysicam Disputatione 55ª Sectione 3ª dicit, incompletam subsistentiam tollere communicationem alteri suppositо, quantumvis subsistentia partialis sit positiva.

Resolutio IV.

CLV. Dico 4°, in utraque sententia allata partes integrantes totius habent subsistentias partiales integrantes. Ita communiter

CLVI. Probatur, quia subsistentia esset alioqui indivisibilis integraliter, & eadem in pluribus locis, ut crine capitis & ungue pedis, etiam dissitissimis, sicut sunt partes integrantes ejusdem Oceani: item deberet tota perire ad ablationem, vel adjectionem minimæ partis pili aut unguis, guttulæ aquæ, &c. quæ sunt absurda, ergo, &c.

Resolutio V.

CLVII. Dico 5°, contra Cardin. De Lugo Disp. 12. de Incar. PP. Arriagam, Oviedum, Comptonum, Telles & cæteros: unio inter materiam & formam, & similes modi substantiales (ut ajunt,) non subsistunt per subsistentiam partialem sibi propriam. Ita P. Hurtadus Phys. Disp. 2ª. Sect. 7ª. n. 117. licet supra n. 82. contrarium insinuârit.

CLVIII. Probatur, quia non est potior ratio, cur unio & similes modi substantiales subsistant per subsistentiam partialem sibi propriam, quàm quantitas, vel cætera accidentia (si non detur quantitas realiter distincta à materia;) sed hæc in omnium sententia non subsistunt, &c. ergo, &c. Probatur assumptum, quia non sunt magis substantia, quàm illa, nec aliter sunt modi substantiales, quàm quia immediatè afficiunt substantiam, quod etiam illis convenit; ut tamen habeas aliqualem distinctionem inter accidentia, & unionem substantialem, ac generationem substantialem (quia communiter ab omnibus vocantur substantiales, & non cætera accidentia,) dic unionem substantialem esse compositum substantiale *ut quo* in facto esse; generationem verò substantialem esse fieri substantiæ, non item alia accidentia: cave tamen dixeris esse intrinsecè substantiales, magis quàm cætera accidentia, nisi rationem disparitatis attuleris, ergo, &c.

CLIX. Confirmatur: *Verbum, quod semel assumpsit, numquàm dimisit*, ut habet commune pronuntiatum omnium Patrum, ergo non assumpsit unionem inter corpus & animam, quia illam dimisit in triduo mortis; quod autem dicit P. Compton. Disp. 8. Metaph. Sect. 10ª Verbum assumpsisse humanitatem, & tamen eam dimisisse, non est uno & eodem sensu verum, sed diverso, sic nempè ut assumpserit humanitatem *ut quod*, non vero *ut quo* est humanitas, & dimiserit humanitatem *ut quo*, sive unionem; non verò *ut quod*, sive corpus & animam.

CLX. Objicies: secundùm commune pronuntiatum Patrum Verbum assumpsit humanitatem, ergo & unionem inter corpus & animam, ex qua essentialiter constat humanitas, & sine qua non habetur.

CLXI. Respondeo distinguendo antecedens, Verbum assumpsit humanitatem materialiter, id est, illam entitatem, quæ erat realiter humanitas, puta assumendo corpus & animam, unita quidem inter se, non tamen unionem, concedo antecedens: humanitatem formaliter, & ut constitutam essentialiter per unionem, nego antecedens; quia ut sic præter rationem in contrarium in Resolutione allatam, dimisisset, quod assumpsisset *ut quod* & quidem tale sinè quo non esset homo, quod est ipse homo *ut quo*, quod non dicunt Patres.

CLXII. Instabis ex Patribus Dubio 2° Responsione primâ citatis: *Verbum assumpsit integrum Adamum; totum quod in homine plantavit; humanitatem cum omni entitate positiva illi debita*; ergo & unionem.

CLXIII. Respondeo negando consequentiam; certum enim est, quòd Patres loquantur de entitate naturaliter subsistente & assumptibili, unio verò naturaliter non subsistit, nec assumptibilis est, magis, quàm quantitas & cætera accidentia, ut dictum est: unde contra P. Oviedum non est dicenda humanitas subsistere secundùm se totam, sed secundùm totum, quod in ea subsistere potest naturaliter; nec revelatum est Verbum assumpsisse humanitatem secundùm se totam, (ut videtur docere) sed humanitatem sinè addito id est humanitatem secundum *quod* est, & non secundum *quo* est, alioqui præter rationes præmissas ad illam deberet dari assumptionis unio, & hujus iterum nova subsistentia; vel si dicatur, cum P. Comptono, quòd subsistat *ut quo* tantùm suo subsistentiâ termino, dico, quòd unio non debeat assumi *ut quod* per se, sed per accidens tantùm assumptione termini.

Dubium V.

An natura possit naturaliter existere sinè omni subsistentia.

CLXIV. Naturam posse supernaturaliter existere sinè omni subsistentia positiva affirmant Cajet. 3. p. q. 4. art. 2°. Medina ibidem. Valentia 3. p. Disputat. 1ª. q. 4. p. 2°. Albertinus tom. 2°. Disp. 3ª. de Substantia q. 3. Lorca. 3. p. q. 4. Disp. 29. Card. Lugo de Incar. Disp. 12. Sect. 7. Hurtad. Arriaga, Ovied. Comptonus, &c. negant Suarez Metaph. Disp. 34. Sect. 6. Vasquez tom. 1°. in 3am partem ad q. 4am, Disput. 31. cap. 7°. Fonseca 5. Metaph. cap. 8. q. 6. Sect. 5. Conimb. 1°. Phys. cap. 9. q. 6. art. 4°. Cabreira 3. p. ad q. 4. art. 2°. Disput. 6. sed horum fundamenta (salvâ tantorum virorum pace) mihi valde

valde levia sunt, datâ distinctione reali subsistentiæ positivæ ab existentia. Quare sit

Resolutio I.

CLXV. Dico 1°, natura, tam completa, quàm incompleta, non solùm supernaturaliter, verùm etiam omnino naturaliter potest existere sinè omni subsistentia termino, &c. Sed ante probationem

CLXVI. Suppono 1°, Resolutionem procedere in sententia, quæ dicit illam subsistentiam esse positivam, & terminum ultimum substantialem: nam in sententia, quæ dicit illam esse negativam, ex præmissis clarum est, naturam completam non posse naturaliter existere sinè omni subsistentia; & posse incompletam, hôc ipsô, quòd potest naturaliter existere sine omni forma substantiali, aut materia subjecto; quia non datur incompleta subsistentia negativa: itaque Resolutio procedit de positiva, eaque termino ultimo, &c.

CLXVII. Suppono 2°, ex fide quidem clarissimè colligi subsistentiam creatam esse realiter distinctam à natura, & naturam esse per illam in esse suppositi complebilem: minimè verò an à creatura, & quando producatur; an aliquas operationes, & quas, habeat; an sit in subjecto pendens ab aliquibus dispositionibus, nec ne; an proprietas illius, an aliquid contingens: unde pro his omnibus, liberrimè ignorantiam fateri possumus, sicut illam liberrimè fatentur omnes de ejus reali distinctione à natura, nisi hæc ex fide colligeretur. His suppositis

CLXVIII. Probatur prima Pars Resolutionis de natura completa: natura completa non magis pendet, ut existat, à subsistentia termino, &c. quàm materia à forma substantiali, aut anima rationalis à materia; sed materia potest naturaliter existere sinè omni forma substantiali, & anima rationalis sinè omni materia; ergo & natura completa sinè omni subsistentia positiva termino, &c. ergo, &c.

CLXIX. Probatur secunda Pars de natura incompleta: quia, vel non datur subsistentia incompleta, ut supra probatum est; vel si detur, non minùs potest materia naturaliter existere sinè illa, quàm sine forma substantiali, idem dic è converso de anima rationali, sine materia 1ª, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

CLXX. Confirmatur: ferè eodem modo se habet subsistentia partialis ad materiam, & totalis ad naturam completam, sicut reliquæ partes ad ultimam partem divisibilem integralem materiæ; sed potest materia naturaliter existere sinè hac, ut clarum est; ergo & tum ipsa, tum natura completa, sinè omni subsistentia termino. Ex his autē liquet ad duo præcipua Adversariorum argumenta. 1um subsistentia est terminus rei intrinsecus, qui à Deo impediri non potest; si per *rem* intelligant suppositum, verum est; sed licèt à Deo impediri non possit, sic ut eâ impeditâ adhuc sit suppositum; potest tamen sic non esse, ut eâ non existente adhuc sit natura, cui non est aliter intrinsecus, quàm calor aquæ, forma materiæ, &c. si per rem intelligant naturam, jam satisfactum est. 2um, quia si daretur natura sinè subsistentia, natura esset terminata, & non esset; Respondetur fore terminatam in esse naturæ, & non in esse suppositi, uti posse naturaliter terminatam non esse contendimus. Tamen aliter

CLXXI. Objicies 1° Divum Thomam in 3um distinctione 5ª quæstione 3ª articulo 3°: *separatio* (scilicet à Verbo) *dat utrique partium totalitatem, & in continuis dat etiam utrique esse in actu, unde hoc ipso, quòd hominem deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personæ*: addit Suares Metaphysicæ Disputatione 34ª, Sectione 7ª: *Sunt autem notanda verba Divi Thomæ* (scilicet allata) *ex quibus ratio non infirma pro hac parte* (scilicet nobis contrariâ) *colligitur*, ergo, &c.

CLXXII. Respondeo 1°, Sanctum Thomam non loqui in sententia de subsistentia positiva: sed in alia de duabus negationibus, ut colligitur apertè ex his Verbis, *Unde hoc ipso quòd hominem deponeret*, id est, à personalitate Verbi separaretur, *subsisteret homo ille*, quasi diceret subsistentiam humanam creatam, nihil aliud esse, quàm negationem unionis ad personalitatem positivam Verbi (quod supra diximus,) ac proinde factâ separatione, hoc ipso subsistere. 2°, quod fortè probabilius, R°. S. Thomam supponere subsistentiam esse basim, pro quo vide n. 21. & Resolut. 21 infra.

CLXXIII. Objicies 2° Axioma ex Aristotele, Damasceno, Ioanne Theologo in Florentino, communiter receptum, *Actiones sunt suppositorum*; sed illud juxta hanc sententiam foret falsum, ergo, &c.

CLXXIV. Respondeo admisso illo Axiomate, quod negat Vasquez esse Aristotelis & Damasceni, illius esse sensum, quem supra dedimus; *Actiones sunt suppositorum, ubi agentia sunt suppositа*; quia suppositum est denominatū quod & materiale: vel hunc juxta Aristotelem, quem pro te citas, *Actiones sunt individuorum*; quia cum Aristoteles, & multi antiqui Philosophi de subsistentia nihil somniarint, per suppositа nihil aliud intellexerunt, quàm individua, quorum, & non universalium, actiones sunt.

CLXXV. Instabis ex D. Caramuële Metaphysicæ libro 3° Sectione 1ª: si subsistentia sit solùm conditio ad operandum requisita, & à fortiori si possit natura naturaliter sinè illa existere, omnes hæ propositiones, *Verbum est incarnatum, Divina persona est nata, passa, sepulta*, &c. quæ fide tenendæ sunt circa personam Christi, non magis erunt veræ, quàm hæc, *Approximatio calefacit*, quæ ab omnibus semper negatur, ergo, &c.

CLXXVI. Resp. negando assumptum pro utraque parte; nam illæ propositiones non ideo sunt veræ, vel quià personalitas non potest separari naturaliter à natura, remanente naturâ (quòd hîc contendimus;) vel ideo quia subsistentia est conditio aut Principium *quo* operis: sed quia est Principium quod, & radicale omnis actionis & passionis suppositi; unde hujus propositionis *Verbum est incarnatum* est hic sensus, *Filiatio terminans naturam Divinam est res terminans unionem ad carnem*; hujus verò, *Divina persona est nata*, hic, *filiatio terminans naturam Divinam est terminans nativitatem*; item hujus, *Divina persona est passa*, hic, *Filiatio terminans naturam Divinam est terminans passionem*, puta mediante naturâ humanâ, quam personaliter terminat; istæ enim propositiones non propter aliam rationem sunt veræ, quàm quia prædicatum earum, personæ Verbi convenit ratione alicujus formalitatis in Christo existentis; quia actiones & passiones alicujus formalitatis suppositi, communicantur suppositо, sive Principio radicali, cujus alia ratio reddi non potest, quàm acceptio communis.

CLXXVII. Nec si ab Eximio D. Caramuële dicente hujus propositionis, *Deus fuit passus*, esse hunc sensum, *Persona habens divinitatem fuit persona habens dolores*,

dolores, passionem, &c. Quæsiero, an persona secundùm se totam fuerit habens dolores, &c. an secundùm formalitatem aliquam illius tantùm, videlicet naturam humanam ? D. Caramuël aut quivis alius Theologus, Respondere potest aliter habuisse, quàm secundùm hanc formalitatem, cujus actiones & passiones tribuantur suppositо; unde incautè valde P. Arriagam & Suarem propter illam doctrinam irridet, & cum dicit *hanc doctrinam multùm displicere*, multùm displicet.

CLXXVIII. Vrgebis ex P. Poncio 3ª parte Philosophiæ Disputatione 18ª numero 92º: hinc sequeretur naturam singularem posse absque ulla subsistentia habere omnes suas operationes ; sed hoc est inconveniens, ergo, &c.

CLXXIX. Probatur minor argumenti; quia hoc dato ad nihil prorsus deservire posset subsistentia naturæ; & consequenter non esset dicendum, quòd esset complementum istius naturæ, aut perfectio ejus, ergo, &c.

CLXXX. Respondeo negando minorem, quia natura inprimis contra De Lugo, de incarnatione Disputatione 8ª Sectione 1ª, & alios, à subsistentia non pendet, tamquam à Principio quo in operari, ut constat, tum ex anima separata, tum ex accidentibus Eucharisticis; illa enim natura existens sinè omni subsistentia adhuc haberet omnes potentias suas operativas, & sinè fundamento dicendum non est illas in operari pendere à subsistentia, & non operaturas nisi miraculosè, si ab ea separentur: deinde sequeretur omnes operationes Christi esse totius Sanctissimæ Trinitatis, quia operationes ad extra tamquam à Principio *quo*, sunt totius Sanctissimæ Trinitatis, quod tamen nullus dixerit, magis, quàm quòd tota Sanctissima Trinitas sit incarnata, nata, passa, &c. Neq; etiam ab ea pendet tamquam à conditione sinè qua non, contra Suarem, Arriagam, Telles, &c. quia non apparet, quo sensu sit potiùs conditio necessaria ad operationes naturæ, quàm ad existentiam naturæ, ad quam non est conditio necessaria, ut patet ex Resolutione. Ad probationem verò minoris

CLXXXI. Respondeo subsistentiam adhuc naturæ deserviturum ad finem à Deo cognitum, & nobis naturaliter incognitum, non secùs ac ipsa nobis naturaliter incognita est; non enim omnes formalitates entis serviunt ad operationem, sed aliquæ purè ad ornatum, aliæ ad alios fines, quos penetrare non possumus. Ex his

CLXXXII. Colliges non ideo opera Christi fuisse infiniti valoris, quia fuerunt à personalitate Verbi infinitæ dignitatis, tamquam à Principio Physico *quo*, vel tamquam à conditione *sine qua non* potuisset humanitas Christi Physicè operari ; sed quia juxta communem acceptionem, ac proinde moraliter, actiones & passiones alicujus formalitatis suppositi, sunt suppositi tamquam Principii *quod* & radicalis; valor autem moralis, & meritum operum, sumitur à dignitate suppositi operantis.

Resolutio II.

CLXXXIII. Dico 2º, natura sive completa, sive incompleta, non potest naturaliter existere sinè omni subsistentia basi, sive fundamento suo, &c. exceptâ fortè animâ rationali.

CLXXXIV. Probatur, quia natura sive completa, sive incompleta ab ea pendet à priori, tamquam à causa materiali, non secus ac formæ materiales à materia; sed hæ ex dictis Disputatione 3ª, non possunt naturaliter existere sinè materia, ergo nec natura, &c. sinè omni subsistentia basi, &c. posse verò supernaturaliter constat à pari.

CLXXXV. Dixi, *exceptâ fortè animâ rationali*, quia sicut illa ex dictis potest naturaliter existere sinè materia, ita & sinè subsistentia, si dicas illam ex subsistentia non educi, sed creari, de quo Dubio 1º Resolutione 4ª. aliquid diximus.

DVBIVM VI.

An natura creata possit Supernaturaliter terminari duplici Subsistentia.

CLXXXVI. Dixi *natura creata* ; nam Divinam tribus subsistentiis Divinis terminari, fide Divinâ credendum est. Pro hac igitur Resolutione

CLXXXVII. Suppono 1º, subsistentiam increatam Verbi terminâsse naturam humanam simul & propriam, ac proinde naturam posse alienâ subsistentiâ terminari, quod fide Divinâ constat.

CLXXXVIII. Suppono 2º, naturam non posse naturaliter terminari duabus subsistentiis, sive propriis, sive alienis; quia, ut patet, alterutra esset superflua & otiosa. His suppositis, sit

Resolutio I.

CLXXXIX. Dico 1º, in sententia admittente subsistentiam creatam esse entitatem positivam, potest natura creata supernaturaliter terminari duplici subsistentiâ, sive utraque sit aliena, sive utraque propria ; sive una propria, & altera aliena ; sive utraque sit modus, sive utraque res: hæc ultima Pars à paucis examinatur, præterquam P. Oviedo, qui contrarium sentit. Quod verò possit terminari divinitùs propriâ & alienâ, ex Antiquioribus tenent Origenes, Tertullianus & alii apud Valentiam 3.p.Disp.1ª. q.3.p.6. Item Okamus in 3.Dist.1ª.q.1. Gabriël ibidem Dist.2ª.art.3. Major eadem Dist.q.5.noster Bacho etiâ in 3um. Dist. 5.art.2º.his verbis, *Licèt natura humana sit sufficientissimè intensivè personata in Verbo, non tamen ita sufficientissimè extensivè est personata, quin de potentia absoluta Dei possit aliâ personalitate personari, quàm illâ, quam habet; ita quòd ambæ illæ personalitates simul personent illam naturam.* E recentioribus verò Albertinus tom.2.q.7.Hurtadus Disp.11.Metaph.Arriaga, Oviedus & alii. Contra Antiquiores alios Scotum in 3. Dist.1ª.q. 2ª.Cajet. 3.p.q.3. art. 6. Henricum, quodlibet. 6. q.7. Vasquez 3. p. Disp.29. cap.2º. Suarez etiam 3.p.q.4. Disp.14.Sect.1ª. ubi asserit se nostram sententiam non legisse apud ullum authorem. Item contra Recentiores alios Conimb. Sylvium, Sotum, Hurtadum de Incar. Card. Lugo etiam de Incar. &c.

CLXXXX. Probatur, quia nulla est repugnantia ex parte naturæ aut subsistentiæ, sive modus sit, sive res, ergo, &c.

Probatur antecedens pro prima parte, quia natura non minus est supernaturaliter capax duarum subsistentiarum dictarum, quàm qualitatum contrariarum, frigoris scilicet, & caloris intensarum, albedinis & nigredinis intensarum, &c. vel quàm terminare duas actiones totales, locari duabus præsentiis totalibus, circumscriptivâ scilicet & non circumscriptivâ, ut Corpori Christi contingit ; item quàm rectitudinem & curvitatem, motum & quietem,

tem, &c. in diversis locis habere: sed horum (ut infra probabitur) est supernaturaliter capax, ergo, &c.

CLXXXXI. Probatur antecedens pro 2ª parte, quia subsistentiæ, sive utraque sit aliena; sive utraque sit propria; sive una sit aliena, una propria; non magis pugnant, quàm contraria, & sola obest alterutrius, attentâ potentiâ naturali, superfluitas, quæ à Deo vinci potest, non minùs, quàm duæ albedines in eodem subjecto collocari à Deo; imò illa superfluitas secundùm potentiam obedientialem nulla est, & ad Resolutionis hujus practicum exercitium, potius est necessitas, quàm superfluitas, ut consideranti patebit, ergo, &c.

CLXXXXII. Nec dicas hinc sequi naturam creatam fore infinitam; nam inprimis (inquies) si possit simul duabus terminari, poterit tribus, quatuor & infinitis, ad quod requiritur virtus infinita.

CLXXXXIII. Respondeo enim distinguendo sequelam: sequeretur naturam fore infinitam intrinsecè, & secundùm potentiam naturalem, nego sequelam; extrinsecè, & secundùm quod potentia obedientialis dicit in obliquo, quod est omnipotentia Dei elevans ad aliquid supra naturam, concedo sequelam; sed hoc est omnipotentiam Dei esse infinitam, non verò naturam secundùm se: quòd autem essent duæ propriæ & emanantes ab intrinseco, non facit illas convenientes naturæ secundùm potentiam naturalem ejus & intrinseca; quia altera non emanaret nisi supernaturaliter & secundùm potentiam obedientialem; ac proinde non esset naturæ propria, nisi negativè, hoc sensu, quòd non esset alteri connaturalis & positivè propria.

CLXXXXIV. Confirmatur 1º, potest eadem materia simul informari duabus formis totalibus; eadē anima rationalis diversis unionibus totalibus totalitate animæ ad diversas corporis partes terminari; eadem forma materialis produci per eductionem & creationē; eadem spiritualis per creationem & eductionem; idem accidens esse in alio & per se; eadem forma substantialis esse per se & in alio; ergo & eadem natura terminari duabus subsistentiis, &c. consequentia probatur; quia non est major repugnantia in his, quàm in illis, imò fortè minor; quia ad summum sequitur unam fore naturaliter superfluam, ergo, &c. antecedens constat partim ex supra positis, partim ex infra ponendis Resolutionibus, ergo, &c.

CLXXXXV. Confirmatur 2º, potest natura Divina terminari tribus subsistentiis, ergo & creata. Probatur consequentia, quia terminari tribus subsistentiis non probatur esse à creatura imparticipabile aut esse effectus infinitus, ergo est finitus, qui creaturæ convenire potest; si verò à Sancto Thoma Tractatu de Incarnatione dicatur esse proprium Divinæ personæ, propter ejus infinitatem, assumere naturam alienam; non obstat, quia communiter Deo & ejus infinitati etiam naturalia tribuuntur, quæ non cognoscuntur jam naturaliter facta, uti creatio, quam tamen fieri posse à creatura supernaturaliter, passim admittitur, ergo, &c.

CLXXXXVI. Objicies 1º, effectus formalis subsistentiæ est constituere naturam non communicatam aut communicabilem alteri supposito, ergo nequit eadem natura, &c.

CLXXXXVII. Respondeo distinguendo antecedens, effectus formalis secundarius subsistentiæ est constituere naturam non communicatam, aut communicabilem alteri supposito, concedo antecedens: primarius, nego antecedens; nam primarius effectus entis positivi non est negativus, sed negativo contradictoriè oppositus: secundarius verò, qui formæ exigentiam naturalem sequitur, supernaturaliter impediri potest, ut constat in contrariis: hinc patet contra nonnullos alterutrius subsistentiæ effectum formalem (saltem primarium) non esse negativum, sed positivum, & ut summum contrarium; ac proinde non repugnare contradictoriè eandem naturam simul duabus subsistentiis terminari, sed ut summum contrariè: quod Deus absolutè vincere potest: neque naturam ita terminari, est naturam esse in se per propriam subsistentiam, & non esse in se negativè, sed est esse in se positivè ratione propriæ subsistentiæ, & positivè non esse in se, ratione alienæ subsistentiæ; vel potiùs est esse in se per unam subsistentiam propriam, & esse iterum in se per unam alienam, quæ ut summum sunt contraria.

CLXXXXVIII. Objicies 2º, Patres & Concilia colligunt humanitatem Christi non habuisse propriam subsistentiam, quia habebat alienam Verbi; sed hæc collectio foret nulla, si posset simul terminari duabus, ergo, &c.

CLXXXXIX. Respondeo distinguendo minorem; sed hæc collectio foret nulla, si humanitas Christi posset simul naturaliter terminari duabus, concedo minorem: si supernaturaliter tantùm, nego minorem; non enim sunt adstruenda miracula sinè necessitate, quod ne fiat, colligunt Sancti Patres humanitatem Christi non habuisse propriam, quia habebat alienam Verbi, ad cujus exigentiam destruitur subsistentia propria, ac proinde naturaliter ex parte subsistentiæ Divinæ: ex quo liquet contra Emin. Card. Lugo Disputatione 12ª de Incarnatione, Sectione 6ª, falsum esse, fore tantum, & forsan majus, miraculum, auferri à natura completa propriam subsistentiam, præsente alienâ Verbi, quàm illam hâc præsente conservari; nam si conservetur, fit contra exigentiam naturæ & subsistentiæ utriusque; contra exigentiam naturæ quidem, quia non exigit duas subsistentias; contra exigentiam verò utriusque, quia exigunt sui ab eodem subjecto mutuam absentiam: si verò non conservetur, fit quidem contra exigentiam naturæ, quia ad illam naturaliter inclinatur, & non ad Divinam (ut rectè notavit Lichetus antiquus Scoti interpres, libro 3º sententiarum distinctione 1ª quæstione 1ª, quidquid dixerit P. Oviedus Metaphysicæ controversiâ 6ª, non esse debitam præsente alienâ) non tamen contra exigentiam utriusque, sed secundùm exigentiam Divinæ, ut patet.

CC. Probatur antecedens pro 3ª parte contra P. Oviedum loco citato dicentem communem sententiam ferre, subsistentiam modum non posse afficere extraneum subjectum: entitas, quæ respectu proprii subjecti est modus, respectu alieni esse potest res, sive alieno uniri potest per unionem distinctam; ergo etiamsi subsistentia esset modus, posset supernaturaliter proprium & alienum subjectum afficere ac terminare: consequentia patet: Probatur antecedens, quia nihil Divinæ virtuti negandum, in quo non est repugnantia, quæ ibi non est, ergo, &c.

CCI. Objicies tamen 1º rationem, quam expendunt Hurtadus & Card. De Lugo, minus vulgarem, inquit Oviedus ex Suare: modus est actuale exercitium, & communicatio sui effectus formalis per seipsum, & non per aliam entitatem superadditam

ditam, &c. ergo subsistentia modus non potest constituere naturam subsistentem per modum alium superadditum.

CCII. Confirmatur ex P. Oviedo: actio, quia per seipsam respicit hoc Principium efficiens, non potest, mediante modo superaddito, aliud Principium respicere, ergo idem est de subsistentia modo.

CCIII. Resp. distinguendo assumptum; modus respectu proprii modificati, & ut modus, est actuale exercitium, est communicatio, &c. concedo assumptum: respectu alieni, & ut res, nego assumptum; similiter distingue consequens.

Ad Confirmationem

CCIV. Resp. negando antecedens; eodem enim modo Philosophandum de actione, unione, &c. ac de subsistentia & aliis; si enim actio creativa, v. g. uniretur per unionem superadditam (ut docebimus infra) alieno subjecto sub ratione actionis, sive ut actio, & non tantùm ut passio, recte quidem illud subjectum diceretur ab actione respici medio modo superaddito, & rectè denominaretur creare *ut quod*, quia ab inesse ad denominari benè sequitur; non tamen *ut quo*, quia denominatum *quo* actionis, est id, à quo actio egreditur; à subjecto verò illo alieno, cui mediante unionis modo superaddito uniretur, non egrederetur.

CCV. Objicies 2°, unio istius modi ad naturam extraneam terminata, erit naturalis, vel supernaturalis; neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor; non in primis naturalis, quia erit supra exigentiam istius naturæ extraneæ, & naturalem existendi modum subsistentiæ in duabus naturis; neque etiam supernaturalis, quia afficiet duo extrema secundùm eandem entitatem naturalia, ergo, &c.

CCVI. Resp. fore naturalem in substantia propter rationem allatam; supernaturalem tamen quoad modum, quia duo extrema afficiet secundùm modũ existendi supernaturalia; nam naturæ supernaturale est subsistere subsistentiâ alienâ, & subsistentiæ supernaturale est, dare naturæ extraneæ subsistere.

Resolutio II.

CCVII. Dico 2°, in sententia admittente subsistentiam creatam esse duas negationes, non potest natura creata supernaturaliter terminari duplici subsistentiâ, quarum altera sit creata, sive non Divina. Hanc Resolutionem dicit P. Poncius Metaph. Disp. 18. esse clarissimam, sic ut Scotus putarit illam non relinquere locum Controversiæ.

CCVIII. Probatur, quia natura non potest affici de novo negationibus, nisi per unionem realem earum ad se, aut desitionem contradictorii; sed ad hoc, ut natura creata supernaturaliter terminaretur duplici subsistentiâ, alterutro modo deberet affici, quod non potest, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; quia, præterquam quòd non magis intelligi possit unionem positivam terminari ad negationem, quàm ens recipi in nihilo, & nihil recipere ens; hoc ipso, quòd esset talis unio, non esset negatio communicationis, sed ipsa communicatio alteri, quàm proprio supposito, ergo, &c. minor pro secunda parte, quòd non potest, patet; quia natura creata non habet in se contradictorium, sive subsistentiam positivam, ad cujus desitionem affici possit novâ negatione, ergo, &c.

Dvbivm VII.

An duæ naturæ, humanæ v. g. terminatæ subsistentiâ unâ; vel è contrà una natura duabus subsistentiis, essent duo homines, an unus dumtaxat.

Ante Resolutionem

CCIX. Hic suppono ea, quæ Disp. 4ª Præparamenti Logici Dubio 2° supposui & resolvi. His itaque suppositis, sit

Resolutio.

CCX. Dico contra Marsilium, Gabriëlem, Suarem, Molinam, Conimbricenses, &c. in primo casu dubii forent duo homines, & una persona; in secundo, duæ personæ, & unus homo, si ille intelligatur de subsistentia Divina; si verò de creata, in primo casu erunt duo homines, & duæ personæ; in 2° unus homo, & una persona.

CCXI. Probatur, quia ex dictis in Logica loco citato, concreta sive substantialia, sive accidentalia, sive adjunctis nominibus numeralibus, sive non, multiplicantur per solam multiplicationem rectorum, & licèt obliqua, sive formæ tantum, infinities multiplicentur, non multiplicantur: quorum ratio est, quia propositiones verificantur ratione solius identitatis inter prædicati & subjecti propositionis recta; atqui homo, utpote concretum expressum per nomen naturæ, dicit in recto naturam, uti & creata persona; persona verò Divina subsistentiam; ergo, &c.

CCXII. Nec dicas cum Caramuële Mataphysicæ libro 2° Disputatione 1ª, ex his sequi hujus propositionis, *Deus est homo*, esse hunc sensum, *Deitas in persona est humanitas in persona*; ex quo sequitur (inquit) hanc propositionem debere admitti, *Deitas est humanitas*, quæ absolutè est erronea: ne id dicas (inquam) quia licèt concreta *homo* & *Deus* simpliciter & absolutè accepta, dicant naturam in recto & personalitatem in obliquo; non tamen ex Hypothesi quòd accipiantur pro Christo, uti in illa propositione supponi debet; nam extra Christum hæc propositio, *Deus est homo* absolutè & simpliciter est falsa, alioqui simpliciter & absolutè vera esset *Deitas est humanitas*; quam meritò reprehendit: Ex Hypothesi ergo quòd accipiatur pro Christo allata propositio, *Deus est homo*, æquivalet huic *Christus est homo*, cujus hic est sensus, *Christus est natura humana subsistens in personalitate Verbi*; hæc verò *homo est Deus*, æquivalet huic, *Christus est Deus*, cujus est hic sensus, *Christus est natura Divina subsistens in personalitate Verbi*: quia tamen monuimus in Logica loco citato, de eo quod importat subjectum in recto, ubi supponitur pro Christo, judicandum secundùm prædicatum, quod ipsi attribuitur; hujus propositionis, *Deus est homo*, melius dicitur esse hic sensus, *Natura humana subsistens in personalitate Verbi est homo*; & hujus, *Homo est Deus*, hic, *Natura Divina subsistens in personalitate Verbi est Deus*; ratio est, quia subjectum ibi sumitur pro Christo præcisè accepto sub ea ratione, sub qua illi prædicatum convenit, (ut omnes fateri debent) nec sub alia ratione ipsi convenit. Quod verò dicit Caramuël hujus propositionis *Deus est homo*, hunc esse sensum, *Persona habens Deitatem est persona habens humanitatem*, apertè falsum est, ut constat, tũ ex propositionibus

positionibus fidei contra allatis in Præparamento Logico ; tum quia apertè sequeretur hanc propositionem esse veram, *Deus alium Deum generat*, sicut verum est, *persona habens Deitatem, generat aliam personam habentem Deitatem.* Id autem nullus Catholicorum admiserit.

CCXIII. Confirmatur antecedentis probatio, quia alioqui concreta multiplicarentur per multiplicationem obliqui; quo casu essent tres Dii ; quia nomen *Deus* dicit personalitatem in obliquo, quæ est trina : item in divinis esset unica persona, quia nomen *personæ* dicit naturam in obliquo, quæ est unica; atqui hæc sunt hæretica, ergo, &c. major & minor patent ex suppositis in Præparamento Logico sæpiùs citato.

CCXIV. Respondet Caramuël loco citato non fore tres Deos, licèt nomen *Deus* importet solam personalitatem in recto, & consequenter (inquiet) multò minus, si eam importet in obliquo tantùm : ratio ipsius est, quia licèt sint futuri tres habentes Deitatem, non sunt tamen futuri tres habentes Deitates. Sed

CCXV. Contra 1°. hinc sequitur nequidem fore tres personas in divinis ; quia si ad multiplicationem nominum naturæ, ut est *Deus*, requiratur multiplicatio rectorum & obliquorum, quam ibi requirit ; etiam requiretur ad multiplicationem personarum, quæ in divinis (cum Deitas sit immultiplicabilis Physicè) reperiri non potest; unde in divinis esse non poterunt tres personæ, quod iterum est hæreticum.

CCXVI. Contra 2°. concreta multiplicantur eo solo, quod importatur in recto, multiplicato; sed secundùm Caramuëlem, nomen Deus in recto dicit personam, sive rem habentem Deitatem, ergo si tres personæ, sive tres res habentes Deitatem, sunt tres Dii consequenter, quod est error pejor priore.

CCXVII. Contra 3°. concretum *Deus* juxta Caramuëlem in recto dicit unam personam, vel tres? si primum, ergo tres personæ non sunt Deus, quia tres personæ non sunt una persona ; vel sunt tres Dii, sicut sunt tres unæ personæ, sive tertiò una persona : si secundum, ergo Pater non est Deus, Filius non est Deus, &c. quia nec Pater est tres personæ, nec Filius est tres personæ : unde exorbitat Caramuël, cum se ducem præfigit aliis, ne (inquit) in exorbitantias erroneas incautè incidant.

CCXVIII. Adde mentem Sancti Thomæ obscuram esse, si dicas ipsum, 3a. parte, quæstione 3ª. articulo 7°. 1ª. parte quæstione 39ª. & articulo 4o. (ubi ad multiplicationem concreti substantivi, requirit multiplicationem significati magis principaliter & expresè importati) loqui de significato magis principaliter importato in ordine ad veram prædicationem, quod est rectum ; & attendas ipsum nostram sententiam expresè docere in tertium distinctione 1ª. quæstione 2ª. articulo 3o.

DVBIVM VIII.

An forma accidentalis, sit per se immediatè à persona positiva, etiam divina, assumptibilis.

ANtè Resolutionem, quia specialis est difficultas pro persona divina.

CCXIX. Suppono ex dicendis de unione humanitatis ad Verbum. 3ª. parte Theologiæ, unionem hypostaticam, id est, naturæ humanæ in hypostasin Verbi, nihil aliud esse, quàm productionem naturæ humanæ in personalitate Verbi adhæsivè, id est, cum intima ad personalitatem Verbi præsentia ; quia tamen omnes personalitates divinæ sunt invicem summè penetratæ, seu intimè præsentes, propter quod docet P. Amicus Postremò editus, 3ª. parte, Mysterium Incarnationis esse inintelligibile; addèdum illam productionem dicere essentialem ordinem ad solam personalitatem Verbi, sicut illa sola incarnatur (& sic de similibus;) alioqui omnes personæ simul hypostaticè unirentur, ut patet, quod est hæreticum : quomodo autem id fieri possit non est hujus instituti, & commodius 3. p. declarabitur, multùm tamen juvant ad illius intelligentiam dicta in Logica Tract. 1o. Disp. 2ª. Dub. 5°. hôc autem supposito, sit

Resolutio.

CCXX. DIco : forma accidentalis est per se immediatè assumptibilis à persona Divina. Ita Almainus in 3. dist. 2. q. 2. Marsil. ibidem q. 3. Gabriel in 3. dist. 1ª. q. 2. art. 2°. Major in 3um Dist. 2. q. 3. P. Magister noster Bacho in 3um Dist. 3. art. 2°. *infinita suppositabilitas* (puta activè ut sit *suppositativitas*) *sufficit ad suppositandum omne suppositabile cujuscunque rationis.* Itē Valentia 3. part. Disp. 1ª. q. 4. puncto 1°. à §o. *& hæc quidem*, ubi testatur eam esse communiorem & veriorem. est contra Suarem 3. p. tom. 1°. ad 4. quæstionem Disp. 14. sect. 4ª. item Vasquez ibidem Disp. 30. cap. 5°. Albertinum, Raguſa, & alios quos citant.

CCXXI. Probaret aliquis ex D. Thoma 3ª. part. *accidens unitur personæ in persona*; item ex Porphyrio capite 9°. *accidens semper in subjecto subsistit:* Verùm Sanctus Thomas loquitur de unione mediata in persona, mediante scilicet humanitate Christi, ex qua non rectè infertur, posse supernaturaliter dari immediatam; nam multa naturaliter fieri possunt, quæ supernaturaliter immediatè fieri non possunt, ut homo immediatè per ubi ubicatur, per albedinem albicatur naturaliter, non potest tamen immediatè per se supernaturaliter, & sic de aliis: Porphyrius verò per ly *subsistit*, intelligit subjectatur; quia verisimiliùs est subsistentiam non agnovisse: quare probatio ista non est solida. Igitur aliter

CCXXII. Probatur 1°. quia sicut forma accidentalis supernaturaliter produci potest productione essentialiter connotante corpus, vel animam intimè præsentem, ita supernaturaliter productione connotante essentialiter subsistentiam Verbi v.g. intimè præsentē; atqui illo casu forma accidentalis immediatè assumeretur à persona Divina, ergo, &c. minor & consequentia patent; ex præsuppositio ad Resolutionem. Major probatur à paritate rationis.

CCXXIII. Probatur 2°. forma accidentalis est immediatè naturaliter producibilis in substantia Petri subjecto, ergo & supernaturaliter in subsistentia Verbi termino: Probatur consequentia, quia in utroque dici potest terminari, sed diversimodè, ut consideranti patebit, ergo, &c.

CCXXIV. Dixi *supernaturaliter*, quia si posset subsistentia Divina naturaliter uniri accidenti, à fortiori naturaliter posset uniri substantiæ creatæ, sive naturæ humanæ ; unde Mysterium Incarnationis non esset supernaturale ; quod unanimiter negant Theologi.

ccxxv. Objicies 1°. Subsistentia non potest alteri uniri, quin illi effectum aliquem formalem tribuat, aut aliquem ejus defectum suppleat; atqui subsistentia Divina nullum effectum formalem accidenti tribuere potest; nec apparet, quem ejus defectum suppleat, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; quia si quem effectum formalem tribueret, maximè esset existere, & hunc non, quia existentiam habet à se, non secus ac formæ substantiales, vel subsistere, & hunc etiam non, quia subsistere proprium est substantiæ, ergo, &c. Probatur minor pro secunda parte; quia nullum est fundamentum adstruendi complementum aliquod substantiale accidentis, ab eo realiter distinctũ, præsertim, cum nequidem tale complementum substantiæ admitteremus, si aliter Mysterium Incarnationis explicare possemus, ergo, &c.

ccxxvi. Respondeo negando minorem pro 1ª. parte; effectus enim, quem tribueret subsistentia accidenti, (si nolis esse, sed sine ratione, *esse subsistens*) esset esse unitum unione terminatâ, ut terminatâ ad subsistentiam Divinam, quod haberi non potest per unionem præcisè; unio enim quæcunque terminata, ut terminata essentialiter importat terminum, ad quem terminatur: tamen dici potest effectum, quem illi spectato secundùm potentiam obedientialem tribueret, fore *esse subsistens*; nam ab inesse ad denominari fortè sequitur, cur enim omne subjectũ non esset capax denominationis formæ, cui forma est capax inesse? ut fusiùs ostendemus infra: & 1ª. Parte. hinc patet ad 2am partem minoris, & ejus probationem; supplet enim defectum subsistentiæ accidentis, ei secundùm potentiam obedientialem convenientis; & fundamentum hujus subsistentiæ sumitur, tum ex probatione Resolutionis, tum ex non repugnantiâ accidentis ad esse subsistentiâ terminatum secundùm potentiam obedientialem, quæ cum sit extrinsecè Dei omnipotentia, extendi debet quantùm sine aperta repugnantia potest.

ccxxvii. Objicies 2°. impossibile est substantiam inhærere, ergo & accidenti subsistere. Pro solutione hujus objectionis, vide Disputationis 3ª. Dub. 5um.

ccxxviii. Objicies 3°. absurdum est inter formã accidentalem, & personam Divinam dari communicationem idiomatum; nam, vel Deus deberet dici albedo substantivè, vel albus adjectivè, quorum utrumque est absurdum, ergo, &c.

ccxxix. Respondeo distinguendo majorem; absurdum est inter formam accidentalem, & personam Divinam dari communicationem idiomatum per modum prædicationis substantivæ, concedo majorem; & ratio est, quia illa oritur ex assumptione naturæ completæ; per modum prædicationis adjectivæ, nego majorem; quidni enim sicut Verbum rectè dicitur unitum, Incarnatum, &c. posset illo casu persona Divina dici alba? nam eodem planè modo se haberet persona Divina ad albedinem, sicut se habet Verbum ad unionem, carnem, &c. si verò album concipias quasi importare albedinem inhærentem, & informantem per modum formæ sustentationis, id, de quo in concreto prædicatur, ad potentiam naturæ attendis, non ad obedientiam Divinæ omnipotentiæ à natura debitam; quare tuus corrigendus est conceptus, & attendere debes ad alia similia, videlicet esse unitum, (præsertim, cum ex præmissis Dub. 4°. unio inter materiam & formam sit accidens) incarnatum, &c.

DISPVTATIO QVINTA.

De Privatione.

DVBIVM I.

Quid sit Privatio, & an ens reale.

1. ANte Resolutionem Suppono 1°. negationem posse dupliciter sumi, 1°. pro propositione vocali, mentali, &c. negativa, quâ enuntiamus non esse alicujus, ut *Petrus non est lapis*: 2°. ut est præcisè non esse alterius, ut tenebræ respectu lucis, cujus sunt non esse, cæcitas respectu visus, &c.

11. Suppono 2°. negationem esse duplicem, unam essendi; negatio essendi juxta primam acceptionem est, *quæ enuntiat non esse alicujus in se*, ut cum dico, *Antichristus non est existens*; juxta secundam (quam imposterum ordinariè sequemur) est *præcisè non existentia alicujus*, Antichristi v.g.: alteram habendi; negatio habendi est *negatio formæ in subjecto*, quæ est duplex, una strictè, quæ confunditur cum privatione, & *est negatio formæ in subjecto, connotando ejus capacitatem ad formam illam recipiendam*; altera latè, & *est negatio formæ in subjecto nullam connotando capacitatem*, &c.

Resolutio I.

111. Dico 1°. Privatio *est negatio formæ in subjecto capaci*. ly *negatio* est genus, utpotè communis ad negationem essendi & habendi; cætera sunt loco differentiæ.

Resolutio II.

1v. Dico 2°. Privatio non debet dici ens reale privativum, negatio ens reale negativum: est contra PP. Poncium, Telles, & alios plures.

v. Probatur, quia (præterquam quod ibi videatur esse contradictio in terminis, nam ens reale privativum æquivalet; *ens reale non est ens reale*) privatio dicit solam negationem, ac proinde solum *non ens reale* in recto, formam verò, sive *ens reale* quo privat, & subjectum capax, in obliquo; unde sola negatio, seu non ens reale, affirmatur de privatione; ergo privatio in recto, solùm est negatio, seu non ens reale, & non, ens reale privativum.

v1. Confirmatur: per *ens reale privativum*, vel intelligitur *privatio*, & sic dicitur idem per idem, & æquè obscurum: vel *ens reale habens privationem*, & sic privatio esset ens reale in recto, & negatio

in

in obliquo tantùm, quod nullus admiserit, magis quàm hanc propositionem, *privatio est ens reale habens negationem*, &c.

Resolutio III.

VII. Dico 3°. Privatio dici debet medium inter ens animæ & ens reale, quod non nisi abusivè dicitur esse, ut *cæcitas est, tenebræ sunt*; nam cum esse sit proprium entis, illarum propositionum est hic sensus, *cæcitas est ens, tenebræ sunt ens*, qui est apertè falsus; quare dici debet, *visus non est in oculo, lux non est in aëre*; ac proindè illud medium explicari debet per non esse entis realis ante animam, si ante animam; vel per non esse entis animæ, si post animam.

VIII. Dices fortè, ante animam est distinctio inter Petrum & Paulum, sed distinctio secundùm nos est negatio identitatis, &c. ergo negatio est ante animam.

IX. Respondeo distinguendo majorem, ante animam est abusivè distinctio inter Petrum & Paulum, concedo majorem; est propriè, nego majorem; licèt enim ante animam propriè, dicatur *Petrus non est Paulus, Petrus est distinctus à Paulo*, id est, est res connotans negationem identitatis cum Paulo; abusivè tamen dicitur est distinctio, propter rationem in Resolutione datam, quia negatio propriè non est; sed ens dumtaxat.

X. Instabis fortè: eodem modo se habet non ens ad esse, sicut se habet ens ad non esse; sed propriè ens non est, ergo etiam propriè, & non abusivè tantùm non ens, sive negatio, est.

XI. Respondeo distinguendo minorem; sed propriè ens ut ens non est, nego minorem: ens quod fuit ens ut tale non est, concedo minorem: similiter distinguo consequens, ergo propriè non ens ut non ens; sive ut negatio, est, nego consequentiam; non ens quod fuit, ut ens, est, concedo consequentiam, sed illud, non est necessariò negatio pura (de qua hîc agimus) sed ens ante possibile jam habens existentiam; unde propriè dicimus *ens*, quod fuit, ut tale non est, & *non ens*, quod fuit ut ens, est; sed tunc per *non ens* non intelligimus negationem, medium inter ens animæ & reale; nam *cæcitas* v.g. sive quæ est, sive quæ fuit, nunquam est ens, ac proinde nunquam est; sed id quod aliquando est ens positivum, quod ens, visus v.g. qui fuit, aliquando est, & aliquando non est, quando scilicet nondum fuit, aut desiit, unde manet lata disparitas. Ex his

XII. Colliges 1°. abusivè dici distinctionem realem esse ante animam, & debere dici, unum ens reale ante animam non esse aliud; prima tamen locutio toleratur propter authoritatem communem.

XIII. Colliges 2°. negationes & privationes quarumcumque rerum, etiam materialium, non posse in se cognosci, quia non sunt entia, sed non entia; cognitionis verò objectum in se cognoscibile est ens; sed per res, quarum sunt negationes & privationes, cognosci debent, ut vel ipsa experientia docet; non enim aliter cognosco cæcitatem, quàm per absentiam visus ab oculo; tenebras, quàm per absentiam lucis ab aëre: unde non nisi abusivè dicimur videre tenebras; nec hujus dicti alia veritas esse potest, quàm, quòd non videamus lumen, aut objectum, quod videremus, si lumen adesset.

XIV. Colliges 3°. negationes ac privationes multò minùs dici posse ens reale negativè tantùm expressum; quia sic reverà essent ens reale, & ab eo solâ expressione distinctæ.

Dvbivm II.

An in materia sint plures privationes, & an illæ sint capaces intensionis & remissionis.

Resolutio I.

XV. Dico 1°. in materia sunt tot privationes, quot sunt possibiles formæ, quæ absunt.

XVI. Probatur, quia illud nihil aliud est, quàm non esse tot formas in materia, quot de facto non sunt, & esse possunt, quod omnino verum est, ergo, &c.

Resolutio II.

XVII. Dico 2°. Privationes sunt capaces intensionis & remissionis, pro capacitate formarum, quarum sunt privationes.

XVIII. Probatur, quia unus dicitur alio magis vel minùs cæcus; aër uno tempore magis tenebrosus, quàm alio, ergo, &c.

DISPVTATIO SEXTA.

De Vnione inter Materiam & Formam.

I. QVia dicturi sumus unionem esse modum quemdam ab extremis suis modaliter distinctum, & passim in sequentibus occurrit sermo de modis, circa naturam modorum, sit

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid sit modus in genere.

II. MOdum communiter definiunt multi, *id quod ex debilitate suæ entitatis est immediata & actualis determinatio extra animam ad effectum formalem*; vel ut alii, *immediata & actualis informatio*: Definitionem suam probant inductione; omnes modi in particulari, actio scilicet & unio sunt tales, ergo & modus in genere: consequentia patet; probant antecedens, quia alioqui modi in particulari essent indifferentes ad effectum formalem tribuendum, vel non tribuendum, deberentque ad illum tribuendum determinari per aliud, quod vel esset immediata & actualis determinatio ad effectum formalem, vel non? si prius, quidni idem dicitur de primo modo? si posterius, debebit etiam determinari per aliud, de quo idem quæretur, & sic in infinitum; quia non est major ratio, quare unum esset immediata & actualis determinatio ad effectum formalem, quàm aliud; sed talis processus tanquam absurdus & superfluus est vitandus, ergo, &c.

III. Sed contra est 1°. quod non apparet, cur, sicut datur ens perfectissimum in existentia ab alio

inseparabile, ut patet in Filio respectu Patris & Spiritus sancti, dari non possit forma aliqua perfectissima à subjecto suo in existentia inseparabilis; isti autem formæ conveniret modi definitio, & tamen modus non esset; quia per modum omnes intelligunt entitatem valde imperfectam, & propter tenuitatem ac imperfectionem suæ entitatis à subjecto inseparabilem.

IV. Contra 2°. sicut unio albedinis in pariete est immediata & actualis albedinis & parietis informatio; ita & albedo unionis; quia, ut Disputatione 2ª. vidimus, quæ sibi uniuntur ut actus & potentia, sese mutuò denominant; nullus tamen dicit albedinem (& idem est de anima rationali) esse modum suæ unionis.

V. Contra 3°. quia per effectum formalem in definitione positum, vel intelligitur effectus formalis in genere unionis, vel in proprio genere formæ? si primum, clarior est nostra definitio; si secundùm, quælibet forma erit modus; quia est ultima & actualis determinatio ad effectum formalem in proprio genere; albedo enim est ultimò & actu determinata ad faciendum parietem album, licèt non sit ultimò & actu determinata ad esse unitum parieti, quod præcedere debet per modum conditionis *sine qua non*, non secus ac approximatio passi combustionem.

VI. Dicesintelligi effectum formalem in genere unionis & simul proprio identicè.

VII. Respondeo talem effectum formalem agnosci non posse pro aliis, quàm eductione; alioqui dicendum omnes formas substantiales esse accidentales, exceptâ potentiâ instrumentali materiæ, quæ in venerabili Sacramento, & animâ rationali, quæ in morte, à materia realiter separantur, ut Quæstiunculâ 2ª. patebit.

VIII. Contra 4°. non satis apparet, quâ ratione modus à re distingui possit per esse debilem & non solidam entitatem: 1°. quia debile & debilius videntur ejusdem naturæ, sicut calidum & calidius: 2°. quia omnis forma creata respectu Relationis divinæ, est infinities debilior, quàm sit unio respectu animæ; nullus tamen dixerit omnem formam creatam esse modum: 3°. velim semel scire, undè judicetur de debilitate aut soliditate entis? non imprimis ex inseparabilitate, ut statim diximus de Patre in Divinis respectu Filii; neque etiam ex immediata informatione, ut statim vidimus, & alioqui sic frustra particulæ istæ *ex debilitate*, &c. in definitione ponerentur: quare pro meliori definitione modi in genere sit

RESOLUTIO.

IX. DIco: modus rectè definitur *duorum realiter distinctorum unio.*

X. Probatur refutatione aliarum sententiarum, ad quarum probationem Respondeo modum sic esse *actualem informationem*, ut id, aliis præterquam modis, conveniat, unde definitio hæc modi non subsistit; & illa nostra, cum omnes fateantur duorum realiter distinctorum unionem esse modum, omnino subsistit.

QVÆSTIVNCVLA II.

An dentur modi sive entia modalia.

RESOLUTIO.

XI. DIco: dantur modi, sive entia modalia: est contra plerosque Nominales, quos sequuntur Valentia tomo 4°. Disputatione 1ª. quæstione 2ª. & Ioannes à sancto Thoma Physicæ quæstione 6ª. articulo 3°.

XII. Probatur, ut duo contradictoria Physica per propositiones de præsenti de eodem verificentur, requiritur aliqua mutatio realis extrinseca, vel intrinseca; sed *corpus est unitum formæ, corpus non est unitum formæ; forma est educta, forma non est educta*, sunt talia contradictoria, ergo, &c.

XIII. Subsumo, atqui mutatio illa non potest fieri, nisi per positionem, vel ablationem modi alicujus, ergo, &c. Probatur subsumptum, 1°. quia ad illam non requiritur alterius generis ens, puta solidum & Physicum; imò, cum omne ens solidum & Physicum sit indifferens ad uniri & non uniri, indiget modo unionis à se realiter distincto ut uniatur, quod infra patebit: 2°. quia connotata diversa, etiam non sufficiunt; uti similiter infra patebit, ergo, &c.

XIV. Probatur major argumenti: quia alioqui idem corpus immutatum in se & in extrinseco, modò esset unitum, & modò non esset unitum; eadem forma immutata in se & in extrinseco, modò esset educta, & modò non esset educta, quæ contradictoriè repugnant, non secus ac modò esse, & modò non esse, absque intrinseca, & extrinseca formæ immutatione, ergo, &c.

XV. Confirmatur, necessariò admitti debet actio eductiva, quæ sit realiter unio, & unio actionis non eductivæ v.g. creationis; sed omnis unio est modus, ut constat ex dictis Disp. 4ª. Dub. 3ª. ergo, &c. Major constabit ex Disp. 6ª. de Vnione dub. 1°.

QVÆSTIVNCVLA III.

An modi omnes fiant per actionem realiter à se distinctam.

RESOLUTIO.

XVI. DIco: omnes modi non fiunt per actionem realiter à se distinctam, sed seipsis.

XVII. Probatur, quia datur unicus modus, nempe duorum realiter distinctorum unio; sed omnis unio est suiipsius, vel alterius, sine alio realiter distincto (ut statim) eductio; ergo nullus modus fit per actionem realiter à se distinctam; Probatur consequentia, quia omnis eductio est duorum realiter distinctorum unio, ut constabit ex dicendis; ergo ipsa non potest sine processu in infinitum fieri per actionem realiter à se distinctam.

XVIII. Dices 1°. non est ratio, cur potius eadem entitas eductionis sit ultima, & actualis determinatio in duplici genere, fiendi scilicet & uniendi, (& idem est è converso de unione in duplici genere, uniendi & fiendi) quàm eadem entitas albedinis (& sic de aliis formis, quæ habentur solidæ; unde res erunt modi) in duplici genere, albicandi scilicet & uniendi: sed hoc est absurdum, ergo, &c.

XIX. Respondeo negando assumptum; potior enim ratio est, quòd illa, quæ sunt duorum realiter distinctorum unio, essentialiter habeant uniri & fieri seipsis; nec id negari possit sine processu in entibus infinito; albedo verò (& sic de aliis formis, sive substantialibus, sive accidentalibus) non est talis, sed sola unio, quæ est eductio sui præcisè sine termino realiter à se distincto, aut termini realiter à se distincti: neque in hoc

puncto

puncto quidquam exoticum admittimus: si enim benè admittant Adversarii eductionem esse ultimam determinationem in duplici genere fiendi & uniendi seipsâ; quidni benè admittam è conversò unionem esse ultimam determinationem in simili duplici genere, uniendi, verbi causa, & fiendi seipsâ, quandoquidem ab his ad cæteras formas nulla sit sequela, ut statim ostendimus.

XX. Instabis: hæc solutio nititur falsò supposito, verbi causa, modum debere esse duorum extremorum realiter distinctorum unionem, cum sufficiat illum esse suiipsius unionem, ergo, &c.

XXI. Respondeo negando assumptum; quia, si ad esse modum sufficeret esse suiipsius unionem, omnes formæ substantiales, quæ unirentur seipsis, & omnes effectus, qui fierent sine actione ab agente & effectu realiter distincta (cum velis omnes actiones esse modos) essent modi; quis autem dicit formas substantiales, Filium in Divinis respectu Patris, & Spiritum sanctum respectu utriusque, esse modos? quod inde sequitur: modus enim supponit entitatem, tam imperfectam & debilem, (in quo à re aliquousque distinguitur) ut etiam divinitus separatim ab eo, quod semel modificavit, realiter existere non possit, quod optimè intelligitur convenire duorum realiter distinctorum unioni; non verò cuilibet enti suiipsius unioni.

XXII. Dices 2°. si modorum uniri sit ipsorum fieri & uniri, ergo datur actio ad actionem: consequentia est contra Divum Thomam in 1um distinctione 3ª. ubi dicit *non posse dari modum ad modum*; quod etiam ulteriùs probatur, quia creatio, quæ secundùm nos, est res, debet uniri unione realiter à se distinctâ, quæ cum secundùm nos sit suiipsius eductio, datur eductio ad creationem, ac proinde actio ad actionem.

XXIII. Respondeo distinguendo consequens, ergo datur actio ad actionem ejusdem rationis, & secundùm idem genus determinationis, quomodo dicit S. Thomas non posse dari modum ad modum, quia videlicet inde sequeretur processus in infinitum, nego consequentiam: datur actio ad actionem diversæ rationis, & secundùm diversum genus determinationis, nego consequentiam: non enim dabitur creatio, sive actio ut creativa, ad creationem, sed eductio ut unio, similis unioni animæ rationalis ad corpus, sive actio ut unitiva ad creationem sic ut non sit termini eductio, sed suiipsius & termini unio, & simul suiipsius eductio, nullius tamen termini realiter à se distincti, ut postea ex professo probatur: illa enim eductio ut unio haud minùs ad creationem agnosci debet, quàm ad cæteras formas non modos, sive non uniones duorum extremorum realiter distinctorum; dari autem posse actionem diversæ rationis, & secundùm diversum genus determinationis, patet.

QVÆSTIVNCVLA IV.

An omnes primæ qualitates, & omnes actiones sint modi.

XXIV. Respondent communiter Authores primas qualitates non esse modos, quia, inquiunt, ex eo quòd 1ª. qualitates res sint, non sequitur processus in infinitum, sicut sequeretur ex eo quòd actiones non essent modi.

XXV. Sed contrà est, quòd priùs probandum sit aliquid esse, vel non esse modum, quàm dari, vel non dari processum in infinitum in his entibus; siquidem hoc est posterius; illud priùs; id autem non probabùt, nisi recurrendo ad nostram modi definitionem: deinde etiamsi actio non sit suiipsius unio, non sequitur processus in infinitum, quia actio unius generis v.g. creatio, poterit uniri per unionem realiter à se distinctam, quæ sit suiipsius eductio, sicut actio secundù illos est suiipsius unio; in illa autem unione suiipsius actione sistetur, ut patet: denique nequidem ex eo, quòd unio non esse non possit suiipsius unio, nisi cum processu in infinitum, sequitur esse modum; sed tantùm non posse habere per aliquid realiter à se distinctum, quod dat alteri formaliter; alioqui omnes formæ essent modi; quia sicut ex unione unionis realiter distinctâ sequitur processus in infinitum, ita ex anima animæ, albedine albedinis, &c. realiter distincta, sequitur processus in infinitum, ergo à fortiori ex eo, quòd actio non esse non posset suiipsius unio sine unione realiter à se distincta, nisi cum processu in infinitum, non sequeretur esse modum. Contra hæc tamen

XXVI. Dices ex P. Oviedo in Metaphysica Cont. 4. cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest; neque aliqua danda est absque positiva ratione, sine qua sufficienter possit explicari; sed actiones (quia ibi agit de subsistentia, à qua ad actiones potior est consequentia) sufficienter explicantur cum distinctione modali, neque positivo aliquo argumento cogimur asserere posse à suis fundamentis separari, & illarum aliquam à proprio subjecto distingui, ut rem à re, ergo dicendum non est ita distingui, sed tantùm ut modum à re.

XXVII. Confirmabis ex eodem: imperfectio actionum nonnullam præbet conjecturam ad affirmandum modos esse, & non res, ergo, &c.

XXVIII. Respondeo 1°. retorquendo argumentum; sicut enim dicitur *cuicumque enti danda est minor distinctio, quæ dari potest*, propter hoc axioma, *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, quia aliam rationem non video; dicâ ego è contra, *cuicumque enti danda est major distinctio, quæ dari potest*, propter hoc axioma, *non sunt alliganda entia essentialiter determinatis principiis, vel subjectis sine necessitate*: ex utroque enim sequuntur æquè magna absurda; ac inprimis ex multiplicatione entium, &c. sequitur actionem fieri per actionem realiter distinctam; unionem uniri per unionem realiter distinctam; albedinem esse albam *ut quo* per albedinem realiter distinctam, & hanc per aliam, & sic in infinitum: ex alligatione verò entium, &c. sequitur omnes formas substantiales, & Physicas accidentales, uniri seipsis, ac proinde esse modos juxta Adversariorum modi definitionem; item etiam sequitur omnes illas formas, & cæteras creaturas fieri seipsis; quæ non sunt minùs absurda.

XXIX. Respondeo 2°. in forma admissâ majore negando minorem: quia, cum non sint duorum realiter distinctorum unio, cum distinctione modali non sufficienter explicantur, & positivum argumentum, quo cogimur asserere cum distinctione modali non sufficienter explicari, est, quòd sola unio duorum realiter distinctorum cum distinctione modali sufficienter explicetur; actiones autem, præsentia, subsistentia, &c. non sunt unio duorum, &c.

XXX. Ad Confirmationem Respondeo me non videre quænam sit major imperfectio actionum

substantiarum productivarum, & unionum earundem unitivarum, quàm quantitatis, quam Adversarii, etiam ipse Pater Oviedus, communiter faciunt rem. Vnde sit

RESOLUTIO.

XXXI. DIco: primæ qualitates non sunt modi; & pleræque actiones non magis sunt modi, quàm primæ qualitates.

Prima pars est omnium communiter.

XXXII. Probatur 2ª. pars, quia variæ actiones, ut creationes animarum rationalium, actus vitales, &c. non sunt duorum extremorum realiter distinctorum unio, ergo, &c.

XXXIII. Objicies contra primam partem Resolutionis: accidentia omnia, & formæ omnes substantiales sunt determinato subjecto essentialiter affixæ, haud secus, quàm earum uniones; ut quid enim uniones illas sine necessitate multiplicare? ergo, &c. ita ferè P. Comptonus Physicæ Disputatione 14ª. post quosdam ingeniosos Recentiores, quorum *sententia*, inquit, *omnium minimè displicet, & meo judicio propiùs abest à veritate.*

XXXIV. Respondeo Principium illud uniones sive *entia non sunt sine necessitate multiplicanda*, satis infirmari per hoc illi oppositum, *entia non sunt determinatis subjectis essentialiter alliganda sine necessitate & positivo fundamento*, quod hic non datur: vel etiam, *non sunt multiplicandæ perfectiones sine necessitate*, quod fieret dando formis perfectionem uniendi seipsas; imò non satis apparet, quomodo stet animæ rationalis immortalitas cum morte hominis, si omnes formæ essentialiter determinato subjecto alligentur; unde si anima rationalis uniri debeat per unionem realiter à se distinctam, quidni & aliæ quamplurimæ formæ accidentales & substantiales? de unione autem alia est ratio, quia, utpote duorum extremorum unio, est modus. Denique sic consequenter ad vitandam multiplicationem actionum, oporteret quemlibet effectum, causæ determinatæ essentialiter alligare, quod non ita conveniens videtur, cum inde sequatur Deum nullum ens per se posse, aut potuisse producere, eorum, quæ cum causis secundis producit: neque id in ipsas actiones retorqueri potest; quia, vel sunt generationes, sive formarum eductiones, vel non? si primum, sunt modi, sive uniones, ut statim dicetur; illæ autem fiunt seipsis, ut supra vidimus: si secundum, à Deo solo sunt in conservari, vel potiùs, sic conservantur, ut pereuntibus causis creatis, Deo solo causâ conservante existente, conserventur, ut infra dicetur.

DVBIVM I.

An & quomodo unio distinguatur ab extremis.

ANte Resolutionem

XXXV. Suppono 1°. ad compositum requiri unionem; quia multa non possunt fieri unum aliter, quàm per unionem mediam, ut per se patet.

XXXVI. Suppono 2°. Dubium procedere de unione inter materiam & formam substantialem, sive spiritualem, sive materialem, circa quam tanta est controversia, ut Pater Comptonus hîc dicat, *nulla ergo in re, in his octo libris, est, vel major sententiarum diversitas, vel acrior disceptatio, ut mirum sit unionem tantùm peperisse discordiæ.*

RESOLUTIO I.

XXXVII. DIco 1°. videtur omnino certum unionem realiter distingui ab extremis nudè sumptis: puto hanc esse ferè omnium, paucis è Recentioribus exceptis.

XXXVIII. Probatur, quæ realiter separantur ab extremis, realiter distinguntur ab illis; sed unio est talis, ergo, &c. major patet: minor probatur in homine; quia quando homo mortuus est, sunt ejus partes, sive corpus & anima, nec tamen est unio inter illa; alioqui esset homo vivens, cum ad hominem viventem nihil præter corpus, animam & unionem requiratur, ergo, &c.

XXXIX. Confirmatur, si unio non distingueretur realiter ab extremis nudè sumptis, non possent existere corpus & anima, quin dicerentur, & essent unita: atqui hoc est falsum, ut patet, casu quo corpus Mechliniæ ponatur, & anima Romæ, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

XL. DIco 2o. unio non est sola relatio animæ ad formam.

XLI. Probatur, quia vel esset relatio fundamentalis indistincta realiter ab extremis? & hoc non, ut patet ex prima Resolutione: vel realiter distincta ab illis, & consistens in actione? & de illa dubio sequenti agemus: vel relatio formalis? & hoc etiam non, quia, ut constat ex dictis in Logica, illa est omnino extrinseca extremis, illisque non existentibus existens, utpote conceptus; unio verò esse debet illis intrinseca, nec etiam Divinitus, illis non existentibus, existere potest, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

XLII. DIco 3°. unio non est sola existentia utriusque extremi cùm connotato indistantiæ, sive summæ præsentiæ localis & dispositionum, ita PP. nostri Complutenses hîc Disp. 6. q. 2. post alios Recentiores contra Ochamum in 1ᵘᵐ dist. 30. q. 1. Gregor. in 1ᵘᵐ dist. 28. q. 2ª. Aureolum in 4. dist. 44. & alios Nominales communiter, quos sequi videntur, Cajet. 3. p. q. 2. art. 2°. Medina, Fonseca, Valentia, Conimb. &c.

XLIII. Probatur 1°. de indistantia, quia si sufficeret indistantia, sive summa præsentia, anima Christi penetrans corpus Divæ Virginis, materiam sepulchri, januas clausas, &c. fuisset eis substantialiter unita, imò & divinitas ac tota Sanctissima Trinitas esset unita, & assumpsisset omnes totius mundi creaturas, haud minùs quàm humanitatem, quod nemo dixerit, ergo, &c.

XLIV. Nec dicas, ad hoc ut anima Christi illis uniatur requiri insuper absentiam alterius formæ substantialis; nam sic, saltem pervadens quodlibet cadaver naturaliter, vel miraculosè, sine forma substantiali conservatum, fuisset ei unita, sicut illud ita conservatum, naturaliter pervadere potuit, quod est tam absurdum ac sit resurrectio naturalis, quæ inde sequeretur.

XLV. Confirmatur, vel illa indistantia est formalis unio, vel conditio ad hoc ut materia & forma uniantur seipsis? non primum, quia alioqui, qui hominem moveret, produceret & corrumperet hominem, sicut produceret & corrumperet inter

ter partes ejus unionem, id est, indistantiam, sive partium *ubi* ad se, quod est ridiculum: neque etiam secundum; quia alioqui deberet esse conditio ad hoc, ut existeret materia & forma; nam hoc dato materiam & formam esse formaliter unitas, nihil est realiter distinctum ab existentia materiæ & formæ; indistantia verò non est conditio ad hoc, ut existant materia & forma; siquidem naturaliter, vel saltem divinitus, possunt separatim localiter existere, ergo, &c.

XLVI. Probatur 2o. de dispositionibus: si anima aliqua præsertim aliena pervaderet cadaver retinens adhuc suas dispositiones, puta pro instanti quo corpus esset jugulatum, vel violento ictu necatum, non propterea statim illud animaret, ergo, &c. Probatur antecedens; quia alioqui resurrectio esset naturalis; imò si dæmon, aut anima damnata divitis epulonis penetraret animam justi salvati, sequeretur, hujus gratiam, & beatitudinem illi uniri, & justificari ac beari; quod à Theologis non admittitur.

XLVII. Confirmatur: eo instanti, quo Deus creat animam informaturam fœtum, anima Atavi pervadat fœtum, illi unietur, vel non? non primum, quia casu quo fœtus ille esset ex materia anthropophagi, jam resurrectio fieret naturaliter, etiamsi ad resurrectionem requireres ut redeat eadem numero substantia, quod fieret: non etiam secundum, quia si illi non uniretur, neque etiam dispositionibus præcisè positis illi uniretur anima, quam Deus crearet; quia eadem est indistantia & dispositiones ad utramque, in quibus dicis formaliter consistere unionem.

XLVIII. Adde unionem facere unum per se; illas verò dispositiones non nisi unum aggregatum per accidens.

XLIX. Nec dicas 1o. unionem non consistere formaliter in illis dispositionibus, sed hanc esse tantùm conditionem sine *qua non* ad unionem formalem materiæ & formæ seipsis; nam id in confirmatione supra num. 45. rejectum est.

L. Nec dicas secundò, requiri ut Deus producat, & conservet formam propter tales dispositiones, quod non contingeret in tali anima; ne id dicas inquam; nam si Deus primo instanti eam indistantem conservet propter alium finem, & secundo propter istas dispositiones, illa anima non erit intrinsecè mutata, ergo nec magis unita in secundo, quàm in primo instanti; non enim potest transiri à contradictorio intrinseco, ad contradictorium intrinsecum sinè mutatione intrinseca: in idem recidunt, illi qui dicunt, quòd Deus nollet eam primo instanti uniri: quæro enim ab illis, an si tantùm vellet, & nihil novi produceret, ea uniretur? certum est quòd non, quia voluntas divina planè est extrinseca animæ, unio verò intrinseca; unde sicut paries non esset albus, si Deus nihil ad extra producendo, tantùm vellet illum esse album, ita nec isto casu anima esset unita; nam sicut ad esse album requiritur albedo formalis, ita ad esse unitum, unio formalis requiritur.

Resolutio IV.

LI. Dico 4o. neque etiam unio est indistantia, dispositiones & certa proportio, sive respectus intrinsecus hujus formæ ad hanc materiam in individuo.

Probatur, quia talis proportio & respectus intrinsecus omnino gratis, & sine necessitate fingitur: eademque est (ut fatebuntur omnes) anima hominis senis, ac juvenis; habet tamen alias, & alias partes materiæ, ratione caloris naturalis aliquas semper exedentis, & nutritionis alias restituentis, ergo unio non est, &c. respectus intrinsecus ad hanc materiam in individuo.

LII. Nec dici potest, animam tantùm dicere ordinem intrinsecum ad partes materiæ primigenias, quæ toto tempore vitæ (ut probabiliter docent medici) eædem manent: quia infero, ergo partes materiæ alimentitiæ in sene, vel non sunt unitæ, quod est contra experientiam, vel sunt unitæ per unionem realiter distinctam, ac proinde corpus est unitum animæ aliter, atque aliter, secundùm diversas sui partes, quod sine fundamento dicitur: deinde partes meæ primigeniæ in parentibus potuerunt mutari, utpote ipsorum alimentitiæ, quidni & in me? denique demus materiam meam primigeniam esse aliam ob comestionem nucis, quam parentes facere potuerunt, & non fecerunt, sequitur me esse alium substantialiter quoad animam, quàm alioqui essem, quod est ridiculum.

Resolutio V.

LIII. Dico 5o. præter ea, ad unionem formalem requiritur aliqua entitas realiter ab omnibus enumeratis distincta, quæ sit immediata, & actualis determinatio in ratione uniendi. Ita Scotistæ post Scotum in 2um dist. 3. q. 4a, & Thomistæ post D. Thom. 1a. p. q. 76. art. 1o. ad 6um, quem sequuntur nostri Compl. Bannez, Cabrera, Herrera, Arauxo: è PP. verò Societatis Suarez, Vasquez, Tannerus, Hurtadus, Arriaga, Oviedus contra varios Nominales (excepto tamen Ockamo in 3. q. 1a. ubi concedit unionem à verbo & humanitate realiter distinctam:) item è Thomistis contra Cajet. 3. p. q. 2a. art. 7o. Medinam: è Societate verò Fonsecam 7. Metaph. cap. ult. Valent. Conimb. &c.

LIV. Probatur, quia ad unionem formalem materiæ & formæ, non sufficit existentia materiæ & formæ simul cum connotatis allatis, & adferendis, præter entitatem, quæ sit immediata, & actualis determinatio in ratione uniendi, ergo, &c. consequentia est legitima, & antecedens patet ex conclusionibus præmissis.

LV. Dixi *entitas, quæ sit immediata, & actualis determinatio in ratione uniendi*; quia omnis alia determinatio, utpote indifferens ad uniri & non uniri, deberet per aliud secundum uniri, & illud secundum per tertium, donec tandem ad unam immediatam, & actualem determinationem uniendi deveniretur, in qua sola potest consistere formalis unio, & ad quam prævie sine sufficienti ratione multiplicarentur entia. An & quomodo dicta unio sit substantialis, patet ex præmissis Disputatione 4a, Dubio 4o. Resolutione 5a.

DVBIVM II.

Qualis sit unio inter corpus & animam rationalem.

LVI. DVbium esse potest, an dicta unio sit modus quidam substantialis, ad quem ter-

minetur generatio, & ab ea realiter sit distinctus, ut docent P P. Hurtadus, Arriaga, Oviedus, & omnes moderni communiter; an ipsa creatio animæ dicens essentialem respectum ad hanc materiam, tanquam subjectum illius informationis, ut pauci alii, pro quo, sit

Resolutio I.

LVII. Dico 1°. unio inter corpus & animam rationalem in homine, non est ipsa creatio animæ, dicens essentialem respectum ad hanc materiam, tanquam subjectum informationis illius.

LVIII. Probant aliqui 1°. quia conceptus unionis & creationis sunt disparati, & adæquatè separabiles; nam genitum uniri potest, & creatum non uniri, saltem per Deum: verùm hæc probatio solùm concludit formæ creationem in genere non esse unionem formæ; quòd verò creatio in specie dicens respectum essentialem ad hanc numero materiam tanquam subjectum informationis, non sit unio formæ (ut docent,) non improbat.

LIX. Probant 2°. sic fore ut anima rationalis pendeat à materia, ita ut vi istius creationis conservari non possit extra materiam; sed neque hæc probatio quidquam concludit; nam facilè respondebunt vi quidem istius creationis animam conservari non posse extra materiam, tanquam subjectum informationis, posse tamen extra materiam, tanquã subjectum sustentationis, quod sufficienter distinguit formam materialem & dependentiam ejus ab anima rationali & dependentiâ ejus à materia; hæc enim dependentia tantùm est in uniri, qualis est (juxta communem) materiæ ab aliqua forma substantiali: aliter igitur

LX. Probatur conclusio, quia si unio inter corpus & animam rationalẽ in homine, esset ipsa creatio. &c. homo non propriè ab homine generaretur; sed hoc est contra communem modum loquendi, à quo non est sine sufficienti ratione recedendum, ergo, &c. Probatur major, quia generare hominem est attingere effectivè aliquid essentiale hominis, quod tunc non fieret; non enim materia & forma effectivè attingerentur, quia creantur; neque ipsa unio (ut patet) quia foret creatio; neq; ipsum cõpositum humanum, quia attingi non potest nisi ratione alicujus partis, vel unionis, quę attingatur ergo, &c.

LXI. Nec dicas cum P. Telles & nonnullis, quos hìc citat, ad generationem hominis sufficere, si attingantur dispositiones, vel saltem formæ substantiales partiales, ut alii; quia sicut dispositiones, & formæ partiales, non sunt de conceptu essentiali hominis, sed accidentia ejus; ita nec, qui illas per generationem attingit, generat hominem, sed accidentia hominis dumtaxat, vel potiùs dispositiones ad esse hominis, quibus existentibus non necessariò existit homo; quomodo igitur per generationem illarum homo generatur?

LXII. Confirmatur à pari ex dictis Resolutione 4ª. dubii primi: talis respectus creationis ad hanc numero materiam, tanquam subjectum informationis, omnino gratis fingitur; & alioqui sicut materia propter depastionem caloris naturalis, & restaurationem partium depastarum, continuò mutatur; ita deberent animarum creationes continuò essentialiter mutari; imò deberet anima hominis continuò se novis, & novis creationibus creare, & novis ac novis annihilationibus continuò annihilare, sicut continuò novis & novis unionibus se materiæ alimentitiæ unit, & novis ac novis corruptionibus continuò uniones ad materiam alimentitiam depastam corrumpit; quæ in solida ratione non fundantur.

Resolutio II.

LXIII. Dico 2°. unio inter corpus & animam rationalem, non est modus quidam substantialis, ad quem terminetur generatio, & ab ea realiter distinctus: est contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, &c. D. Thomæ tamen apud Ioan. à S. Thom. hîc q. 6. quem ibi sequitur: item Magistri nostri Bachonis infra cit.

LXIV. Probatur, quia modus ille est omnino superfluus, ut ex Resolutione sequenti patebit, & sola unio activè & passivè (de quâ ibidem) ut rectè notat noster Bacho in tertium distinct. 1ª. q. 1ª, §°. 2°. est aliud à partibus, *ipsa unio nihil addit supra partes*, &c. *secundùm Commentatorem* 1°. *Phys. textu Com.* 17. *sed intellige, quòd non loquitur de unione activè & passivè*, &c.

Resolutio III.

LXV. Dico: 3°. unio inter corpus & animam rationalem, est nuda unitio, sive nuda generatio unionis ab unione realiter indistincta sine alio termino producto realiter à se distincto. Nullus ita, nisi fortè D. Thom. Ioan. à S. Thoma & noster Bacho paulò ante citati: Probatur inprimis non est nobis difficilius intelligere unam actionem sine termino realiter à se distincto, quàm sit Adversariis intelligere unam unionem sine duobus extremis realiter distinctis, uti agnoscunt in ipsa actione ut suiipsius unio est; deinde sine processu in infinitum intelligi non potest generationem non esse suiipsius, & duorum realiter distinctorum, unionem; si enim hæc non sit duorum realiter distinctorum unio, dicam eam esse rem, & non modum, sive uniri per unionem realiter à se distinctam, & non per seipsam; quæ unio non erit suiipsius generatio, sicut hæc generatio, non est suiipsius unio, eo quòd non sit duorum realiter distinctorum unio, ut ante vidimus; unde generari debebit per generationem realiter distinctam, & hæc uniri per unionem realiter distinctam, & sic in infinitum, ergo, &c.

LXVI. Dices: hinc sequitur dari generationem actualem sine re actu generata: sed hoc est prorsus inintelligibile, ut loquitur Lud. à Dola de Concursu Dei parte primâ capite 2°. est enim actio fieri termini, via ad terminum, &c. ergo, &c.

LXVII. Confirmatur, sicut unio est necessariò extremorum duorum realiter à se distinctorum unio, ita generatio, sive actio, necessariò est termini realiter à se distincti generatio, sive actio, ergo, &c.

LXVIII. Respondeo negando minorẽ; quia sicuti in sententia Adversariorum benè intelligitur dari aliqua unio, quæ sit suiipsius actio, & non extremorum realiter à se distinctorum; ita in nostra optimè intelligitur, dari aliqua actio, quæ sit suiipsius actio, & non termini realiter à se distincti; unde actio non est necessariò, fieri, aut via ad terminum realiter à se distinctum, magis quàm unio sit necessariò unio extremorum realiter à se distinctorum. Ad Confirmationem

LXIX. Respondeo (præterquàm quòd nimium probet, videlicet actionem nunquam identificari unioni

unioni suo termino, contra Adversarios in ipsa creatione) unionem quidem ut modum, esse duorum realiter distinctorum, non verò ut unionem; quia ut sic indifferens est ut sit, aut suiipsius (ut patet in creatione secundùm Adversarios, & secundùm nos in unione identificata rei solidæ) aut duorum realiter distinctorum unio; unde nec actio ut actio necessariò erit termini realiter à se distincti, sed ut minùs, etiam secundùm Adversarios, indifferens ad esse suiipsius actionem, aut termini realiter à se distincti.

LXX. Instabis: potest esse talis generatio, & non esse formalis unio inter animam & corpus hominis, ergo unio, &c. non est dicta generatio: Probatur antecedens; quia Deus posità materiâ hîc, & dictâ generatione, potest animam creare Romæ, quo casu erit talis generatio, & non erit unio formalis inter animam & corpus, ergo, &c.

LXXI. Respondeo negando assumptum; quia eodem modo philosophandum de illa generatione, quo Adversarii philosophantur de sua unione, qualem dicimus essentialiter esse: undè ad ejus probationem, Respondeo id fieri non posse; sicut enim per Deum produci non potest unio, nisi extrema sint prævè indistantia; ita nec dicta generatio, cum sit formalis unio, nisi extrema sint saltém in posteriori originis indistantia.

LXXII. Vrgebis: saltem juxta hanc sententiam non potest assignari terminus formalis generationis hominis; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

LXXIII. Respondeo distinguendo assumptum, non potest assignari terminus formalis generationis à generatione realiter distinctus, & productus *ut quod*, concedo assumptum; indistinctus & productus *ut quo*, nego assumptum: hoc autem ad generationem hominis sufficit; sicut enim ad hoc ut homo dicatur simpliciter Physicè compositus, sufficit, quòd in suo conceptu Physico includat unionem, ita ad hoc, ut simpliciter Physicè dicatur genitus, sufficit quòd in suo conceptu Physico includat generationem: terminus autem, qui cõmunicatur per generationem hominis, est ille idem, qui est communicatus per unionem, v.g. forma.

LXXIV. Superurgebis: actio à termino dicitur generatio, aut creatio; ergo, vel dicendum hominem ab ea non potius generari, quàm creari; vel illã habere terminum realiter à se distinctum, ergo, &c.

Respondeo negando antecedens, quia melius dicitur generatio actio dependens à materia, tanquam subjecto sustentationis, quàm productio termini realiter distincti dependenter à materia, tanquam subjecto sustentationis; quia hæc definitio non comprehendit omnes generationes, videlicet generationem, quæ non habet terminum realiter à se distinctum, bene autem illa: loquere proportionaliter de creatione: quòd autem generatio in homine sit dependens à materia, patet; tum ex Aristotele primo de generatione, *non forma, sed materia est subjectum generationis*; tum quia est realiter idem, quod unio illa, quæ in sententia Adversariorum fit dependenter à materia, tanquam subjecto sustentationis.

Resolutio IV.

LXXV. Dico 4o. unio inter corpus & animam rationalem, est entitativè accidentalis, licèt hoc sensu substantialis sit, quòd duo extrema substantialia uniat, propter quod hominis generatio dicitur substantialis; non quidem in eo, quo formaliter homo generatur, sed in seipso formaliter genito, ratione præcipuarum sui partium; ab extremis enim partibus sumitur denominatio totius substantialis, aut accidentalis, sic nempe, ut si utrumque sit substantia, substantiale sit; si alterutrum accidens, accidentale, quia *malum ex quolibet defectu, bonum ex integra causa:* ita Scotistæ communiter & Nominatim P. Poncius hîc lib. 1o. Disp. 34. q. 2. Concl. 2ª. post Scotum in 3. Dist. 1. q. 1ª.

LXXVI. Probatur, quia non est potior ratio, cur sit entitativè substantialis, quàm quodlibet accidens immediatè terminatum ad substantiam: quòd autem communiter objiciatur *tale compositum, qualis unio*, non obstat; quia illud hoc solo sensu verum est, si unio uniat duo extrema substantialia per modum actus & potentiæ, facit unum per se substantiale; si alterum sit accidentale, per accidens, vel accidentale tantùm: unde dic illud axioma absolutè esse falsum; quia unio absolutè est modus, simplex, accidens, non vitalis, &c. compositum verò non est modus, simplex, accidens, & sæpiùs vitale est, &c.

LXXVII. Dices fortè, sicut à solâ generatione sibi intrinsecâ homo dicitur genitus, ita à sola generatione entitativè accidente dici debet compositum accidentale; sed hoc ultimum est contra communem omnium, ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo 1o. retorquendo sequelam in generationem modum, à qua compositum non dicitur modale, licèt dicatur genitum: Hoc enim omnes premit.

LXXIX. Respondeo 2ò. negando sequelam; est enim disparitas, quia esse genitum sumitur formaliter ab unione, sicut esse creatum ab unione sumeretur, si unio in homine crearetur; esse verò totum modale, aut totum accidentale, sumitur ab uno, vel utroque extremorum, sic nempe, ut, sicut si extrema sint solida, totum sit solidum, licèt unio sit modus; ita si extrema sint substantialia, totum sit substantiale, licèt unio sit accidens; nec apparet quid ad hanc à nobis factam instantiam, quæ omnes premit, probabilius responderi possit.

LXXX. Confirmatur, quia, cum unio non sit nisi *ut quo* pars totius substantialis, nulla necessitas ut sit entitativè substantialis, ergo, &c. Probatur antecedens, quia prout totum substantiale à partibus *ut quod*, & non à parte *ut quo*, homo dicitur; ita totum ab eis, substantiale dicitur, & non à parte *ut quo*, ut consideranti patebit, ergo, &c.

DVBIVM III.

An unio inter corpus & formam materialem sit modus à formæ istius eductione realiter distinctus.

Resolutio.

LXXXI. Dico: unio inter corpus & formam materialem est ipsa formæ materialis eductio. est D. Thom. P. Ioan. à S. Thoma, & P. nostri Bachonis supra num. 63. citatorum, contra PP. Suar. Hurtad. Amicum, Arriag. Ovied. Telles, &c.

LXXXII. Probatur, quia educi est fieri dependenter à materia, tanquam subjecto sustentationis; sed sic fieri est uniri, ergo educi est uniri, & eductio formarum materialium est earum unio cum subjecto: major patet; probatur minor, quia fieri

ri dependenter à materia tanquam subjecto sustentationis, aliud est, quàm fieri in materia per intimam præsentiam localem; nam sic fit anima, dum creatur intuitu corporis præviè dispositi; ergo est fieri dependenter à materia tanquam subjecto sustentationis & unionis, sive per unionem cum illa, talem, quâ cessante cesset ipsa forma: Probatur hæc consequentia, quia id sine absurdo dici potest, ut solutione argumentorum patebit & hoc admisso vitatur multiplicatio infinita entium, unionis scilicet, & productionis unionis, de qua supra in probatione Resolutionis tertiæ dubii præcedentis.

LXXXIII. Confirmatur, nullum habemus signum distinctionis eductionis ab unione formæ eductæ ex materia; sed entia non sunt realiter distinguenda sine signo distinctionis realis, ergo, &c.

LXXXIV. Nec dicas in homine eductionem sine termino realiter distincto esse unionem, ergo, & in composito purè materiali; hîc enim negatur consequentia, quia ibi non datur eductio formæ realiter distinctæ, quæ possit esse unio, uti in compositis purè materialibus, in quibus proinde superflua esset alia unio realiter distincta ab eductione formæ realiter distinctæ; unde in homine, & aliis compositis purè materialibus, sunt diversæ rationis uniones, sicut sunt diversæ rationis formæ.

LXXXV. Dices 1°. eductio est prior formâ, utpote via ad illam, & id quo fit; sed unio est naturâ posterior formâ; tum quia unibile præintelligi debet suæ uuioni; tum quia est causalitas formæ in compositum; omnis verò causalitas est naturâ posterior suâ causâ; tum quia est effectus materialis formæ, utpote in ipsa subjectata, ergo eductio formæ non est unio; probatur consequentia, quia alioqui esset prior & posterior formâ, ut consideranti patebit, ergo, &c.

LXXXVI. Respondeo concessâ majore distinguendo minorem, sed unio spectata secundùm entitatem est posterior formâ, nego minorem; spectata secundùm denominationem, concedo minorem; forma enim est subjectum denominationis illius, quod præintelligi debet denominationi, non secus ac subjectum eductionis formæ eductæ; posse autem aliquid esse secundùm entitatem in subjecto sustétationis, & ei non tribuere suum effectum formalem adæquatum defectu adæquati subjecti denominationis, patet in ipsa eductione formæ in sententia Adversariorum, quæ est secundùm entitatem in materia subjecto sustentationis, priusquam sit forma; in illo tamen priori ei non tribuit suum effectum formalem adæquatum, quia non facit materiam educentem & formam eductam, eò quòd materia non sit subjectum denominationis adæquatum eductionis, & forma, quæ est partiale subjectum eductionis, non sit in illo priori. Idem omnino contingit in causa instrumentali causæ efficientis & effectus; potentia instrumentali materiæ & formæ, ut constat ex dictis Disp. 2ª. Dub. 7°. ex his facilè distingues omnes probationes minoris, & notabis levi ratione moveri P. Poncium hîc, dum dicit propter 3am probationem minoris, vel retractandam sententiam, quam tenuit de duplici unione subjectata in utroque extremo compositi; vel dividendam causam materialem in materialè propriè dictam, quæ causet per influxum à se egressum & quæ proinde debeat esse prior suo effectu; & in impropriè dictam, quæ causet absque influxu, & quæ possit esse posterior suo effectu; ita ille: verùm non capio quomodo causa materialis, ut causa materialis, possit esse posterior suo effectu.

LXXXVII. Instabis: saltem hinc sequitur naturam humanam esse imperfectè, & per accidens unitam Verbo, quod in Ephesino contra Nestorium damnatum est, & Ephesino conformiter loquuntur Chalcedonense & Lateranense, ergo, &c.

LXXXVIII. Respondeo negando sequelam, quia per nostrum modum unionis entitativè quidem accidentis, natura humana, tam perfectè & per se unitur, ac fieri potest, quia est unificus duorum per modum actus & potentiæ, materiæ & termini, &c. unio verò naturæ humanæ ad Verbum, quæ damnatur in Ephesino, & cujus damnatio repetitur in aliis Conciliis, non est hæc nostra, quæ facit unum per se per modum actus & potentiæ, materiæ & termini, &c. sed illa, quæ ex duobus entibus in actu completis in esse personæ, facit unum moraliter tantùm in esse personæ, ad eum ferè modum, quò multi studiosi unum studium propter eandem applicationem ingenii, multi cives unam Civitatem propter eandem cohabitationem & ad easdem leges obligationè; & quæ insuper relinquit Physicè multa tota completa in esse personæ; nec aliud volunt dicta Concilia, ut evidenter patet, & alioqui omnes Scotistæ ibi anathematizarentur, quandoquidem doceant dictam unionem esse relationem, procul dubio accidentalem.

LXXXIX. Dices 2°. ex P. Comptono hîc Disp. 14ª. sect. 8ª. licèt non repugnet ut duo conceptus unionis & eductionis identificentur, prout duo conceptus visionis albedinis & visionis nigredinis aliquando eidem visioni 1*. identificantur; non tamen propterea sequitur eos necessariò identificari in omni actione eductiva; alioqui sequeretur pleraque identificari, quæ ab omnibus dicerentur realiter distincta, ut v.g. subsistentiam unioni, materiæ & formæ, unionem ubicationi & durationi, &c. sed hæc sequela est absurda, ergo, &c.

XC. Respondeo id quidem non propterea sequi, sed quia aliunde nullum est vestigium distinctionis eductionis formarum materialium ab unione, & ratio eductionem earum unioni identificari planè suadet, ut constat ex probatione Resolutionis; unionem autem subsistentiæ non identificari, satis patet ex dictis de subsistentia basi aut termino positivis, & subsistentia duabus negationibus: de ubicatione autē & duratione infra dicetur.

XCI. Instabis ex eodem; sequeretur, quòd quoties mutatur causa conservativa ignis, toties etiam mutetur unio, ac proinde ignis essentialiter.

XCII. Respondeo negando assumptum: Probabitur enim infra generationem esse actionē permanentem; an autem obsit, quòd id videatur contra communem omnium sensum, videbitur ibidem; solùm adde, quòd minùs experientia convincat generationem formæ substantialis esse successivam, quàm esse à forma ipsa realiter distinctam, quod experientia non convincit: unde in hoc puncto ad rationem in qua communis sensus fundatur, attendi debet, &, si solidior occurrat, amplecti.

XCIII. Vrgebis ex eodem, licèt eductio aliquâ ratione dici possit unio; videlicèt, *dependentiæ* formæ à subjecto, dici tamen non potest unio *informationis*, quia illi duo conceptus sunt realiter separabiles, ergo, &c.

XCIV. Respondeo negando assumptum pro 2ª. parte, ad ejus probationem facilè concedimus illos

illos duos conceptus esse in aliis entibus realiter separabiles; sed negamus de facto esse separatos in eductione, quæ de facto datur, ob rationes supra allatas.

DVBIVM IV.

sitne in composito naturali, simplex, an duplex unio.

Resolutio.

LXXXXV. Dico contra Durandum, Scotum, Martinum Guttierez, Hurtadum, Amicum, Poncium, Caramuëlem, &c. in composito naturali est simplex, & non duplex unio; ita Suarez in Metaph. Vasquez de Incarn. Rub. hîc, PP. nostri Compl. P. Ioan. à S. Thom. Murcia, &c.

LXXXXVI. Probatur, quia sunt realiter idem, materiam esse unitam formæ, & formam esse unitam materiæ, ergo uniuntur per eandem unionem: Probatur consequentia, quia si unirentur per diversas uniones, materia unita formæ aliam unionem diceret à forma unita materiæ: probatur antecedens: quia sicut materiam esse unitam formæ, realiter nihil aliud est, quàm materia, forma & unio; ita formam esse unitam materiæ realiter nihil aliud est, quàm forma, materia & unio, ergo, &c.

LXXXXVII. Dices fortè materiam esse unitam formæ, esse materiam, formam & unionem non simpliciter, sed materiæ tanquam subjectum ad formam tanquam terminum; & formam esse unitam materiæ, esse formam, materiam & unionem, non eandem, sed formæ tanquam subjectum ad materiam tanquam terminum; ac proinde illa non sunt (inquies) realiter idem. Sed

LXXXXVIII. Contra 1°. retorqueo argumentum in causam & effectum: causam esse producentem effectum, non sunt causa, effectus & productio simpliciter, sed causæ tanquam producentis ad effectum tanquam productum: & effectum esse productum à causa, non sunt effectus, causa & productio eadem, sed effectus tanquam producti ad causam tanquam producentem, ergo illa non sunt realiter idem: contrarium tamen patebit infra, ubi docebimus actionem & passionem non distingui realiter.

LXXXXIX. Contra 2°. æquè unitur unibile, sive per modum subjecti uniatur, sive per modum termini tantùm, ergo omnino frustra adstruitur secunda unio, ut unum uniatur per modum subjecti, & alterum per modum termini, & hic vice versâ per modum subjecti, & subjectum per modum termini: antecedens patet ex casu, quo Deus utrumque extremum uniret per unionem creatam realiter distinctam à generatione & eductione, de quibus nos supra.

C. Nec respondeas cum P. Poncio negando consequentiam; illa enim adstruitur (inquies) quia extremorum eadem est ratio; nec est cur unum potius per modum subjecti uniatur, & non per modum termini, vel è contra, quàm aliud. Sed

CI. Contra: in nostra sententia adstruente unionem esse generationem & eductionem, non est eadem extremorum ratio; nam cum generatio & eductio essentialiter fiant in materia, & non in forma, materia est essentialiter subjectum unionis, & non forma.

CII. Dixi *in nostra sententia*, quia in sententia communi Adversariorum admittentium modum unionis à generatione & eductione distinctum, & in sola materia subjectatum, non apparet quid solidè responderi possit, cum utrumque extremum sit æquè aptum ad esse subjectum sustentationis unionis, licèt materia sit subjectum universalius, hoc enim non sufficit: recurrere verò ad Deum, tanquam causam determinantem extremum, in quo tanquam subjecto debeat recipi, non est Philosophicum; quia frustra recurritur ad determinationem causæ primæ, ubi haberi potest determinatio à causa secunda, quæ hîc haberi potest, puta, vel ponendo duas uniones, ut ponit illa sententia; vel dicendo unionem non distingui à generatione & eductione, ut docuimus supra.

CIII. Confirmatur 1°. Resolutio: unio est generatio sine termino producto realiter à se distincto in homine; in composito vero purè materiali est eductio formæ ab ea realiter distinctæ; sed eductio (ut patet) non potest esse in forma tanquam subjecto; quia alioqui, cum fiat per illam, si illa fieret ex forma, forma esset causa materialis suæ activæ causalitatis, quod naturaliter fieri non potest, ut ostendemus infra; nec etiam generatio dicta, quia est eductio formæ materialis unionis, à se realiter indistinctæ, quæ etiam est essentialiter in materia tanquam subjecto, ergo, &c.

CIV. Confirmatur 2°. unio hypostatica, sive naturæ humanæ cum Verbo, est unica, ergo, & in aliis compositis creatis est unica.

CV. Nec respondeas 1°. cum P. Poncio negando consequentiam, propter disparitatem; quia videlicet Verbum non potest esse subjectum novæ entitatis unionis, bene autem quælibet pars in compositis creatis: nam contra est; vel Verbum est tam perfectè unitum humanitati, quàm humanitas Verbo, vel non? si primum, ergo uniri per modum termini, & non per modum subjecti, est tam perfectè uniri, ac uniri per modum subjecti, & consequenter hoc ultimum bis nullatenus requirendum est: si secundùm, ergo Christus est perfectè Deus, & imperfectè homo, quod sonat Eutychianismum & Nestorianismum.

CVI. Nec respondeas 2°. cum D. Caramuële negando antecedens: quia unio hypostatica (inquies) est una creata fundata in humanitate, & terminata ad Verbum: altera increata fundata in Verbo, & terminata ad humanitatem, & præterea eadem cum unione, quâ personalitas Verbi unitur naturæ divinæ. Contra etiam est, quia (præterquàm quod hæc secunda unio, nihil sit aliud, quàm ipsa identitas Filiationis cum natura divina) vel illam unionem concipit D. Caramuël per modum entis modalis, vel per modum rei? si primum, non potuerit esse ab æterno, magis quàm humanitas ipsius terminus modificatus intrinsecus in illa sententia, quod malè audit; si secundum, debebit uniri humanitati per aliam unionem, utpote indifferens ad uniri, ad quam nunquam poterit se habere per modum subjecti, & consequenter nunquam poterit Verbum uniri humanitati nisi imperfectè, quod absurdum est.

CVII. Adde Caramuëlem admittere debere verificationem hujus contradictionis, *unire, non unire* de eadem indivisibili entitate Verbi, quam fides non docet; nullius vero contradictionis de eadem entitate verificatio, etiam in Divinis, admitti debet (cum sit incomprehensibilis) nisi ad eam admittendam fides urgeat.

Objicies

CVII. Objicies tamen 1°. ex P. Poncio: similia sunt per duas relationes, unam in uno, aliam in alio extremorum existentes, similia (& idem est de Relationibus Patris & Filii diversæ speciei;) ergo etiam materia & forma sunt per duas uniones, unam in uno, aliam in alio extremorum existentes, unitæ.

CVIII. Respondeo negando consequentiam; est enim lata disparitas, quòd uniones sint duæ entitates Physicæ, non verò relationes, sed duæ denominationes extrinsecæ, ab uno, vel diversis conceptibus, pro quo vide dicta in Logica Disp. de Relatione: deinde causa & effectus dicunt etiam duas Relationes extrinsecas; non tamen duas entitates Physicas actionis & passionis, in quibus fundantur, realiter distinctas; sed unam indivisibilem Physicè, ut supra monuimus; ergo similiter, licèt extrema dicant duas relationes, uniti scilicet subjecti ad terminum, & uniti termini ad subjectum; non tamen dicent duas entitates Physicas unionis, in quibus fundentur, realiter distinctas; sed una indivisibilis Physicè sufficiet. aliter ad hoc argumentū.

Respondet P. Arriaga, videlicet, dato quòd relatio sit realiter distincta antè intellectum à fundamento & termino, duo similia secundùm exigentiam naturalem penetrata referri unâ relatione; loco dissita, duplici, quia idem non potest simul esse in pluribus locis adæquatis; verùm hæc solutio non placet, 1°. quia cùm relatio fundamenti eodem modo sit ad terminum dissitum (ut patet,) quo unio subjecti ad terminum penetratum, unica esse poterit ad terminum dissitum, si unica esse possit ad penetratum: 2°. penetratio non est relatio similitudinis, ergo non potest supplere effectum formalem relationis similitudinis alterius extremi, quod facere deberet, ut patebit consideranti: deinde respondebit P. Poncius duas relationes non ideo esse necessarias, quia fundamentum & terminus sunt in diversis locis, sed quia non est ratio, cur in uno potiùs sit illa unica relatio, quàm in alio; ad quod non extenditur solutio Arriagæ.

CIX. Objicies 2°. unica unio subjectari non potest in utroque extremo; sed id est necessarium, ergo, &c. Probatur minor, quia utrumque extremum debet per unionem intrinsecè perfici, ergo, &c.

CX. Respondeo, transeat major, nego minorem, ad ejus probationem, admisso antecedente, nego consequentiam; nam materia per creationem suam & animam rationalem, & humanitas per personalitatem Verbi, intrinsecè perficiuntur, licèt in ipsis non subjectentur; ad hoc enim ut unum ab alio perficiatur, non est necessaria sustentatio, sed sufficit intima adhæsio, quæ nihil aliud est, quàm unio ad alterum non sustentans, sive quod non sit subjectum sustentationis: nec refert, quòd hunc conceptum tradamus per negationem, quia notitiam intimæ adhæsionis; & voces sufficientes non habemus, quibus illam per positivum conceptum exprimamus: unde ad probationem minoris, concedo antecedens intellectum de utroque extremo perfectibili; nam unio hypostatica, intrinsecè quidem utrumque extremum afficit, non tamen Verbum perficit; quia cùm sit infinitè perfectum, non est ulteriùs perfectibile.

CXI. Dixi transeat; quia sicut potest (ex dicendis infra) idem effectus pendere à duabus causis totalibus totalitate effectus; ita eadem forma in duobus subjectis totalibus totalitate formæ subjectari potest.

DVBIVM V.

In quo extremorum subjectetur unio.

RESOLUTIO.

CXII. DIco unio, sive generatio sine termino genito realiter à se distincto, sive eductio formæ, subjectatur in materia sola. ita P. Rubius libro 2o. Phys. q. 6. Murcia, Comptonus, &c. contra PP. Suarez, Scotum, Richardum, Henricum, Complut. nostros, Ioan. à S. Thoma, &c.

CXIII. Probatur, quia, ut dubio præcedenti diximus, istæ actiones fiunt essentialiter in materia; & est Aristotelis 1°. de generatione textu 24°. ubi dicit non formam, sed materiam esse subjectum generationis, ergo, &c.

CXIV. Objicies: in homine non est ratio, cur potius unio, ac per consequens generatio, sit materialis, quàm spiritualis; sed si spiritualis, non potest subjectari in materia, ergo, &c. Probatur major, quia sicut anima rationalis incorporea & spiritualis, potest uniri per unionem corpoream & materialem subjectatam in materia; ita materia corporea & materialis, potest uniri per unionem incorpoream & spiritualem subjectatam in anima rationali, ergo, &c.

CXV. Respondeo negando majorem, & assigno majorem rationem (contra Suarem Metaphysicæ Disputatione 15ª. sectione 3ª. num. 11°. & alios, quos citavimus dubio 2°. Resolutione 1ª) quòd illa generatio, sive eductio, sit materialis, ac proinde debeat esse subjectata in materia, 1°. quia cùm parentes non videantur producere posse per instrumentum corporeum, uti est semen, aliquid purè spirituale, qualis alioqui esset, non apparet quomodo homo hominem generaret: 2°. quia est loco unionis non actionis, quæ cum subjectari deberet in utroque extremo, quia non est potior ratio, cur subjectetur in uno, quàm in alio (ut dubio præcedenti vidimus) & alterum sit materiale, esset materialis, quia materiale est malum respectu spiritualis, & spirituale bonum; *malum verò ex quolibet defectu, bonum ex integra causa*; unde materialis unio, ubi partiale tantùm subjectum materiale; spiritualis tantùm, ubi est integrum & totale subjectum spirituale; nisi localiter extensa haberet partes extra partes, juxta dicta in Logica Disp. 2. de quant. num. 100. quæ patent ex communi modo loquendi de homine; ille enim ab omnibus simpliciter dicitur materialis, quia inadæquatè materia; & à nemine simpliciter spiritualis, quia non est adæquatè spiritus. Hinc

CXVI. Colliges spirituale negare concomitanter omnem dependentiam à subjecto materiali, non autem materiale omnem dependentiam ab omni subjecto spirituali.

DVBIVM VI.

An totum distinguatur realiter à partibus & unione conjunctim sumptis.

CXVII. DIxi *à partibus & unione conjunctim sumptis*, & non *à partibus unitis simul sumptis* (in quo plerique falluntur; quia cum veritas prædicationis sumatur penes identitatem rectorum, & unitum

unitum importet unionem in obliquo ; certum est totum distingui realiter à partibus unitis simul sumptis, non secus ac materia & forma simul sumptæ ab unione; siquidem hujus propositionis, *Totum est suæ partes unitæ simul sumptæ*, est hic sensus, *Totum est materia & forma simul sumptæ habentes unionem*, quæ est apertè falsa, cum totum sit in recto æquè unio, ac duæ partes : alioqui si sufficeret importari in obliquo, non apparet, cur hæ propositiones non essent veræ, *Totum est unio uniens materiam & formam ; totum est materia unita formæ ; totum est forma unita materiæ*, quas nullus admiserit. Hoc præmisso, sit

Resolutio I.

CXVIII. Dico 1°, contra Scotistas communiter, quos sequuntur Capreolus, Ferrara, Hervæus, Fonseca, Henricus, Cajetanus, Conimbricenses, &c. totum non est entitas ante animam à partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta. Ita S. Thom. 1. p. q. 11. art. 2° ad 2^um^. & 4° contra gentes q. 81. quem sequuntur PP. Complut. & P. Ioan. à S. Thom. qui hic q. 6. dicit procul Dub. videri Sancti Thomæ, quem sequuntur Durandus in 3. Dist. 2ª. q. 2. Palud. in 3. Dist. 1ª. q. 1ª. Rodens. lib. 1ª. Phys. cap. 3°. q. 1ª. Tolet. lib. 1°. Phys. q. 6. Suarez Disp. 36. Sect. 5ª. Hurtad. Rub. Arriaga, Oviedus, Comptonus, Murcia, &c.

CXIX. Probatur 1°, ex celebri dicto Varronis, quod Augustinus 9° de civitate Dei cap. 3°. commendat, & refert Divus Thomas 1ª. parte quæst. 75ª. articulo 4°, *Homo neque est anima, neque corpus, sed utrumque simul*, puta simultate unionis, ergo, &c.

CXX. Probatur 2° ratione, si totum sit entitas ante animam à partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta, vel ante animam distinguitur totaliter & adæquatè ab illis, vel partialiter & inadæquatè, ut eas ante animam includens, & insuper aliquid aliud ; sed neutrum admitti potest, ergo, &c.

CXXI. Probatur minor pro prima parte ; non primum ; 1° quia sic totum, compositum esset, & non esset ; esset ut supponitur : non esset, quia vel ipsum ab illis, vel illæ ab ipso (saltem divinitus) separari possent, aut saltem eas in suo conceptu formali, sive essentiali Physico, non magis includeret, quam Pater in Divinis Filium, Filius Patrem, &c. qui propterea se mutuò non componunt; ergo, &c.

CXXII. Respondebis totum esse entitatem ante animam à suis partibus & unione, &c. realiter adæquatè distinctam: & ad hanc primam probationem minoris Respondebis cùm P. Poncio Physic. Disp. 6ª, quòd esset compositum; quia ad suas partes se haberet, ut includens ad inclusum: nec posset (etiam divinitus) realiter à suis partibus, &c. separari ; quia ad illas ut sic, se haberet eo modo, quo se habet effectus ad agens ut agens formaliter. Sed

CXXIII. Contra 1°, non dicitur quomodo erit compositum; cum eas in suo conceptu formali, sive essentiali Physico, non magis includeret, quàm Pater in Divinis Filium, aut è contra, qui ideo se mutuò non componunt; igitur id prius dicendum.

CXXIV. Contra 2°, transeat quòd à suis partibus, &c. non posset (etiam divinitus) realiter separari ; hoc tamen non convincit ipsum ad eas se habere, ut includens ad inclusum, ut patet ex Personis Divinis.

CXXV. Contrà 3°, falsũ est totũ se habere ad partes, &c. eo modo, quo effectus se habet ad agens ut agens formaliter: 1° quia præterquã quòd sequatur contra præfatum Authorem, partes non esse de intrinseco Physico formali conceptu totius, magis quàm agens ut agens formaliter sit de intrinseco Physico conceptu formali effectus ; posito præcisè agente ut agente formaliter, non habetur effectus, magis quàm positis præcisè causâ & actione, sed deest aliqua entitas Physica existens ante animam; positis verò partibus & unione, ad totum nulla deest entitas Physica existens ante animam : 2°, agens ut agens formaliter, nec ante, nec post animam, quidquam est effectus ; partes verò & unio sunt partes intrinsecæ totiùs secundùm ipsum.

CXXVI. Contra 4°, vel entitas totius ante animam à partibus & unione cõjunctim sumptis realiter distincta, per illarum productionem producitur, vel ab illis & Deo, vel à Deo solo, per aliam productionem: non ultimum ; quia ad Deum recurrere pro effectibus naturalibus, non est Philosophicum: deinde sic posset Deus totum illud non producere, ac proinde partes & unio existere possent, non existente toto, quod negat : non etiam penultimum; quia cum nihil producatur, nisi per productionem suorum intrinsecorum, & secundùm præfatum Authorem partes sint intrinsecæ toti, partes producerent seipsas, quod intelligi non potest: deinde non est cur Deus talem productionem impedire non posset (ac proinde possent, ut dictum est, partes & unio existere, non existente toto: non denique primum, quia sic totum deberet successivè produci per partes, sicut partes successivè producuntur, ac proindè ad productionem materiæ produceretur una pars totius, ad productionem formæ alia, & ad productionem unionis, 3ª ; quæ tres partes, vel facerent totum realiter à se distinctum, quod per productionem illarum produceretur, vel non ? si primum, illud totum debebit etiam produci successivè per partes, ut ante, & sic in infinitum: si secundum, ergo neque tres primæ partes habent totum ante animam realiter à se distinctum : Ex his infero, ergo debet esse improductum; nihil autem datur improductum præter Deum, ergo, &c.

CXXVII. Probatur minor pro prima parte 2°. partes & unio sunt partes formaliter ipsius, ante, vel post animam tantùm: si post animam tantùm, ergo ante animam illa entitas est totum sine partibus : si ante animam, sunt illius partes ut supponitur ; & non sunt ; quia de ratione partium ante animam, est esse ante animam aliquid totius, quod non essent, quia dicitur totum esse ab illis realiter adæquatè distinctum.

CXXVIII. Respondebis cum eodem esse partes ante animam, & de ratione partis antè animam non esse, esse formaliter aliquid totius, sed causaliter tantùm, quomodo essent aliquid totius. Sed

CXXIX. Contra: præterquam quòd pars formaliter & totum formaliter sint correlativa, debes necessariò sumere ly *causaliter*, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ materialis, vel in genere causæ formalis, quia illæ solæ causæ causant realiter, & ante animam : sed in nullo istorum genere fieri potest, ergo, &c. Probatur minor, quia neque causa efficiens est pars intrinseca ejus, quod efficienter causat, ut Deus creaturæ, Pater filii: neque etiam materialis, est pars, &c. ut materia respectu formæ : neque etiam formalis est pars, &c. ut for-

ma respectu materiæ, & aliundè cum nihil producatur, ut dictum est, nisi per productionem suorum intrinsecorum, idem produceret seipsum. Adde quòd alioqui nihil daretur simplex præter Deum, quia nihil est, quod à causa efficiente non causetur, & major pars entium, etiam à causa materiali, vel formali causatur.

CXXX. Probatur minor pro prima parte 3°, vel illa entitas totius existens ante animam uniretur suis partibus, &c. vel non? si 1um; ex ipsa & partibus ac unione inter illas, sequeretur aliud totum per se substantiale, non secus ac ipsa entitas totius per se ex illis sequitur, vel non? si sequeretur, de illo idem quæram, & sic in infinitum: si non sequeretur, quare primum ex illis partibus per te sequitur? non enim est major ratio hujus, quàm illius: Adde tamen quòd quodcumque sequeretur, non faceret unum per se substantiale; quia adveniret completo enti in actu, videlicet materiæ per formam actuatæ ut actuatæ, ut consideranti patebit; sed per accidens: si 2um; ergo partes, unio inter illas & ipsum non facient nisi aggregatum per accidens, ut est cumulus lapidum, quod ipsi non admittent, quia totum ut sic non ponerentur in Prædicamento.

CXXXI. Respondebis cum eodem 1°, totum non propriè uniendum suis partibus; quia illa propriè tantùm uniuntur, quorum unum in alio non includitur: 2°, admisso quòd uniatur, non sequi aliud totum; quia sicut ad unionem non sequitur unio; ita ad totum non sequitur totum. Sed

CXXXII. Contra 1um est, quòd (præterquam quòd non appareat, quomodo includantur partes in toto) sic partes, unio inter partes & totum faciant aggregatum per accidens, quod negat: Contra 2um verò etiam est, quòd licèt ad unionem non sequatur unio, ad totum tamen à partibus, &c. realiter distinctum, necessariò sequitur totum; quia totum, quod præcedit, non habet in se formaliter omne id, quod in se formaliter habet totum, quod sequitur, sicut prima unio habet in se formaliter omne id, quod secunda habet in se formaliter, exceptâ scilicet hæcceitate; sed totum hoc plus, illud totum formaliter, minùs includit; nihil autem accipit ab alio, quod habet in se formaliter, licèt quod in se formaliter non habet ab alio rectè accipiat.

CXXXIII. Probatur minor pro prima parte 4°, definitum Metaphysicum non est entitas post animam adæquatè distincta à sua definitione Metaphysica; ergo nec definitum Physicum est entitas ante animam adæquatè distincta à sua definitione Physica, sive partibus & unione conjunctim sumptis.

CXXXIV. Respondebis iterum ex eodem, esse disparitatem, in eo videlicet, quòd in definitione Metaphysica, partes ponantur directè, sive in recto, & nihil præter ipsas, ut *homo est animal rationale*: in Physica verò indirectè, sive in obliquo, & aliquid præter ipsas, ut *homo est aliquid constans corpore & animâ rationali unitis*, non verò *est corpus & anima rationalis unita*. Sed

CXXXV. Contra, in definitione, sive Metaphysica, sive Physica attendi non debet, neque potest, sensus formalis & affirmativus; quia (ut ostendimus in Logica) nulla definitio ut definitio prædicatur in sensu formali & affirmativo de suo definito, sed in sensu materiali & identico tantùm: unde cum quæritur, an totum, homo v. g. sit aliquid ante animam à suis partibus & unione realiter distinctum, sensus est, an in sensu materiali & identico homo, suæ partes ac unio, sint idem realiter ante animam. Adde quòd sit idipsum, quod quæritur, an in definitione Physica debeat aliquid poni præter partes & unionem, magis quàm in definitione Metaphysica, in quâ præter genus & differentiam nil ponitur.

CXXXVI. Probatur minor probationis Resolutionis à ratione pro secunda parte: non 2um; quia illud aliud, quod totum includens cæteras partes, insuper diceret, esset vel ut quarta pars compositi, vel tota essentia compositi? non hoc 2um; quia illud est supra fusè impugnatum: neque etiam 1um; quia (præterquam quòd in homine, præter duas partes & unionem, daretur tertia pars, contra omnes) sicut ex duabus partibus & unione exurgeret tertia pars; ita ex tertia & unione exurgeret quarta, & sic in infinitum; quod est absurdum, ergo, &c.

CXXXVII. Objicies 1°, ex Aristotele 4° Physic. Textu 23°. totum est in partibus: 2°, de Anima Textu 22°, dividitur substantia corporea in tria membra, materiam scilicet, formam & totum compositum: 3°. Metaph. 3°. cap. 17°. Syllaba BA, non est B. & A. 4°. ejusdem 5°. cap. 14°. sex non est bis tria, sed semel sex: 5°. ejusdem 8°. cap. 6°. ait, quod non est totum per coacervationem, est aliquid præter partes: sed hæc forent falsa, nisi totum esset entitas ante animam à suis partibus & unione conjunctim sumptis realiter distincta, ergo, &c.

CXXXVIII. Respondeo 1°, generaliter ad Aristotelem ibi & alibi satisfieri, si dicatur 1° ipsum, ad totum præter partes requirere unionem unificam per se: 2°, si dicatur, ipsum agere de toto formaliter, quod est conceptus partium per modum unius (ut infra dicemus) qui quidem est realiter distinctus à partibus & unione, non tamen ante animam, ut contendunt Adversarii.

CXXXIX. Respondeo 2°, specialiter ad singula: ad 1um itaque, locutio est intransitiva, & sensus est, totum est realiter & identicè ante animam suæ partes, puta comprehensâ unione; non enim vult totum esse in partibus tamquam subjecto, sed vel tamquam objecto, vel per identitatem negativam intrinsecam ante animam, quasi nihil sit ipsis intrinsecum realiter ab illis distinctum.

CXL. Ad 2um, rectè dividit substantiam corpoream in materiam, formam & compositum; quia hoc, præter materiam & formam dicit unionem.

CXLI. Ad 3um, solùm vult syllabam BA non esse B. & A. seorsim & inordinatè, quia sic faciunt A. B. & tam AB, quàm B. A. sed conjunctim & cum recto ordine, qui ordo est quædam supra partes unio.

CXLII. Ad 4um, vult sex non esse bis tria seorsim, & diversis conceptibus concepta, sed uno conceptu, qui etiam est quædam supra partes unio, saltem extrinseca.

CXLIII. Ad 5um, solùm vult, totum per se præter partes includere unionem unificam per se, id est, conjungentem partes incompletas ejusdem Prædicamenti per modum potentiæ & actus; non verò totum per coacervationem, sed politicam tantùm

tùm approximationis partium, eo modo, quo multi lapides faciunt cumulum; cohabitationis, eo modo, quo multi cives faciunt unam civitatem, &c.

Resolutio II.

CXLIV. Dico 2°, contra Nominales, Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, & omnes Thomistas: totum formaliter est totaliter extrinsecum suis partibus & unioni conjunctim sumptis, ab eisque realiter distinctum. Puto reverà esse debere omnium, qui negant universale formaliter à parte rei, & illud concedunt post intellectum.

CXLV. Probatur 1°, partes & unio seorsim & distributivè sunt causa compositi; ergo compositum distinguitur realiter adæquatè ab illis: probatur consequentia à pari ex omnibus aliis causis, efficiente, materiali, formali & intentionali: antecedens admittitur ab omnibus Adversariis.

CXLVI. Respondebis 1°, cum P. Hurtado, negando causas intrinsecas, ut sunt partes, verè causare suum effectum, & dices esse partes intrinsecas, ex quibus constituitur. Sed

CXLVII. Contra 1°, per te totum nihil est extrinsecum partibus ab eis realiter distinctum; ergo causa intrinseca non potest esse causa per modum partis intrinsecæ, nisi respectu alicujus, partium aut unionis.

CXLVIII. Subsumo; sed materia non est pars intrinseca formæ, vel unionis, vel suiipsius, autè contra; nec præter ista tria quidquam in toto composito agnoscis; ergo per te debent causæ intrinsecæ aliter causare suum effectum, quàm per modum partis intrinsecæ.

CXLIX. Contra 2°, supponis falsum, videlicet, dari causam intrinsecam per modum partis intrinsecæ; nam vel illa deberet esse pars intrinseca totius realiter adæquatè, vel inadæquatè à se & altera parte ac unione distincti (quod non admittis, & suprà fusè contra Scotistas rejectum est;) vel suæ compartis, vel unionis, vel suiipsius, quod minus admittis; aliud tamen non suppetit, cujus sit pars intrinseca, ergo, &c.

CL. Respondebis 2°, ex P. Oviedo, causas intrinsecas causare componendo, & conceptum causæ intrinsecæ esse conceptum partis potentis componere. Sed

CLI. Contra 1°, per te etiam, totum nihil est extrinsecum partibus ab eis realiter distinctum; ergo causæ intrinsecæ non possunt causare componendo, nisi aliquam partem aut unionem componant.

CLII. Subsumo; sed materia v.g. nec seipsam, nec formam, nec unionem, & è contrà nec forma, &c. causat componendo per modum partis intrinsecæ; nec præter ista quidpiam in toto composito agnoscis; ergo per te causæ intrinsecæ, debent aliter causare suum effectum, quàm componendo per modum partis intrinsecæ.

CLIII. Contra 2°, etiam supponis falsum, videlicet dari causas intrinsecas per modum partis intrinsecæ, ut satis ante probatum est.

CLIV. Probatur 2°, omni effectui assignari debet causa proportionata adæquata; sed omnis effectus distinguitur realiter adæquatè à sua causa adæquata; ergo & totum compositum à materia, forma & unione, quæ sunt causa adæquata ipsius.

CLV. Respondebis cum P. Oviedo negando majorem; quia datur effectus causæ intrinsecæ; causa tamen intrinseca repugnat (inquies) cum causa totali & adæquata, quia de illius conceptu est componere; causa autem adæquata non componit, sed ponit, & sola pars connotando compartem componit. Sed

CLVI. Contra 1°, præterquam quòd P. Oviedus iterum supponat falsum, scilicet dari causam intrinsecam per modum partis intrinsecæ; tua ratio probat totum distingui realiter à suis partibus, & unione conjunctim sumptis; quod sic ostendo, causa intrinseca, sive pars, non componit seipsam, nec suam compartem, nec unionem, ergo totum realiter ab illis, &c. distinctum; quia alioqui nihil componeret per modum partis intrinsecæ.

CLVII. Nec dicas componere seipsam; quia (præterquam quòd sic pars esset compositum & totum, quod nullus admittit) componere, est esse partem intrinsecam secundùm te; pars verò non est pars intrinseca suiipsius, etiam collectivè sumptæ cum aliis; quia, cum omnes partes collectivè sumptæ ante animam sint ipsum totum & compositum, deberet necessariò esse pars intrinseca alicujus partis totius, quæ non est, ut toties diximus.

CLVIII. Contra 2°, si detur causa intrinseca inadæquata, quidni daretur causa intrinseca adæquata? & sicut partes & unio seorsim & distributivè sumptæ, sunt omnes causæ intrinsecæ inadæquatæ compositi secundùm te, quidni conjunctim & collectivè sumptæ, essent causa intrinseca adæquata compositi? si enim implicet causa adæquata, implicat inadæquata; sicut si implicet totum, implicat pars; quia causa adæquata & inadæquata sunt correlativa, sicut totum & pars.

CLIX. Objicies, positis partibus & unione inter illas, secluso quovis alio realiter distincto, intelligitur totum, sive compositum, ergo, &c. Probatur antecedens, quia cum componere nihil sit aliud, quàm partes simul ponere; esse compositum, nihil est aliud, quàm partes esse simul positas; atqui, positis partibus & unione inter illas, partes sunt simul positæ, ergo, &c.

CLX. Confirmatur, Compositum à partibus & unione distinguitur realiter adæquatè, vel inadæquatè? non adæquatè; quia sic non essent ejus partes, cum pars necessariò sit pars rei cujus est pars: non etiam inadæquatè; quia sic compositum aliquid includeret præter duas partes & unionem, cum quo faceret aliud totum, quod aliud includeret præter illud, partes & unionem, cum quo iterum faceret aliud totum, & sic in infinitum; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

CLXI. Respondeo distinguendo antecedens, positis, &c. intelligitur totum, sive compositum fundamentaliter, seu materialiter, prout ly *totum* significat entitatem realem totius esse subjectum denominationis totius formaliter sumpti, concedo antecedens; sed ut sic est actu tria, materia, forma & unio; potentiâ tantùm unum totum, & non actu unum totum formaliter, magis quam positis entitatibus Patris, generationis & filii est unus pater formaliter, sed potentiâ tantùm, de quo in Logicâ agentes de Relatione: formaliter & prout ly *totum formaliter* exprimitur nomine totius, ne-

go antecedens ; nam fundatur , ut sic, in conceptu colligente omnes partes , & unionem , sive potius repræsentante ista tria per modum unius ; alioqui deberet ista relatio totius ad illa tria posita, modo quodam omnino inintelligibili , ante intellectum resultare : deinde totum formaliter importat distinctionem rationis à suis partibus & unione , ut sunt ante animam seu intellectum , quæ sicut esse non potest nullâ animâ , seu intellectu, cogitante , ita nec totum formaliter , de quo clarius Resol. 3ª.

Ad Confirmationem

CLXII. Respondeo totum , sive compositum, à partibus & unione distingui realiter adæquatè extrinsecè, non secus ac relatio à quocumque fundamento & termino; quia sicut hæc in conceptu , ita hoc in conceptu dicto fundatur,quo præcisè posito exurgit, sicut identificabilitas, universalificabilitas, &c.posito præcisè conceptu universalificante : ad probationem verò in contrarium,Respondeo fore ejus partes extrinsecè essentiales , eo modo, quo fundamentum & terminus , sunt partes extrinsecè essentiales relationis ; nec possunt esse intrinsecæ; quia causa intrinseca repugnat , ut vidimus ; unde nullum totum formaliter constabit partibus intrinsecis ; imò nec totum fundamentaliter dici debet constare partibus fundamentalibus intrinsecè; quia illud est ipsæ partes, & non aliud,quæ sibi invicem non sunt intrinsecæ partes,ut vidimus; unde homo ut totum formaliter(& sic de aliis)est aliquid realiter distinctum à materia , anima rationali & unione;nec datur ut sic ante intellectum; secus fundamentaliter,& ut est materia, anima rationalis & unio , quomodo non est conflatum ex partibus intrinsecis ; imò neque aggregatum per accidens est ante vel post intellectum conflatum ex duabus partibus intrinsecis;non ante,quia ut sic nihil aliud est quàm cumulus lapidum v. g. quàm iste & iste lapis,&c. iste autem lapis , neque est pars intrinseca istius, neque sui ipsius: non etiam post, ut patet.

Resolutio III.

CLXIII. Dico 3º,totum formaliter est formalitas realiter & objectivè identificata rationi formali ipsam fundandi.(quæ est conceptus statim allatus) ab eaque solâ ratione formali distinctus ; hæc Resolutio sequitur ex præcedenti.

CLXIV. Probatur 1ª & 2ª Pars Resolutionis clarè ex dictis in Logica de Relatione,& distinctione objectiva: 3ª Pars verò probatur 1º ex refutatione aliarum sententiarum:2º,quia eodem modo se habet totum ad dictum conceptum, sicut se habet relatio ad suam rationem formalem fundandi ; quantitas in nostra sententia ad materiam ; potentiæ animæ ad animam(si ab illa realiter distinguantur;)sed illa ab illis solâ ratione formali distinguuntur , ergo, &c.minor patet , quia non nisi est alius conceptus formalis relationis,quantitatis & potentiarum;alius fundamenti & termini, materiæ & animæ, &c. ut ostendimus in Logica,de Relatione Dub.4º.Resolut. 3ª. ergo, &c.

CLXV. Confirmatur,partes & unio sunt tria ante intellectum,totum formaliter est unum; sed totum non est unum formaliter ante intellectum & animam, ut primâ Resolutione vidimus ; ergo post intellectum & animam , ac per consequens totum formaliter distinguitur realiter ab illis tribus , non secus ac ipse actus intellectus & animæ, ab illis tribus distinguatur. Ex his

CLXVI. Colliges 1º, hanc propositionem,*Materia, Forma & Vnio , sunt totum formaliter* , non magis esse veram,quàm sit hæc,*Petrus & Paulus sunt universale formaliter*; sed sicut hæc dumtaxat, *Petrus,Paulus,&c.confusè concepti per modum unius sunt universale formaliter*,est vera; ita hæc dumtaxat, *Materia , Forma,Vnio confusè conceptæ per modum unius collecti, sunt totum formaliter.* 2º, ante animam non dari concretum formaliter,ut v.g.album,unitum,&c. prout by album,unitum,&c.dicit esse aliquid unum formaliter distinctum à subjecto & forma ac unione , sed objectivè tantùm , prout est objectivè subjectum, forma & unio, & sic de aliis.

Dvbivm VII.

An Accidentia materialia subjectentur in toto composito.

Ante Resolutionem

CLXVII. Suppono, posse quidem accidens corporeum pendere à solo spiritu,& consequenter ens purè spirituale à materia , quia , uti in Logica Disp.de quantitate insinuavimus, corporeum est, quod extensum localiter habet multas partes ; spirituale verò , quod localiter extensum non habet multas partes: de quibus specialius in Tractatu de Angelis , ubi ostendemus, ubi Angelicum esse corporeum: nihilominus accidentia, quæ naturam sequuntur, sic ut definente formâ remaneant,videntur à sola materia pendere , sicut & quæ spiritum sequuntur,sic ut remotâ materiâ remaneant, à solo spiritu ; quia alioqui deberent de subjecto , saltem inadæquato naturaliter migrare, quod inconveniens est; quia si accidens migrare posset de subjecto inadæquato in aliud inadæquatum,esset indifferens ad esse in hoc vel illo subjecto inadæquato , & ipsi perinde esset habere hoc vel illud subjectum inadæquatum ; imò & habere hoc vel illud adæquatum , consequenter ; quod inconveniens est. Hoc autem supposito, sit

Resolutio.

CLXVIII. Dico,accidentia,quæ modo jam dicto materiam sequuntur, in sola materia immediatè,si potentia receptiva ei propria;vel mediante hâc potentiâ,si accidentia communia & non propria, recipiuntur, & non in toto composito.Ita Averroës lib.de subst.Orbis;Simplic.1º.Phys.Textu 69. Philop. lib. 1º. de generat. Ammonius de præd. quantitatis,Gregor. in 2um. Dist. 12. q. 2. art. 1º. noster Bacho in 2um. Dist.18. art. 4º.Marsil. Aureolus, Venetus , Ægidius, Nymphus, Suarez & alii è Societate post Scotistas communius: contra Durandum, Flandriam , Capreolum , Hervæum , Cajetan. de ente & essentia cap. 7º. q. 16. Ferraram 4º. contra gentes cap. 81. Iavellum,Soncin. Soto, Bannez , Fonsecam , nostros Complut. Ioan. à Sancto Thoma,& alios Thomistas Recentiores. Hæc conclusio mihi evidens est , supposito quòd accidentia naturaliter non migrent de subjecto adæquato , vel inadæquato , in aliud tale subjectum : sed de his iterum aliquid in libris de generatione , ubi quæremus , an in generatione fiat

fiat Resolutio usque ad materiam primam.

CLXIX. Confirmatur tamen hæc Resolutio, quia talia accidentia sunt præviæ ad formã dispositiones; ergo in forma non recipiuntur, sed in materia, &c.

CLXX. Dices, accidentia communia, sive non propria non disponunt potentiam materiæ receptivam, sed materiam ad recipiendam formam substantialem; atqui dispositiones immediatè recipiuntur in eo, quod disponunt, ergo, &c.

CLXXI. Respondeo negando majorem ob dicta supra Disputat. 2ª de materia prima Dubio 7º, sicut enim ignis mediante calore ut instrumento accidentia communia, & non propria producit, ita materia prima mediante potentiâ receptivâ ut instrumento, accidentia communia & non propria recipit.

TRACTATVS II.

In Librum Secundum

PHYSICORVM.

LIBER hic tres partes continet: 1ª nil momenti: 2ª de Natura & arte agit: 3ª de Causis.

DISPVTATIO PRIMA

De Natura & Arte.

DVBIVM I.

Quid secundùm Aristotelem natura & ars, & in quo inter se differant & conveniant.

I. SVppono nomen naturæ variè accipi: 1º, pro uniuscujusque rei essentia, quomodo dicitur definitio explicare naturam rei: 2º, pro essentia substantiali ut constincta à sua subsistentia, quomodo dicitur una natura Divina, tres subsistentiæ. 3º, pro Deo, qui dicitur natura naturans, quomodo mundus dicitur opus naturæ. 4º, pro collectione omnium causarum creatarum, quæ dicitur natura naturata, & illud miraculosum, sive supra vires naturæ, quod est supra illam. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO I.

II. DIco 1º, natura definitur ab Aristotele hîc, *Principium & causa motus & quietis ejus, in quo, primò & per se, & non per accidens inest.*

III. Dicitur 1º, *Principium & causa*, ubi ly *Principium*, utpote contentum in causa, superfluit, nisi, velis addi majoris explicationis gratiâ: per ly *causa* exclude unionem, quæ dumtaxat est causalitas; item privationem, quæ propriè non influit in esse, cum nihil sit: sed per causam ex mente Philosophi intellige Solam passivam, cum Scotistis communius, Fabro Theorem. 33. c. 1. Fuentez hîc q. 2. Sghemma disgres. 8. Poncio hîc Disput. 36. q. 2ª. ubi ait *id tam clarè asseri à Scoto* in 2. Dist. 2. q. 10. n. 9. *ut mirum sit ab ullo Scotista, de ejus mente dubitari posse.* quidquid dixerint Vasques & Vallesius intelligi activam tantùm; & Conimbricenses, Rubius, Hurtadus, Aversa, Arriaga, Oviedus, Telles, Murcia, &c. utramque activam & passivam, quorum præcipua ratio est, quòd Aristoteles abstrahat à causa in particulari, in ratione causæ verò univocè conveniant causa activa & passiva: verùm supponunt falsum; quia mens Aristotelis est assignare causam motus naturalis, prout opponitur violento, & non prout opponitur supernaturali, quæ cum esse non possit activa, quia agens naturale in agendo naturaliter non violentatur; (siquidem violentia est ab extrinseco; omnis autem actio agentis naturalis naturaliter agentis ab intrinseco & ex propensione naturæ; licèt possit in non agendo violentari, ut, si positis omnibus ad agendum requisitis, Deus ipsius actionem impediat, vel si per improductionem caloris impediatur aqua, quo minùs frigus in se producat) solùm passiva intelligi potest; quia oppositio sit per ordinem ad idem: plura videbis Resolut. 4ª.

IV. Dicitur 2º, *motus & quietis*, id est, primæ productionis & conservationis; *ejus in quo primò & per se*, id est, essentialiter; *& non per accidens*, id est, & nõ accidẽtaliter; *inest*, ut excludas Principia, quorũ motus nõ sunt in eo, quod principiant essentialiter.

RESOLVTIO II.

V. DIco 2º, Ars rectè definitur ex Aristotele Ethicorum 6º, *certa ratio factibilium*, id est, actus dictans aliquod opus faciendum, sive internum, sive externum; sed communius sumitur pro ipsa operatione externa relinquente opus externum post se, aut saltem pro habitu intellectuali dictante, quomodo talis operatio fieri debeat.

RESOLVTIO III.

VI. DIco 3º, natura & ars in eo maximè differunt, quòd natura sit principium substantiale ejus, in quo est; ars verò, non nisi accidentale; ac proinde illa substantia est, hæc accidens: deinde etiam in eo, quòd motus non sit ab arte quoad substantiam, prout est à natura; sed quoad modum, videlicet directionem; unde ars non potest operari sinè natura & ratione: bene autem natura, sinè arte & ratione.

RESOLVTIO IV.

VII. DIco 4º, natura & ars in eo maximè conveniunt, 1º quòd sicut natura operatur ex præjacente materia prima, unde natura dicitur

generare; ita ars operatur ex præjacente materia secunda, unde ars dicitur ornare: 2°, sicut natura producit effectum secundùm virtutem propriam; ita ars dirigit effectum secundùm regulas proprias: 3°, sicut natura ab imperfectioribus ad perfectiora sensim procedit; ita & ars. Ex his

VIII. Petes, quid motus naturalis prout opponitur violento, & è contra.

IX. Respondeo motum naturalem esse illum, qui est juxta inclinationem ipsius mobilis; violentum verò, qui fit resistente mobili, sive contra ejus inclinationem: unde dic, contra Patrem Oviedum hîc, ad motum naturalem non requiri, ut proveniat activè & passivè à natura, id est, ab aliqua parte mobilis, nam motu naturali ignis sursum, & lapis deorsum projicitur; sed sufficere, quòd sit juxta inclinationem Principii passivi seu mobilis; sive ab eo, quod est essentialiter in mobili, activè proveniat, sive ab alio; imò sive mobile sit activum, sive non; alioqui nec aqua ad frigus ab aëre, nec ignis ad calorem à sole, moveretur motu naturali, quod haud sinè absurdo negabitur. Hinc

X. Colliges frigefactionem ignis ab aqua circumstante, & calefactionem aquæ ab igne circumjacente esse quidem Principio activo & moventi naturalem, prout naturale opponitur supernaturali & libero, non tamen prout opponitur violento (de quo hîc;) quia sicut violentum sumitur per ordinem ad passum sive mobile (nam, ut dictum est Resolut. 1ª, agens naturale in agendo naturaliter non violentatur) ita & naturale prout opponitur violento, sumitur per ordinem ad passum sive mobile: unde Aristoteles hîc dicit *moventia non mota non esse considerationis Physicæ*, sive Principia naturalia: quòd verò tunc aqua diceretur pati violentiam; si impediretur ejus frigefactio, & ignis etiam, si ejus calefactio, intelligi debet de violentia latè sumpta, quæ est contra exigentiam naturalem; sicut enim non omne id, quod est secundùm exigentiam naturalem moventis, sive Principii activi, est naturale, ut ly naturale opponitur violento, nam movere se sursum est secundùm exigentiam hominis, violentum tamen; item movere lapidem sursum, est secundùm exigentiam hominis, nec homini tamen, nec lapidi est naturale; non homini, quia motus non est in homine; non etiam lapidi, quia contra ejus inclinationem; igitur nec ulli violentus est, nec ulli naturalis ut opponitur violento, sed potius neuter: ita nec omne, quod est contra exigentiam naturalem Principii activi, est violentum strictè: sed illud solùm est naturale, ut opponitur violento, quod est secundùm exigentiam naturalem Principii passivi; & violentum strictè, quod est contra, &c. ut dictum est.

DVBIVM II.

Quibus entibus conveniat definitio naturæ.

RESOLUTIO I.

XI. DIco 1°, materia, forma substantialis, & subsistentia, sunt natura, secundùm quod natura supra describitur ab Aristotele.

XII. Probatur 1ª & 2ª Pars ex eodem libro 2. Physic. Textu 4°: *Natura aut est subjectum, vel est in subjecto.* & textu 10. *Natura sic dicitur, primo, cuique subjecto materiæ eorum, quæ motus in se, mutationisque Principium habent; alio verò modo ipsa forma & species.*

XIII. Probatur 2° ratione, pro materia, forma & subsistentia (de hac enim nulla, quod sciam, authoritas;) materia forma & subsistentia sunt Principium passivum motus ejus, in quo sunt essentialiter, sive per se primò; sed natura est tale Principium, ergo, &c. Probatur major, quia materia & subsistentia sunt Principium *quod* & radicale passivum, & forma Principium *quo* passivum motus naturalis ejus, in quo sunt essentialiter; sed ly *Principium* in dicta definitione accipi debet de passivo, ut constat ex Resolutione 1ª Dubii primi; ergo, &c. major assumpti patet pro 1ª & 3ª parte, quia æque sunt subjectum denominationis motus naturalis (ut fatentur omnes) nec una magis quàm alia: probatur pro 2ª parte, quia præterquam quòd forma etiam sit partiale subjectum denominationis, est ratio, propter quam motus dicitur esse secundùm, vel contra, inclinationem compositi, sive mobilis; nam ipsa est, quæ exigit talem vel talem motum recipi, aut non recipi in composito sive mobili; unde meritò dicitur Principium passivum *quo* denominationis motus naturalis ejus, in quo est, ergo, &c. Hinc

XIV. Colliges, quòd quando diximus supra Dub. 1°. Resolutione 1ª ly *Principium* & *causa* in definitione naturæ posita, intelligi de passivo, subaudiendum de passivo denominationis, & non receptionis; alioqui (præterquam quòd nihil sit naturale materiæ prout naturale opponitur violento, de quo hîc, sicut ipsi nihil est violentum positivè) sola materia in sententia adstruente accidentia materialia & motus materiales (de quibus Aristoteles) recipi in materia, & solum compositum in sententia adstruente accidentia recipi in solo composito, esset natura, contra Aristotelem supra n. 12. unde licèt excludamus Principium activum ut activum à ratione naturæ, non tamen illud excludimus ut passivum denominationis, quod non satis considerârunt varii Recentiores, ut PP. Arriaga, Oviedus, Telles, &c.

XV. Objicies: Aristoteles non numeravit subsistentiam inter naturas, ergo non est natura: probatur consequentia, quia si subsistentia esset natura partialis, jam non distingueretur realiter à natura completa, nihil esset illi realiter superadditum, &c. sed hoc est hæreticum, ergo, &c.

XVI. Respondeo concedendo antecedens: nec mirum quòd Aristoteles subsistentiam inter naturas non numerârit; quia, ex ignorantia fidei, eam non agnovit; ipsius tamen naturæ definitio illi convenit, ut vidimus, & maximè, quod dicit 5°. Metaph. cap. 4°. *Natura est, ex quo primo inexistente generatur, quod gignitur*; quid enim prius ipsâ in genito existit si dicatur basis? deinde ly *primo* id est essentialiter, numquid essentialiter existit in persona, quæ gignitur? distinguo tamen consequens, ergo non est natura prout ab Aristotele, Ethnicis, & aliis post ipsos, ly *natura* accipitur pro materia vel forma, concedo consequentiam; prout à Christianis & Catholicis accipi debet pro omni, cui etiam per fidem dumtaxat à nobis cognito, convenit dicta definitio, nego consequentiam: Ad probationem consequentiæ, etiam distinguo, si subsistentia

stentia esset natura partialis, non distingueretur à natura completa, accipiendo illam præcisè secundùm mentem Aristotelis, & Ethnicorum Philosophorum pro composito ex materia & forma præcisè, quo sensu accipiunt Concilia & Patres naturam completam, cum volunt subsistentiam esse ab illa realiter distinctam, aliquid realiter illi sub vel superaddere, &c. nego; accipiendo illam pro composito ex omni formalitate etiam per fidem cognitâ, cui convenit allata ab Aristotele naturæ definitio, concedo; verùm juxta hunc sensum intelligi non debent Concilia & Patres; sed juxta primum: unde dici debet subsistentiam distingui realiter à natura secundùm se, id est, à composito ex materia & forma præcisè, sive à natura, quæ subsistit & personatur; non verò à natura personante, sive quæ dat subsistere, vel, quod in idem recidit, à natura personata seu subsistente formaliter, & hoc modo explicabis Concilia & Patres.

Resolutio II.

xvii. Dico 2°: Compositum ex materia, forma & subsistentia, sive totum ex illis conflatum, est etiam natura, secundùm quod natura ab Aristotele supra describitur. Est contra PP. Hurtadum, Arriagam, &c.

xviii. Probatur; materia, forma, & subsistentia sunt natura, quia sunt subjectum denominationis motus naturalis, qui est in toto, in quo sunt tamquam partes essentialiter constituentes; ergo à fortiori totum; quia illa sunt tantùm subjecta *quo* denominationis, vel saltem *quod* partialia, totum verò totale *quod*; actiones autem & passiones sunt maximè totius suppositi, ergo, &c.

xix. Confirmatur, id videtur clarè colligi ex Aristotele 1° Physic. cap. 1°. *Natura quidem sunt animalia, partesque ipsorum, &c.* quod repetit libro 5° Metaph. cap. 4°. *Natura igitur, quod ex ambobus his est, ut animalia & partes eorum.* Et hæc confirmari possunt ex 2° Physicorum Textu 12°, *Compositum natura quidem non est* (puta partialis de qua continuò agit) *sed est* (puta natura totalis) *& constat naturâ* (puta partiali) ergo, &c.

xx. Nec dicas cum P. Poncio Physicæ Disput. 7°, compositum completum, de quo in Resolutione, non inesse alicui, cui sit Principium motus & quietis, quod est de definitione naturæ. Ne id dicas, inquam, quia totum quidem non est in partibus in quibus est motus, formaliter & tamquam Principium illarum; est tamen in illis fundamentaliter, objectivè, & tamquam principiatum: cum verò Aristoteles velit totum & partes esse naturam, ut constat ex locis citatis, ex mente ipsius, sub ly *in quo* subaudiendum vel formaliter & tamquam Principium, si de partiali natura agatur; vel fundamentaliter, objectivè & tamquam principiatum, si de totali & completa. Hinc

xxi. Petes an corpus completum simplex (si detur) etiam sit natura? an etiam Angeli? Negare Aristoteles videtur, quia ex communi consensu, agit de motu corporeo, ejus, in quo est Principium talis motus; corpus verò simplex, Angeli, &c. neque sumpti objectivè & fundamentaliter, sunt in eo quod movetur, neque sumpti formaliter; benè autem anima rationalis, etiam separata à corpore, explicando particulam *in quo est*, per aptitudinem: dic tamen omnia ista esse naturas, sumptâ naturâ, prout est Principium motus naturalis, quà naturale opponitur supernaturali.

Dvbivm III.

Quid natura stando in Principiis fidei docentis Verbum naturam humanam assumpsisse, non subsistentiam.

xxii. Hic supponimus, Disputationis gratiâ, subsistentiam esse positivam, alioqui si negativa sit, satis patet naturam non esse aliter definiendam, quàm Aristoteles eam definierit. Hoc supposito, sit

Resolutio.

xxiii. Dico, natura est id, quod *ut quod* in eo ordine, in quo reponitur, est 1° affectum formâ, quæ dat esse subsistens. Vide Logicam Disp. de substantia, ubi probatum est hanc definitionem soli materiæ & formæ convenire, quæ solæ, juxta Principia fidei & Aristotelem, sunt naturæ, ergo, &c.

Dvbivm IV.

An ars possit moliri aliquod opus naturæ, id est, totum, quod vel sit, vel in se habeat Principium motus & quietis naturalis.

Resolutio.

xxiv. Dico, Ars per se immediatè nullum totum, quod sit, vel in se habeat Principium motus & quietis naturalis producere naturaliter potest; mediatè verò, applicando activa passivis, mira producere potest.

xxv. Probatur prima Pars, quia ars ex dictis est habitus, vel actus intellectus dictans opus externum faciendum; sed talis actus non habet vim effectivam, utpote improportionatus nimiùm, ad dictum totum, ergo, &c.

xxvi. Probatur secunda Pars, quia in herbis, lapidibus & similibus corporibus naturalibus latent virtutes talium entium totalium productivæ, quas vel ope dæmonum, vel longo experimento homines deprehendere possunt, & per earum debitam combinationem & applicationem (quam eâdem ope vel experimento edoceri poterunt) dicta entia totalia producere, ergo, &c.

xxvii. Confirmatur, experientia docet ex ovis sub axilla, vel in furno, calefactis, pullos; ex cadavere bovino, apes; ex herba Basiliseo, Scorpiones, educi: item, sapientes Ægyptios Serpentes fecisse legitur Exodi 7°. & Regionem Montanum aquilam ligneam misisse obviam Carolo 5°. Norembergam adventanti, & cum eo revolâsse ad portas civitatis; imò & ejusdem civitatis civem aviculam ferream fecisse, quæ ad singulos convivas volaret susurratum, & rediret pro illius arbitrio, narrant historiæ, ergo, &c.

xxviii. Adde tamen non facilè credendum Paracelso vel Fieno, aliquos scilicet applicando activa passivis renatos, & hominem minutim consciscum, & in vase cum nonnullis activis bene dispositum, ad vitam revocari posse; hæc enim sunt fraudes dæmonis, ut nunc experitur Marchio Villena Hispanus, qui id experiri voluit. Sed

xxix. Petes, an per artē Chymicam sive purgan-

di & secernendi metalla, possit produci verum aurum.

xxx. Respondeo posse quidem applicando activa passivis, ut ante dictum est, verisimiliùs tamen hucusque non productum, quidquid Delrio inquisit. Magicarum lib. 1°. cap. 5°. & alii plurimi, testentur Raymundum & alios verum aurum produxisse.

xxxi. Ratio primæ partis Resolutionis est, quòd ex præmissis res longè perfectiores possint ita arte produci; sed maximè, cum dæmon materiam ex qua, virtutem solis & aliorum agentium naturalium ad productionem auri concurrentium penetret, non est cur auxilio ipsius Alchymista aliquis non possit agentia varia sufficientis istiusmodi virtutis & activitatis, ita attemperare, & materiæ ex qua aurum fit, applicare, ut ex ea forma auri educatur.

xxxii. Ratio secundæ partis Resolutionis est; quia imprimis auxilium dæmonis, quod ad aurum conficiendum videtur in initio intervenire debuisse, est omnino fallax; quòd autem intervenire debuerit videtur moraliter certum, ob occultam nimium concurrentium agentium (præsertim cœlestium) naturam, & influxus ipsorum quantitatem, ut patet ex eo, quòd in materia auri alchymistæ necdum conveniant; aliqui enim scoriam ferri, arsenicum, putamina ovorum, capillos humanum sanguinem, &c. requirunt: alii, quod verisimilius est, sulphur, argentum vivum, varia metalla & particulas aliquas finceri auri calore fornacis resolvunt, & in tertium (quod vocant aurum) commiscent: 2° quia aurum hucusque confectum ignem non sustinet, colorem facilè amittit, in bracteolas tenuissimas facilè non ducitur, uti genuinum, ut testatur P. Telles Physicæ Disputat. 25. 3°, quia nullus est, cui credi debeat, qui vel confecerit, vel experiatur factum ab Alchymista verum aurum, cum ab Ecclesia in extravaganti *spondent*, usus talis artis prohibeatur, & obligentur illud vendentes ad restitutionem, ad quam obligari non possent vendentes, casu quo verum aurum confecissent; quia nemini per se injuriam facerent, licèt ab Ecclesia prohiberi possent, ne venderent, ob injurias quas facere possent illi, qui se verum aurum fecisse præsumerent, & non fecissent, ergo, &c.

Confirmatur utraque pars ex D. Thoma 2.2.q. 77. art. 2°. ad 1um, ubi utramque insinuat.

DISPVTATIO SECVNDA

De Causa in Genere.

DVBIVM I.

Quid sit Causa in Genere.

ANte Resolutionem

1. Suppono 1°, Patres Græcos valde frequenter, & promiscuè, uti nomine *causæ* in Divinis, juxta illud D. Thomæ 1. p. q. 33. art. 1°. ad 1um. *Dicendum quòd Græci utuntur in Divinis indifferenter nomine causæ, sicut & nomine Principii. Sed Latini Doctores non utuntur nomine causæ; sed solùm nomine Principii*; Latinos verò nomen illud in Divinis exosum habere, eo quòd nomen *causæ* accipiant pro Principio communicante esse limitatum, ut constat 1°, ex Bassarione Patriarcha Constantinopolitano citato in Florentino Sessione 12ª. cap. ultimo, ubi se excusat, quòd inter Græcos nominibus *causæ* & *causati* in Divinis usus sit; quia illis usus est, ait, *non ut limitationem important:* 2° ex Anselmo Epistola de Processione Spiritus Sancti contra Græcos, ubi insinuant Spiritum Sanctum non esse effectum alicujus, quia numquam incœpit esse: 3° ex S. Thoma Opusc. 1°. cap. 1°. ubi ait, *Si filius dicatur causam habere, posset intelligi, quòd sub universitate creaturarum comprehenderetur.* Et 1. p. q. 33. art. 1°. ad 1um. *In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam, & id cujus est causa secundùm aliquam* (nota limitationem) *perfectionem, aut virtutem.*

11. Suppono 2°, causam in genere rectè dividi in illam, quæ sit Principium communicans esse illimitatum, quam voco causam in Divinis; & in illam, quæ sit Principium communicans esse limitatum, quam voco causam in creatis: Ratio est, quòd Sancti Patres præfati solam causam juxta secundam definitionem exosam habent, & ut sic causam excludant à Divinis, ut vidimus; nec ipsi, aut ulli alii, negare possunt Patrem esse causam filii juxta primam definitionem; quia quamcumque definitionem Principii Filii attulerint, cum illa coincidet: denique quia sic clarè salvatur nomen causæ in Divinis juxta Patres Græcos, & clarè excluditur cum Patribus Latinis juxta acceptionem ipsorum, quorum utrumque à Catholicis videtur fieri debere: eodem modo divides effectum in genere, videlicet in accipientem esse illimitatum, quem voco effectum in Divinis; & in accipientem esse limitatum, quem voco effectum in creatis, & juxta hanc acceptionem in Symbolo de Verbo dicitur, *genitum non factum*, quam etiam acceptionem sequuntur omnes Patres Latini negãtes effectũ in increatis. His suppositis, sit

Resolutio.

111. DIco: causa in genere in rigore Philosophico *est Principium communicans esse rei.*

IV. Probatur, quia hæc definitio convenit omni causæ, ut constat ex supposito 2°, & excludit omne, quod non est causa; ac inprimis conditiones; quia licèt præsupponantur, ut esse communicetur, non tamen esse communicant, ut fatentur omnes: deinde privationem (saltem à causa reali in genere) quæ esse non communicat, cum esse non habeat; unde ad corpus naturale in fieri non concurrit, nisi quatenus hoc partim componitur ex non esse. Dixi saltem à causa reali; quia non videtur posse excludi à causa intentionali: denique Principium in genere, quia ut tale non communicat esse, ut constat ex ejus speciebus, & puncto, quod est Principium lineæ; instanti, quod est Principium horæ, &c.

V. Objicies cum modernis Philosophis & Theologis: hæc definitio nimium lata est, ergo &c. Probatur antecedens, quia juxta illam, Pater respectu filii, & Pater & Filius respectu Spiritus Sancti essent propriè dicta causa, à quo abhorrent omnes Patres Latini, ergo, &c.

Respondeo

VI. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo assumptum; quia juxta illam Pater respectu filii, & Pater & Filius respectu Spiritus Sancti essent causa propriè dicta, secundùm definitionem causæ in genere allatam, & ab eo abhorrent Patres Latini, nego assumptum; quia id ultro fateri debent; nec id Personis Divinis minùs convenit, quàm esse substantiam secundùm definitionem substantiæ in genere: secundùm definitionem causæ in specie, quæ definitur principium communicans esse limitatum, & ab eo abhorrent omnes Patres Latini, concedo assumptum; verùm hanc non facimus causam in genere, & causis Divinis communem, magis quàm substantiam limitatam faciamus substantiam in genere, & Divinis substantiis communem, ut patet ex definitione causæ allata.

VII. Instabis, vel Sancti Patres Latini malè reprehenderunt PP. Græcos, quòd causam in Divinis agnoscerent, vel bene? sed 1um nullus dixerit, ergo 2um dici debet; ac proinde illa ipsa tua causæ definitio, quæ causam in Divinis intrudit, reprehendi debet, & à SS. Patribus Latinis reprehenditur.

VIII. Respondeo Sanctos Patres Latinos bene reprehendisse Græcos, stando in vulgari acceptione nominis causæ à Latinis, scilicet pro principio communicante esse limitatum; sic tamen ut stando in rigore Philosophico, quem rigorem videntur secuti Græci, & nos etiam hic sequimur, eos non reprehenderint; quia ab eo abstraxerunt.

IX. Adde tamen Hilarium lib. 9°. de Trin. dicere filium ex Patre causam sumere: item Augustinum libro 83°. quæst. q. 16ª. dicere Deum esse causam suæ sapientiæ: & Aristotelem 12° Metaph. cap. 2°. nomen causæ tam latè sumere, ut vocet privationem causam.

X. Vrgebis: in litteris sacræ unionis, *Dicitur filius secundùm Græcos esse causa Spiritus Sancti, secundùm Latinos principium, &c.* ergo, &c.

XI. Respondeo per ly *principium* ibi solùm excludi causam, quæ, vel est limitata, vel communicat esse limitatum & imperfectum; non verò causam in genere à nobis definitam: quia tamen convenit sequi Patres Latinos, uti alii omnes, sequuntur, extra Disputationem de causa, nomine *causæ* in Divinis non utaris sinè addito, *In quantum causa est principium communicans esse rei*, quo sensu PP. Latini non negant causam in Divinis, sed illam dumtaxat, quæ est principium communicans esse rei limitatum, quam juxta vulgarem Latinorum acceptionem, per nomen *causæ* simpliciter pronuntiatum, semper intelligunt.

XII. Objicies 2°, ex P. Thoma Comptono Disp. 18. Physic. Sect. 1ª. S. Thomas 1ª. parte quæst. 33. art. 1°. ad 1um docet propterea apud Latinos Patres non esse admissum nomen *causæ* ad intra in Trinitate, quia causa importat diversitatem *substantiæ* & dependentiam; & P. Vasquez 1ª. p. Disp. 131ª. ostendit ex communi sensu Patrum ly *aliud* neutraliter prolatum significare diversitatem in natura; unde Concilium Ephesinum, Toletanum & Lateranense cap. *Damnamus* admittunt in Trinitate *alium & alium*, non tamen *aliud & aliud*, ergo, &c.

XIII. Respondeo inde tantùm sequi nomen causæ in specie, & quà importat diversitatem *substantiæ, esse*, &c. Item quæ est principium communicans esse limitatum, dependens, cum limitatione, &c, apud Latinos Patres non esse admissum. Quod omnino hîc concedimus, & solùm contendimus nomen causæ posse generalius accipi, nempe prout causa communis est ad causam, hoc sensu à Latinis acceptam, & alio sensu à Patribus Græcis acceptam; quomodo hîc, cum de causa in genere in rigore Philosophico agamus, omnino à nobis accipienda videtur, modò alibi rigorem hunc ad sensum PP. Latinorum mitigemus. Vnde

XIV. Colliges definitiones causæ in genere, ut Connimbricensium, *Causa est id à quo aliquid per se dependet*; Hurtadi, *est principium per se influens in aliud*: Arriagæ, *Causa est quæ per se influit producendo essentiam*, & nonnullorum aliorum Recentiorum, *Principium cum prioritate naturæ in aliud influens*: Oviedi, *Principium influens per influxum formaliter ex se defectibilem*: Poncii, *quod influit esse in aliud, quod ex natura sua posset non esse, atque adeo dependet cum imperfectione quod sibi communicat suum esse*: non esse in rigore Philosophico satìs latè patentes, si aliquam includant particulam, quæ ita explicetur, ut, vel ipsa causa, vel ipse effectus dicat imperfectionem vel limitationem, uti omnes isti communiter explicant; sed ut summùm esse definitiones causæ in specie, aut causæ in genere, mitigato rigore acceptionis causæ in genere ad sensum PP. Latinorum.

XV. Adde tamen 1°, per ly *dependet*, non rectè à Connimbricensibus excludi causam in Divinis, quia est indifferens & commune ad dependere dependentiâ necessariæ conjunctionis, ita ut unum non possit esse sinè alio, quæ reperitur in Divinis (ut docet post Ruizium, Alarcon Tract. 5°. de Trinit. Disp. 3ª. cap. 2°.) & ad dependere dependentiâ involvente imperfectionem, quæ sola reperitur in creatis: 2° per ly *aliud* in aliis definitionibus, vel intelligitur essentia ut condistincta à subsistentia? & hoc non, quia sic natura creata non esset causa subsistentiæ termini, quod est absurdum: vel quælibet essentia etiam subsistentiæ, & sic contra suos authores in Divinis Pater est causa filii, Pater & filius Spiritus Sancti; deinde ly *aliud* videtur significare aliquid realiter distinctum, non quidem substantiale, quia albedo & albedo tam sunt *aliud & aliud*, quàm Petrus & Petrus, sed quodcumque; unde iterum contra suos Authores Pater in Divinis erit causa filii. 3°, de ly *essentia* in definitione Arriagæ, idem inquire. 4°, si ly *aliud, essentia*, &c. importet causam esse realiter à suo effectu distinctam, nequidem in creatis idem poterit esse causa suiipsius contra dicenda infra; quòd autem PP. & Concilia numer. 12. citata, videantur negare *aliud & aliud* in Divinis, admittere autem *aliam & aliam personam, relationem*, &c. non ideo est, quia ly *aliud & aliud* dicunt duas naturas realiter distinctas; sed quia ly *aliud* simpliciter pronuntiatum, dicit in recto rem habentem alieitatem, quæ in Divinis est natura sumptâ alieitate pro relatione, quæ rectè alia dicitur, sic ut rectè non dicatur alia natura: ly verò *alia persona* dicit in recto ipsam personalitatem; unde juxta dicta Concilia & Patres verum est *in Divinis alia personalitas Patris, alia personalitas filii*; falsum verò, *aliud & aliud simpliciter est in Divinis*, sicuti falsum est, *alia natura Patris in Divinis, alia natura filii*, &c.

DVBIVM

DVBIVM II.

Qualis sit divisio causæ in materialem, formalem, efficientem, & finalem.

ANte Resolutionem

xvi. Suppono, causam variè aliter dividi immediatè & adæquatè; ut

xvii. 1°, in primam & secundam: prima est increata, quæ prima dicitur respectu omnium creaturarum, à quibus in causando non pendet; secunda est creata, quæ secunda dicitur respectu increatæ, à qua in causando pendet.

xviii. 2°, in remotam sive mediatam, & proximam sive immediatam: remota est, *Quæ mediante aliâ causat effectum*; proxima, *Quæ per se nullâ aliâ mediante causat effectum*; sic essentia est causa proxima suæ proprietatis, avus remota respectu nepotis.

xix. 3°, in causam per se, & causam per accidens: causa per se est, *Quæ ex natura sua ordinatur ad effectum producendum*, ut ignis respectu caloris: causa per accidens est, *Cui quidem attribuitur effectus, sed ex natura sua non ordinatur ad effectum istum*, ut fossio respectu thesauri inventi.

xx. 4°, in Physicam, & moralem: Physica est, *à qua realiter & Physicè pendet effectus*; ut pater respectu filii: moralis *à qua non nisi secundùm prudens hominum judicium pendet effectus*, ut judex respectu gehennæ.

xxi. 5°, in univocam & æquivocam: univoca est, *Quæ producit effectum ejusdem secum rationis*, ut ignis respectu ignis; æquivoca, *quæ diversæ*, ut ignis respectu caloris.

xxii. 6°, in totalem sive adæquatam, & partialem sive inadæquatam: totalis alia totalitate causæ, & est, *à qua per actionem totalem dependet effectus*, ut ignis respectu caloris; alia totalitate effectus, & est, *a qua dependet totus effectus*, ut intellectus respectu intellectionis, quæ tota quidem ab intellectu pendet, sed simul etiam ab anima, vel specie, vel habitu: partialis similiter alia partialitate causæ, & est, *Quæ per partialem actionem producit effectum*, ut intellectus respectu intellectionis, &c. alia partialitate effectus, & est, *à qua pro parte tantùm pendet effectus*, ut latomus respectu domus: adde tamen illam causam, quæ est totalis totalitate causæ, simpliciter dici totalem; & quæ partialis partialitate causæ, simpliciter dici partialem.

xxiii. 7°, in subordinatam, & est, *Quæ ab ulteriori causa in agendo pendet*, ut causa creata respectu increatæ, habitus respectu potentiæ; & non subordinatam, & est, *Quæ ita non pendet*, ut increata, & principalis creata in suo ordine respectu creatarum & instrumentalium.

xxiv. De causa principali & instrumentali commodius infra.

xxv. Suppono 2°, causam materialem esse principium communicans esse rei sustentando; formalem informando; efficientem agendo realiter; finalem movendo & excitando intentionaliter. De quibus plura infra. His suppositis, sit

Resolutio I.

xxvi. DIco 1°, dicta divisio non est immediata, ut constat ex aliis præmissis divisionibus.

Resolutio II.

xxvii. DIco 2°, dicta divisio non est in species infimas; nam efficiens dividi potest ulterius in primam & secundam; principalem & instrumentalem: item formalis in formalem spiritualem & materialem; substantialem & accidentalem, & sic de aliis.

Resolutio III.

xxviii. DIco 3°, dicta divisio est univoca; nam omnes habent idem nomen, & eadē ratio causæ est eis accommodata, quidquid dixerit P. Arriaga: quòd verò ab Aristotele 1° de generatione causa finalis dicatur *causa metaphorica*, non urget; quia Aristoteles ibi comparat finalem cum efficiente, qualis tantùm est metaphoricè: nec magis urget ratio Arriagæ, quòd per causam simpliciter illam intelligamus, quæ realiter Physicè influit in effectum; quia præterquam quòd id sit solùm verum de causa efficiente, id omnino gratis dicitur, ut patebit consideranti definitionem causæ in genere, à nobis Dub. 10. allatam, quæ æque convenit causæ intentionali, quæ influit mediâ intentione, sive propositione objecti, ac Physicæ.

Resolutio IV.

xxix. DIco 4°, dicta divisio est hoc sensu adæquata, quòd nulla causa sit assignabilis, quæ ad unam ex illis non revocetur, & confirmari potest ex interrogationibus fieri solitis de effectu, *ex quo sit?* & significatur causa materialis; *per quid sit?* & significatur causa formalis; *à quo sit?* & significatur causa efficiens; *propter quid sit?* & significatur causa finalis: unde si quandoque Augustinus, aut alii, dicant, unicam esse causam, causam anthonomasticè pro efficiente sumunt.

xxx. Nec dicas causam objectivam & exemplarem, dispositivam & instrumentalem ad nullam ex illis revocari: quia inprimis objectiva, si sumatur prout est objectum specificans actum, reducitur ad formalem, eò quòd ab omni alio actum distinguat, non secus ac forma compositum: si verò prout movet ad sui appetitionem, ad finalem: & denique, si prout objectivè ad actum concurrit, mediâ specie impressâ, quam producit, ad efficientem: 2° causa exemplaris, si formalis, id est, cognitio practica dirigens artificem ad opus faciendum, reducitur ad efficientem; tum quia se habet velut ars dirigens, quæ juxta Aristotelem ad efficientem reducitur; tum quia est complementum causæ efficientis, cum illam in operando dirigat, & complementum causæ pertineat ad idem genus causæ: si verò objectiva; sive interna, id est, objectum ut in repræsentatione artificis existens; sive externa, id est, objectum ut à parte rei extra animam existens, ut imago chartacea, quam depingit pictor; reducitur ad formalem, uti patet ex causa objectiva supra; causa enim exemplaris objectiva est ratio, cur artifex producat effectum talis vel talis speciei: 3° dispositiva & instrumentalis reducitur ad genus causæ, cujus causalitatem complet, ac proinde uno respectu ad unum, alio ad aliud.

DVBIVM III.

Quis sit ordo, etiam dignitatis, inter causas.

ANtè Resolutionem

xxxi. Suppono ordinem inter causas esse duplicem, unum intentionis, alium executionis.

xxxii. Ordo intentionis est *ordo causarum, prout sunt in intentione operantis*; sic æger 1° vult sanitatem, 2° potionem præscriptam, 3° medicum; executionis verò est *ordo causarum, prout sunt à parte rei extra intentionem operantis*; sic æger 1° vocat medicum, 2° sumit potionem præscriptam, 3° recuperat sanitatem; ubi vides sanitatem, quæ fuit prima in intentione, esse postremam in executione, juxta hoc axioma, *Quæ sunt prima in intentione, sunt postrema in executione.* Hoc supposito, sit

Resolutio I.

xxxiii. DIco 1°, inter causas hic est ordo intentionis: 1° intenditur causa finalis, sive compositum: 2° forma, utpote nobilior pars compositi: 3° materia, utpote altera pars compositi: 4° causa efficiens, quæ illas conjungat & efficiat.

Resolutio II.

xxxiv. DIco 2°, inter causas hic est ordo executionis: 1° ponitur efficiens, quæ basim vel materiam efficienter producat: 2° basis vel materia, quæ formam producat materialiter: 3° forma tamquam effectus causæ efficientis & materiæ, saltem in materialibus: 4° compositum, quod est causa finalis & movens ad sui executionem; ut causa finalis tamen non est ultimum in executione, ut patet, quia ut causa finalis non exequitur, sed ut compositum ex materia, forma & unione.

Resolutio III.

xxxv. DIco 3°, inter causas hic est ordo dignitatis: 1° efficiens, quia præterquam quòd Deo conveniat, cæterarum perfectionem continet, & non earum imperfectionem, quia non est pars, uti materialis & formalis; neque causat intentionaliter tantùm, uti finalis: 2°, causa finalis cum formali & materiali sunt excedentia & excessa; exceditur finis, eò quòd non causet realiter, sed intentionaliter tantùm, quod est ignobilius; excedit verò, quia non causat per modum partis, uti formalis & materialis; unde Deo convenit esse causam finalem, non autem esse partem materialem vel formalem: Adde tamen formalem esse dignitate priorem materiali, quia dat speciem & ultimam perfectionem; materia verò est imperfectissima.

DISPVTATIO TERTIA

De Conditionibus ad causandum requisitis.

DVBIVM I.

An & quæ existentia causæ requiratur ad causandum.

ANtè Resolutionem

i. Suppono 1°. existentiam esse duplicem, unam intentionalem, sive in mente concipientis; aliam realem, sive à parte rei extra mentem concipientis; quæ realis, est etiam duplex, una causæ in se & virtute suâ simul; alia in virtute sua tantùm, ut gallinæ mortuæ in ovo suo.

ii. Suppono 2°, causæ existentiam in se non requiri ad causandum effectum; sed sufficere existentiam illius in virtute sua; nam ex semine planta, ex ovo pullus educitur absente causâ, à qua decisa sunt. His suppositis, sit

Resolutio I.

iii. DIco 1°, ad causandum finaliter requiritur existentia intentionalis causæ finalis, non tamen realis.

iv. Probatur 1ª Pars; quia causa finalis causat movendo, excitando, &c. causam efficientem; sed movere non potest nisi sit in mente mobilis; unde fit quòd vocetur causa intentionalis, ergo, &c.

v. Probatur 2ª Pars; quia causa finalis non causat, quia est realiter, sed ut sit realiter: unde æger ambulat ad sanitatem consequendam, quæ realiter & à parte rei non est, ergo, &c.

Resolutio II.

vi. DIco 2°, ad causandum materialiter requiritur existentia realis causæ materialis. Ita omnes Philosophi; quos legi.

vii. Probant varii hoc modo; quia causa materialis & formalis sunt partes intrinsecè essentiales compositi; ergo ad hoc, ut existat compositum realiter, requiritur earum existentia realis: Verùm hæc probatio supponit falsum, videlicet causam materialem & formalem esse partes intrinsecè essentiales compositi, cum sint tantùm extrinsecè essentiales, non secus ac fundamentum & terminus respectu relationis; imò sicuti potest dari relatio non existentibus fundamento & termino; ita potest dari compositum formaliter, non existentibus causâ materiali & formali realiter, sed intentionaliter & objectivè tantùm, de quibus aliquid infra. Quare aliter

viii. Probatur; quia materia realiter causat recipiendo, sustentando, &c. formam, sinè influxu à se manante; sed totum quod causat realiter, debet realiter existere, vel per seipsum, vel saltem per influxum à se manantem; alioqui causæ, quæ nunquam extitissent, dici possent causare realiter, ut consideranti patebit, quod nullus admiserit, ergo, &c. consequentia est legitima; minor patet, tum ex præmissis, tum ex dicendis infra.

ix. Confirmatur, tum hæc, tum sequens Resolutio: tam causa materialis, quàm formalis causat mediante unione; sed unio non potest existere sinè utroque extremo realiter existente, ergo, &c. probatur minor; quia unio est ultima determinatio ad uniendum duo extrema existentia; alioqui deberet per aliud determinari ad illa ut existentia unienda; de quo quæreretur, an esset ultima determinatio ad unienda duo extrema existentia, nec nè? si sic, idem dic de unione; si nō, dabitur processus in infinitum.

Adde

x. Adde alioqui fore, ut unio existat sinè utroque extremo; quia non est potior ratio, cur sinè uno potius, quàm sinè alio existat.

Resolutio III.

xi. Dico 3°, ad causandum formaliter requiritur existentia realis causæ formalis. Ita omnes similiter.

xii. Probatur, quia forma realiter causat denominando, informando, &c. materiam sinè influxu à se manante; sed totum, quod realiter causat, debet realiter existere, vel per seipsum, vel saltem per influxum à se manantem; ob rationem statim dictam, ergo, &c. consequentia est legitima, major probabitur infra.

Resolutio IV.

xiii. Dico 4°, ad causandum efficienter (de quo potissimum est difficultas) nequidem existentia realis Principii *quod* immediati in virtute requiritur, si Principium immediatum *quo* paulò ante extiterit. Huic Resolut. videntur favere Capreolus in 4^um^ Dist. 13. q. unicâ art. 3°. Sotus in 4^um^ Dist. 1ª. q. 2ª. art. 3°. Fonseca 8. Metaph. cap. 1°. q. 2ª. Sect. 5ª. ubi citat D. Thomam, Alensem, Cajetanum: favent etiam Conimb. lib. 1°. de generat. cap. 4°. q. 18ª. art. 2°. Item Cabrera 3ª. p. q. 26ª. art. 1°. Disp. 3ª. num. 113. contra alios, sive Recentiores, sive Antiquiores. Sed

xiv. Ante probationem hujus Resolutionis, quam Suarez, alioqui doctissimus, Metaph. Disput. 14ª. num. 3°. dicit esse improbabilem, & tomo 1°. in 3^am^ partem ad quæstionem 13^am^ art. 4°. Disput. 31ª. Sect. 7ª. esse contra communem consensum, non solùm omnium Philosophorum, sed etiam omnium hominum (non viderat puto jam citatos:) P. Hurtadus Physicæ Disp. 8ª. num. 68°. ex ea sequi mortuos videre, quod ab omnibus est (inquit) irridendum: P. Arriaga Physicæ Disp. 7ª. numer. 44°. ab Aristotele & omnibus contrarium defendi: P. Oviedus, hanc difficultatem sibi esse levissimam; quia manifestâ experientiâ compertum est, rem non existentem non operari: P. Poncius Physicæ Disp. 10ª. num. 5°. prorsus ridiculum esse, adscribere motum aliquem realem rei non existenti realiter, tamquam Principio *quod* immediato; P. Telles potius supponit contrariam esse certam, quàm probet, & sic de aliis.

xv. Suppono 1°, ex dicendis lib. 8°. de motu projectorum, contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Poncium, Telles, &c. non dari impulsum à motu projectorum realiter distinctum; quia, cum optimè intelligatur motum localem fieri sinè impulsu, ut cum vestis ad motum hominis, & homo localiter moventur; multiplicarentur sinè necessitate productio impulsus & impulsus, si in projectis impulsus esset realiter distinctus à motu locali eorum: quòd autem homo moveatur localiter sinè impulsu, patet; quia non minùs est per se Principium sufficiens motus localis sinè impulsu, & consequenter etiam suæ vestis, quàm ipsius impulsus; imò vestis moveri non potest per impulsum; quia alioqui immoto homine, adhuc deberet vestis, ratione impulsus impressi necessariò agentis, moveri, quod est contra experientiam.

xvi. Suppono 2°, ex dicendis Disp. ultimâ de duratione, possibilem esse creaturam ex essentia suâ durantem uno mense v. g. ac proinde similiter durationem essentialiter dantem creaturæ durare uno mense, ita ut det prius durare instanti A. posterius, & hoc mediante tantùm, instanti B. & sic consequenter: ita enim Arriaga Disp. 15ª. Physicæ Sect. 2ª. n. 64. Camerarius p. 2ª. q. 22ª. Rubius & plures antiquiores: Item D. Thomas 1ª. p. q. 46ª. Suarez, Vasquez, Valentia, Conimb. Hurtadus, Oviedus, & omnes, qui tenent possibiles esse creaturas ab æterno; illæ enim necessariò (etiam respectu Divinæ potentiæ) deberent æternitate (saltem à parte ante) durare: nec id magis obstat perfecto Dei in creaturas dominio, quàm quòd Deus non posset impedire, quo minùs creatura duraret uno instanti, ex hypothesi quòd vellet eam creare; aut quàm quòd non posset hominem creare irrationalem, ex eadem hypothesi, quòd vellet illum creare: nam dictum Dei dominium sufficienter salvatur in eo, quòd illam creet, si velit; non creet, si nolit: aliud verò obstaculum, quod adfert P. Comptonus Phys. Disp. 38. Sect. 3ª. nempè quòd duratio illa deberet, utpote indivisibilis, singulis instantibus habere totam suam essentiam, quod repugnat: etiam non obstat; quia attendere debuisset durationem illam non aliter esse indivisibilem, quàm sit tempus successivum; sic nempè, ut, sicut Deo impossibile est tempus producere, quin successivè, producat prius & posterius; ita Deo impossibile sit talem durationem producere, quin producat prius & tot posterius; unde obstaculum illud omnino nullum est. Hinc consequenter hîc supponimus dari posse motum localem (cui ubi identificabimus infra) uno quadrante v. g. durantem, dantem suo mobili ex natura sua esse successivè in centum, aut ducentis locis, ita ut priùs det esse in loco A. posteriùs, & hoc mediante, in loco B. & sic consequenter; quia tamen videmus, & experientia docet, mobile projectum modò huc, modò illuc, modò viâ rectâ, modò cum reflexione versùs suum projicientem propter consortium novi motoris, modò sinè, moveri: ulteriùs supponi debet motum localem esse quidem ex natura sua determinatum ad constituendum mobile in tali spatio, & non in alio; ex consortio tamen alterius motus localis simul idem mobile moventis, esse determinabilem ad constituendum mobile in alio spatio; sic ut illi duo motus conjuncti quidem ex natura sua etiam determinati ad constituendum mobile in hoc spatio, & non alio; sed ex consortio alterius iterum adjuncti motus localis simul idem mobile moventis, determinabiles ad constituendum mobile in altero spatio: neque ex his putandum sequi processum in infinitum in motibus, ut res constituatur in determinato loco; nam, si non accedat secundus motus, res constituetur in illo spatio, in quo rem constituere conveniet primo motui ex natura sua: dari autem res ex natura sua ad unum determinatas, & ex consortio alterius ad aliud determinabiles, est certo certius; nam calor, ex natura, sive ut causa partialis, sive ut totalis, determinatus ad producendum ignem, aut calorem, ex consortio aliorum agentium, determinabilis est ad producendum aurum, gemmas, viventia, &c. His suppositis

xvii. Probatur Resolutio: in projectis, si intereat causa projiciens ante finem motus (quod fieri posse quotidiana docet experientia) causatur motus efficienter à non existente causa projiciente, etiam in

in virtute sua ut principio *quo* immediato motus, ut patet; ergo ad causandum efficienter nequidem existentia realis principii *quod* in virtute requiritur, si paulò ante extiterit, utì extitisse patet.

XVIII. Nec dicas 1°. principium *quo* immediatum talis motus projectorum non esse projicientem in se, sed in impulsu virtute suâ; nam talis impulsus est fictitius, ut patet ex supposito secundo, quod latius infra probabitur.

XIX. Nec dicas 2°. quòd si *ubi* identificetur motioni, sive motui locali, futurum, ut actio existat sine principio & termino. Quia si non habeat terminum realiter distinctum, in eo nullum est absurdum; posse enim sine principio jam ostensum est; posse verò sine termino realiter à se distincto, patet, quia illum non habet; deinde suppositâ veritate sententiæ illorum, qui dicunt intellectionem, volitionem, &c. non habere terminum realiter à se distinctum, item quòd sint actiones permanentes, uti hîc supponimus, intellectio est secundo instanti in anima sine causa efficiente, & sine termino realiter à se distincto; sine termino quidem, quia non habet, ut supponitur; sine causa efficiente verò, quia pro illo instanti anima non agit munus causæ efficientis, sed subjectivæ & materialis; si verò habeat effectum realiter à se distinctum, non potest existere sine effectu realiter a se distincto, quia est continua actualis positio effectus in esse, alioqui post primum instans esset indifferens ad ponendum effectum in esse, ac proinde per aliud determinari deberet ad ponendum post primum instans effectum in esse, de quo quærerem, an esset actualis positio effectus in esse, vel non? si primum, idem dicendum de actione; si secundum, daretur processus in infinitum.

XX. Nec instes non potest unio existere sine utroque extremo, ergo nec actio sine principio & effectu: Probabis consequentiam, quia est eorum unio: est enim disparitas, quòd unio sit utrique extremo intrinseca; actio verò principio suo extrinseca; deinde non est ratio, cur unio potiùs existeret sine uno, quàm sine alio extremo; unde si sine uno existere posset, posset sine utroque, quod in actione habente terminum realiter distinctum, n. 19. negavimus: denique unio est continua actualis determinatio ad unienda duo extrema existentia; alioqui post primum instans esset indifferens, &c. proportionaliter, ut statim num. 19. deductum est.

XXI. Probatur 2°. eadem est conservatio effectus, præsente, ac absente causâ; sed causa non aliter effectum conservat, quàm per conservationem, ergo causa, sive præsens, sive absens, ac per consequens, sive existens, sive non existens, modò paulò ante extiterit, eodem modo conservat effectum; unde ad conservandum, ac proinde ad causandum efficienter, nequidem existentia realis principii *quo* immediati in virtute requiritur: major patet in sententia Arriagæ, Oviedi & aliorum distinguentium realiter actionem à duratione, & admittentium actiones in esse permanentes: minor est certa, & consequentia legitima.

XXII. Probatur 3°. principium immediatum, etiam virtuale aut instrumentale, potest agere, ubi non est; nam si ejus effectus extra illius sphæram activitatis existat, conservatur ibi, etiam postquam desiit esse ejus principium, &c. sed tunc principium *quo* immediatum non existens, etiam in virtute, agit eodem modo secundo instanti, ac primo, puta per eandem actionem permanentem, ergo, &c.

XXIII. Respondet P. Oviedus loco citato, post Arriagam, disparem esse rationem; quia id quod non existit in hoc loco, sed in alio, absolutè existit & habet continentiam effectus, ut inquit Arriaga; illud verò, quod non existit in hoc tempore, etsi dicatur existere in alio, absolutè non existit, imò, inquit P. Arriaga, modò tam nihil est, ac si nunquam extitisset; unde, modò non potest aliquid operari, non secus ac si nunquam extitisset. Sed

XXIV. Contra: ultro concedimus, quòd id, quod non existit in hoc loco, sed in alio, absolutè existat: verùm negamus illud magìs habere continentiam effectus producti existentis successivè extra sphæram suæ activitatis, quàm si desiisset, & non esset amplius hoc tempore: imò ista responsio videtur omninò impertinens; quia, sicut actio per quam producit effectum, potest ab ipso separari quoad locum, ita & quoad tempus, maximè cùm in primo esse dumtaxat pendeat à causa existente, ne alioqui causa det esse, quod non habet; & non in secundo, quia terminum comitatur, est extra sphæram activitatis causæ, & tamdiu manet, quamdiu manet terminus: sed difficultas est, quomodo in secundo instanti minùs pendeat à causa existente, quàm in primo? Resp. eandem esse difficultatem inprimis, in hac contra præfatos Authores retorsione, quomodo primo instanti debeat esse intra sphæram activitatis causæ existentis, non item in secundo: Ratio igitur est, quia cùm actio non habeat esse necessarium, sed contingens, debet à sua causa determinari ad primum esse, quæ cùm determinare non possit ad esse, nisi habeat esse, & intra sphæram suæ activitatis determinet; hinc fit, quòd primo instanti pendeat à causa existente, & esse debeat intra sphæram activitatis suæ causæ: è contra verò, cùm, quantùm est ex se, habeat conservari necessarium, quia non petit sui destructionem; & sit suiipsius conservatio, quia conservatio non conservatur per conservationem realiter distinctam; secundo instanti non pendet à causa existente, nec debet esse intra sphæram activitatis suæ causæ existentis, magìs quàm cæteræ formæ à sua causa primò efficiente existente pendeant, & intra ipsius existentis sphæram activitatis secundo instanti esse debeant.

XXV. Cõfirmatur 1°. Resol. ita de causa productiva substantiæ philosophandum est, ut genitorum in utero, & ex ovis, genitum quoad substantiam, tantum, aut plus debeat genitori, quàm genitrici, sive patri, quàm matri; sed id haberi non potest, nisi dicatur genitorem non existentem agere per actionem suam generativam perseverantem, postquàm desiit, ut infra Disp. 6ª. Dub. 5°. de productione substantiæ probabitur, ergo, &c.

XXVI. Confirmatur 2°. sic de causa productiva substantiæ nobis loquendum est, ut causam conservantem in creatis relinquamus haud secus, quàm primò producentem præposuimus, ne alioqui, cum id fieri possit, si causam conservantem à creatis tollamus, & ad Deum pro substantiarum conservatione, ubi aliter fieri potest, confugiamus, consequenter primo producentem à creatis tollere debeamus, & ad Deum confugere, quod est valde absurdum, & parum naturale, ergo, &c.

XXVII. Objicies 1°. Aristotelem hîc ab Hurtado pro se citatum, *quæ efficiunt, atque ea, quorum*

sunt causa, simul sunt, & non sunt, quasi diceret, existente effectu existit causa, & pereunte causâ perit effectus, ergo, &c.

XXVIII. Respondeo Aristotelem ibi loqui de causâ & effectu formaliter sumptis, quæ, utpote correlativa, se mutuò ponunt & tollunt; non verò de causa & effectu materialiter sumptis: nam materialiter, neque cum existit Pater materialiter, existit Filius; neque cùm perit Filius materialiter, perit Pater, ut consideranti patebit: deinde Aristoteles intelligi potest loqui de iis, quæ efficiunt *ut quo*, videlicet actionibus totalibus, quæ se mutuò cùm effectibus ponunt & tollunt, ut vidimus; non verò de iis, quæ efficiunt ut immediatum principium *quo*, quia hæc perire possunt & effectus remanere, & è contra illa existere, & hi perire.

XXIX. Objicies 2°. ex P. Arriaga post Hurtadum: per te, si causa non extitit priùs, non potest nunc operari, ergo nec potest operari, etiamsi prius extiterit: Probatur consequentia, quia, quòd extiterit, non efficit ut modò habeat Physicè aliquid ampliùs, quàm si non extitisset, quod per se videtur manifestum: Addit P. Hurtadus, si res potest operari in aliquâ duratione reali, in qua non est, etiam poterit operari quolibet tempore subsequenti; cave igitur (inquit) ne te mordeat canis, aut discerpat (inquit Arriaga) leo mortuus ante mille annos: aut ut Pater Comptonus, ne pecces post mortem, & alioqui salvus, damneris.

XXX. Respondeo negando consequentiam ob disparitatem; nam si extiterit, potest actionem posuisse terminabilem ad diversos effectus pro diversis instantibus, vel ad eundem, pro conditione sua; ac proinde agere, non tantùm pro eo instanti quo fuit, sed pro omni eo instanti, quo duratura est ipsius actio terminabilis diversis instantibus ad diversos effectus, vel ad eundem, secundùm naturam suam, quod non potest, si non extitit priùs, ut patet: unde patet ad probationem consequentiæ.

XXXI. Ad id verò quod addit P. Hurtadus: quòd si res possit operari in aliqua duratione reali, in qua non est; etiam poterit quolibet tempore subsequenti, distinguo, quo durabit ipsius actio, concedo; quo cessaverit ipsius actio, nego; unde, contra PP. Hurtadum & Arriagam, dico, non esse periculum, ne te mordeat canis, aut discerpat leo, mortuus ante mille annos; quia cùm morsus & discerptio illa ante mortem non extiterit, & importet essentialiter actionem vitalem, quæ, cum ex una parte extitisse, & existere, debeat etiam de præsenti, in cane & leone vivente, tamquam causâ materiali, utpote vitalis; & ex alia causa materialis ad causandum continuò materialiter, exigat existentiam continuam (ut vidimus supra) illud periculum non est, sed totum morsus & discerptionis periculum simul cum leone & cane percunte perit; idem dic proportionaliter ad P. Comptonum pro peccato.

XXXII. Objicies 3°. ex eodem: *nemo dat quod non habet*; sed causa non existens nullum habet esse de facto, ergo de facto non poterit causare aliquid: Probatur cons. quia causare est dare esse effectui.

Confirmatur ex P. Hurtado, actio quæcumque actu existens est simpliciter actus secundus, ergo oritur ab actu primo simpliciter, id est, existente; Probatur consequentia, quia sine existentia nullus est actus, sive nihil est in actu simpliciter, sed in potentia tantùm.

XXXIII. Respondeo distinguendo majorem, *nemo dat quod non habet*, si perseveret eadem ratio formalis, per quam dedit, nego majorem; si non perseveret, concedo majorem; perseverat autem hîc ratio formalis, per quam dedit existentiam effectui, videlicet ipsa actio, per quam effectum primò produxit: & revera, conservet Deus in oculo meo visionem parietis destructo pariete, nunquid adhuc dicâr videre Physicè parietem, idque, quia parietem Physicè videri, est denominatio extrinseca, & perseverat ratio formalis Physicè eum videndi destructo pariete? ergo similiter, si conservetur motus lapidis me projiciente mortuo, adhuc dicar movere Physicè lapidem, idque ob eandem rationem, videlicet, quia Physicè movere lapidem, est denominatio extrinseca, & perseverat ratio formalis eum movendi Physicè.

XXXIV. Adde videri dicendum in sententia Arriagæ de propagatione specierum soni ad auditum, tandem mediâ specie audiri sonum non existentê.

Ad Confirmationem ex Hurtado,

XXXV. Respondeo admisso antecedente, distinguendo consequens; ergo oritur ab actu primo simpliciter, id est, existente in primo instanti, quo incœpit esse actus secundus, concedo consequentiam; & ratio est, quia ut ostendi ante, debet determinari ab existente per aliquid existens: in omni instanti, quo perseverat actus secundus sine alio, nego consequentiam; quia, ut ostendi rejectione Responsionis P. Oviedi ad probationẽ tertiam, cùm actio permanens ex se, sive ex parte sua, habeat conservari necessarium, & sit suiipsius conservatio, secundo instanti non pendet à causa existente creata.

XXXVI. Instabis, hæc solutio supponit falsum, videlicet dari actionem permanentem, cùm tamen omnis actio, utpote identificata durationi, sit successiva, ergo, &c.

XXXVII. Respondeo negando antecedens; duratio enim non potest esse identificata actioni, magis quàm ego simul durare possim anno decimo, vigesimo & trigesimo, vel anno decimo & trigesimo simul, non durando anno vigesimo, quod inde sequeretur; quia non est, cur Deus non posset me simul hoc anno decimo conservare conservationibus, quibus me conservaret anno vigesimo & trigesimo; vel conservationibus, quibus me conservaret anno decimo & trigesimo: quòd enim aliqui respondent actiones illas conservativas dicere respectus essentiales ad diversas partes temporis imaginarii, ita ut conservatio anno vigesimo non possit esse anno decimo, sed vigesimo tantùm, admitti non potest; quia, præterquam quòd dicere respectum essentialem ad tempus imaginarium, sit dicere respectum essentialem ad imaginationem, quâ etiam impossibili, adhuc daretur duratio, non est potior ratio, cur actio dicat talem respectum, & sit duratio, quàm res quælibet durans: quod verò alii Respondent illas dicere respectus essentiales ad partes temporis realis non magis admitti debet; quia, præterquam quòd hoc sit illas dicere essentiales respectus ad se, quia tempus reale nihil aliud est, quàm duratio motus; tempus reale, vel potest per divinam potentiam totaliter cessare, vel totum poni duobus instantibus, nam non nisi dicit duo, priùs scilicet & posteriùs; si verò sic totaliter cessaret, adhuc durarem, ut pater; & si totum duobus instantibus poneretur, duobus instan-

instantibus illis existerem anno decimo, vigesimo & trigesimo, imò & aliis omnibus, quidni anno decimo & trigesimo, non existendo anno vigesimo? ratio est, quia posito toto tempore reali in illis duobus instantibus, posset poni in illis duobus instantibus omnis conservatio dicens respectum essentialem ad tempus reale, sive continuum, sive interpolatum, ut patet: quid autem sit duratio, dicemus infra agentes de motu; hoc solum cape, quod actio, præsertim identificata rei permanenti, ut v.g. unioni, non sit essentialiter successiva, magis quàm effectus ad quem terminatur.

XXXVIII. Objicies 4°. ex P. Hurtado: causa non existens, simpliciter nihil est, ergo ab ea non potest actio prodire.

XXXIX. Respondeo distinguendo consequens, ergo ab ea prodire non potest actio, si ante ab ipsa existente primò non prodierit; vel, non potest prodire per inceptionem, concedo consequentiam; & ratio est, quia ad existere debuit determinari per causam existentem: si ante ab ipsa existente primò prodierit, vel, non potest prodire per conservationem, nego consequentiam; quia ipsa manet pereunte causâ, ratio formalis prodeundi eadem, quæ erat ante; & sicut, dum ipsa incipit esse à causa, seipsâ primò prodit; ita cum ipsa eadem perseverat in esse, adhuc rectè dicitur seipsâ perseveranter à causa prodire: numquid enim effectus dicitur à causa prodire & pendere, quamdiu est ipsius ratio formalis prodeundi, & dependendi à causa, sicut paries dicitur visus, etsi non existat, quamdiu manet visio ipsius in oculo? procul dubio, quia ratione illius præcisè dicitur à causa prodire & pendere: ergo quidni idem dicitur de ipsa actione ratione formali prodeundi & dependendi, quamdiu manet & perseverat in esse.

XL. Objicies 5°. ex P. Christiano Lupo Ordinis S. Augustini in Apologia contra Marpurgenses cap. 11. verè agere, est actionem verè è sua entitate emittere, &c. eamque habere à sua entitate verè dependentem, quod (inquit,) est principium certissimum, & à nemine negandum; & qui negat, nescio (inquit) an Philosophus vocari queat: sed causa non existens non potest habere actionem, à sua entitate verè dependentem, ergo, &c.

XLI. Respondeo distinguendo majorem, verè agere est actionem verè à sua entitate emittere, eamque habere à sua entitate dependentem, pro primo instanti, quo existit & esse incipit, concedo majorem; pro aliis instantibus, quibus in esse perseverat, nego majorem: ratio data est supra; non enim actio transiens in conservari magis pendet ab agente existente, quàm anima rationalis âmateria existente: sic patet ad censuram P. Lupi.

XLII. Colliges 1°. ex dictis magnum esse discrimen inter causam finalem & efficientem; quia hæc semper causat, vel quia est, vel saltem quia fuit; finalis verò numquam, sed semper ut sit: 2°. magnum etiam esse discrimen inter actu causans, & inter actu album; quia licèt concretum actu ex forma & causa materiali, ut est album, dicat causam materialem existentem, ut patet ex resolutione secunda; non tamen concretum ex forma & termino extrinseco tamquam subjecto denominationis, ut est actu causans, quod patet in visione parietis non existentis, n. 39. supra: deinde hæc propositio, *causa non existens est actu causans*, simpliciter est falsa, quia ly *actu* appellat causam importatam in recto concreti *causans*, de qua sicut falsum est, *est actu* dum non existit; ita & *est actu causans*, dum non existit; vera tamen est hoc sensu, *causa non existens est causans per actionem actu existentem*, ac proinde est principium *quo* immediatum effectus, non existens etiam in virtute; quod totum Resolutio non solum sine contradictione in terminis, sed quam probabilissimè, ferre potest.

DVBIVM II.

An, & qua Prioritas requiratur ad Causandum.

ANte Resolutionem

XLIII. Suppono 1°. Prioritatem esse triplicem, dignitatis, naturæ & temporis: Prioritas dignitatis est major dignitas in uno, quàm in alio: Prioritas naturæ est secundùm quam unum dicitur communicare esse alteri, ut prioritas causæ & effectus, sive principii communicantis esse, & rei cui communicatur: ubi reflecte, quòd sicut ad prioritatem dignitatis non est necessarium, ut unum sit in aliquo instanti reali, vel rationis priùs alio; ita nec ad prioritatem naturæ, sed sicut ad illam præcisè sufficit major dignitas unius, quàm alterius; ita ad hanc præcisè sufficit unum esse causam rei, quæ communicatur, sive unum esse principium communicans esse rei, cui communicatur: Prioritas autem temporis est unum instans reale priùs in uno, quàm alio.

XLIV. Suppono 2°. ex dictis Disput. 2ª. Dub. 1°. prioritatem naturæ sive causalitatis, secundùm Patres Græcos simpliciter & absolutè reperiri in divinis, secundùm Latinos minimè, nisi per posterioritatem naturæ & causalitatis, quæ ex ea sequitur, intelligas esse causatum sine dependentia involvente imperfectionem & limitationem, quæ, ut supra vidimus, excludi debet: quia nos Catholici nomen causæ & causalitatis ita accipere debemus, ut secundùm Patres Græcos divinis Personis conveniat, & ut secundùm Latinos illis non conveniat cum dependentia involvente imperfectionem & limitationem, sed sine, quomodo nomen causæ & causalitatis, ubique reipsâ implicitè in divinis agnoscunt, licèt hoc nomine expresè non utantur; in re autem tanti momenti, ubi commodè possumus Patres Græcos & Latinos conciliare, de nomine parum curandum est; extra hastamen Disputationes, nobis cum Latinis loquendum, ut Disp. 2. Dub. 1°. monui.

XLV. Nec refert quòd Aristoteles in Postprædicamentis cap. 11. dicat, *alia autem naturâ* (scilicet priora) *ea (inquam) omnia, quæ ejusmodi sunt, ut sine aliis esse possint, non item sine illis alia.* Quia priora naturâ sive causalitate, in specie & ad creatos effectus, hîc definit Aristoteles, putans ex ignorantia fidei non esse alia; sed non in genere, & quæ comprehendunt terminata ad effectus increatos, de quibus nos hîc: unde Aristotelis definitio non est satis latè patens, & proinde vitiosa; propter quod expresè deseritur ab omnibus Patribus Græcis, & implicitè à Latinis, nec à nobis minùs deseri debet, quàm ipsius ignorantia fidei. Ex dictis

XLVI. Colliges 1°. frustra ab omnibus communiter prioritatem dividi in prioritatem *in quo*, quam vocant (ait P. Oviedus) naturæ; & prioritatem *à quo*, quam dicunt originis; ita ut quod est origo,

dicatur prius prioritate *à quo* originato; originatum verò posterius posterioritate *à quo*: hanc autem prioritatem originis volunt esse communem prioritati naturæ sive causalitatis, & prioritati quâ in divinis habet Pater ad Filium, & Pater ac Filius ad Spiritum sanctum, vel etiam actio ad suum effectum: frustra, inquam, ita dividitur, nam prioritas originis, sive *à quo*, est vera prioritas naturæ, modo à nobis num. 43. supra explicato; & sicut rectè dicitur prius naturâ *ut quod*, quod est causa *ut quod*; ita actio, quæ est causa *ut quo*, rectè dicitur prior naturâ *ut quo* effectu; videtur enim omnimoda proportio & paritas, quam quia præfati Authores servare non possunt; nam actio, utpote fieri intrinsecum effectus, existere non potest sine effectu; vel inde patet ipsorum definitionem prioris naturâ, & Aristotelis, non esse bonam.

XLVII. Adde illam etiam rejici posse ex eo, quòd causa debeat (ut faetur hîc P. Oviedus) constitui naturâ prior per ipsam actionem productivam effectus; quia prioritas naturæ est prioritas actionis sive causalitatis; causa verò ut per actionem constituta prior naturâ effectu, non potest magis ab effectu separari, aut esse sine effectu, quàm ipsa actio, propter quod tamen negant actionem esse priorem naturâ effectu.

XLVIII. Colliges 2°. hîc non esse sermonem de prioritate naturæ latè sumpta, quæ nihil aliud est, quàm superioritas, sive major communitas unius, quàm alterius; eò quòd non convertantur essendi consequentia; sed strictè & Physicè. His suppositis & præmissis, sit

Resolutio I.

XLIX. Dico 1°. causa non debet esse prior suo effectu prioritate temporis.

L. Probatur, quia sol eodem instanti, quo est, illuminat, & materia eodem instanti, quo est forma materialis, eam recipit, & hæc materiam informat, ergo, &c.

LI. Confirmatur, esse causam est dare esse rei; sed causa, sive præcesserit tempore, sive non, non dat esse rei, nisi pro instanti quo res est; imò si præcesserit, & non sit amplius eo instanti, quo res recipit esse, non dat, ut constat ex dubio præcedenti, quia actio debet determinari ad esse per aliquid existens; ergo causa non debet esse prior suo effectu prioritate temporis.

Resolutio II.

LII. Dico 2°. causa debet esse prior suo effectu prioritate naturæ.

LIII. Probatur, quia esse priùs naturâ nihil est aliud, quàm communicare esse alteri; sed omnis causa communicat esse alteri, ut patet ex definitione causæ, ergo, &c. Probatur major, quia esse causam, & esse prius naturâ, sunt eadem; sed esse causam est communicare esse alteri, ergo, &c. Sed

LIV. Petes, cur non dicam cum omnibus aliis communiter, esse prius naturâ, esse habere effectum à se dependentem, & non dependere ab illo, sed absque concursu ullo illius existere.

LV. Respondeo inprimis, quia causa est constituta prior naturâ per actionem, & tamen ratione actionis pendet ab effectu: 2°. quia excludit actionem à prioribus naturâ, contra dicta n. 46. supra collectione 1ª. 3°. quia superfluæ sunt ultimæ particulæ *& non dependere ab illo*, &c. nam, sicut illud revera est causa, quod præcisè habet effectum à se dependentem, id est, secundùm nos, quod communicat esse rei, ita & prius naturâ. 4°. quia sicut hæc definitio excludit prioritatem naturæ in divinis, ubi necessariò agnoscenda est mutua dependentia necessariæ conjunctionis, ita rationem causæ, prout est præcisè principium communicans esse rei, contra dicta supra Disp. 2ª. Dub. 10. ex his

LVI. Colliges 1°. *causam esse priorem effectu prioritate naturæ*, sive, *causam esse in priori naturæ, quàm sit effectus*, nihil aliud esse, *quàm causam communicare esse effectui*; & è contra, *effectum esse posteriorem*, &c. nihil aliud esse, *quàm effectum esse communicatum à causa*: unde prioritas & posterioritas naturæ est realis ante intellectum, & præcisionis ac post intellectum non nisi per fictionem, dividendo indivisibile instans reale in duo instantia, quorum unum dicatur prioritas naturæ, aliud posterioritas; ad eum ferè modum, quo punctum indivisibile per fictionem divideretur in duas partes, quarum una diceretur initium, altera finis. Hinc

LVII. Colliges 2°. hujus locutionis, *effectus non est in priori naturæ*, non esse hunc sensum, *in eo puncto rationis, in quo concipitur esse causa, non concipitur esse effectus, non est effectus, est negatio effectus*, &c. in quibus plurimi decipiuntur; sed hic, *causa non est effectus*; quia prioritas naturæ est realis, non rationis, ut diximus; esset que (ut patet) adhuc prioritas & posterioritas naturæ, non secus ac causalitas inter solem & lucem, cessante possibilitate omnis intellectus; sic patet primam explicationem ipsorum esse falsam: secundam verò & tertiam sic rejici, *non est effectus in eo puncto rationis, in quo est causa, & est negatio effectus in eo puncto rationis, in quo est causa*, re ipsâ non differunt, magis quàm hæ, *non est effectus in eo puncto sive instanti reali, in quo est causa, & est negatio effectus in eo puncto reali, in quo est causa*; & solùm discrimen est, quòd utraque hæc sit falsa, & utraque illa vera; sed utraque illa explicatio æquivalet huic, *negatio effectus est causa effectus*; quia, ut toties dixi, prius punctum, sive instans naturæ nihil aliud est, quàm ipsa causa actu; sed hæc explicatio est apertè falsa, ergo & utraque illa.

Dubium III.

An duæ causæ possint quoad primum esse sibi invicem esse causæ.

Resolutio I.

LVIII. Dico 1°. causæ causantes secundùm diversum esse, reale scilicet & intentionale, ut efficiens & finalis, possunt esse sibi invicem causæ quoad primum esse, sicque Philosophum hîc cap. 5°. textu 30°. & 5°. Metap. cap. 2°. intelliges, dum enumerando proprietates causarum, docet, *quasdam esse sibi mutuo causas*.

LIX. Probatur, quia sanitas, ob quam habendam Petrus ambulat, finaliter causat deambulationem, & deambulatio ipsam efficienter; quorum ratio est, quòd causa finalis ut talis, non habeat existentiam realem, sed intentionalem tantùm, illam autem habet effectus ipsius (ut suppono;) sed nihil obstat quominus illud, quod habet existentiam realem, existentiam realem det non habenti; ergo potest deambulatio effectus sanitatis causæ finalis dare existentiam realem sanitati, ac proinde causa efficiens suam causam finalem efficienter causare.

Reso-

RESOLUTIO II.

LX. DIco 2°. materia & forma naturaliter se mutuò causant formaliter quoad primum esse. Est D. Thom. 1ª. p. q. 66. art. 1°. Rubii, Fonsec. Conimb. Compl. &c. contra Scotum & Scotistas, Gregorium, Henr. Aureol. Avicenn. Suar. Hurtad. Arriag. (qui dicit hanc & sequentes à nullo affirmari, quod sciat;) Oviedum, Poncium (qui dicit omnes fateri materiam in genere causæ materialis non posse causari ab alia materia, quam ipsamet causaret in genere causæ materialis, de quo Resolutione sequenti; nec formam posse causari ab alia forma, quam ipsa formaliter causaret;) Tellem, qui dicit oppositam esse communem.

LXI. Probatur, quia optimè intelligitur eodem instanti indivisibili formam esse causam formalē materiæ, & materiam esse causam formalem formæ, ergo, &c. Probatur antecedens 1°. quia eadem indivisibilis causalitas causæ formalis in materiam, est materiæ in formam, ergo optimè intelligitur eodē instanti indivisibili mutua causalitas formalis materiæ & formæ, sive formam esse causam formalem materiæ, & materiā esse causam formalē formæ.

LXII. Confirmatur, causare formaliter nihil aliud est, quàm esse in subjecto denominationis, denominare, &c. sed eodem indivisibili instanti, quo forma est in materia tanquā subjecto denominationis, quo forma materiam denominat informatam, &c. materia est in ipsa tanquam subjecto denominationis, materia formam denominat materietatam, &c. ergo, &c. Probatur major, quia causare formaliter vel est recipi in alio tanquam subjecto sustentationis, vel tanquam denominationis & informationis, aliud enim non suppetit: non primum, quia alioqui anima rationalis non esset causa formalis corporis, ut patet; ergo secundum: Probatur minor, quia eodem instanti indivisibili forma est unita materiæ & materia unita formæ, ut patet; unio autem est ipsa causalitas formalis & forma denominans *ut quo*; ergo, &c.

LXIII. Nec dicas cum P. Oviedo (qui Physicæ controv. 7ª. punct. 8. n. 1°. dicit de oppositā sententia nullam esse dubitandi rationem, & punct. 9°. n. 2°. nullum audere hanc & sequentem Resol. defendere) causalitas formalis nihil aliud est, quàm unio inter materiam & formam; sed implicat hoc extremum, quod unitur alteri tanquam formæ, eidem tanquam materiæ uniri, quia ratio materiæ non sumitur ex diversitate unionis, sed ex diversitate intrinseca earum entitatum, quæ uniuntur. Hæc ille. Sed

LXIV. Contra, P. Oviedus supponit apertè falsum, videlicet causalitatem formalem esse unionem materiæ ut talis entitatis Physicæ, ad formam ut talem entitatem Physicam, & è contra, cum tantùm sit unio materiæ ut subjecti denominationis, ad formam denominantem; haud minùs verò forma potest esse subjectum denominationis materiæ, quàm materia formæ; unde se mutuò causant formaliter: quòd autem causalitas formalis non sit unio materiæ ut talis entitatis Physicæ, ad formam ut talem entitatem Physicam, patet à simili in causalitate efficienti, quæ non est causæ ut talis entitatis Physicæ, ad effectum ut talem entitatem Physicam, sed ut principii ad principiatum; unde potest, saltem divinitus, eadem entitas, quæ est causa, esse effectus, & è contra. Ex quo

LXV. Confirmatur conclusio, eadem entitas, quæ est effectus, potest esse causa efficiens, si habeat causalitatem efficientem in causam; ergo etiam eadem entitas, quæ est causa materialis, potest esse formalis, si habeat causalitatem in formam; atqui hanc, utpote unionem, reverà habet eodem indivisibili instanti, quo forma illam habet in ipsam, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

LXVI. DIco 3°. supernaturaliter saltem, materia & forma se mutuò in eodem instanti reali causare possunt materialiter quoad esse negativè primum, sive per generationem negativè primam. Item causa efficiens & effectus efficienter, etiam quoad primum esse: est contra Authores nominatos Resolutione 2ª. & alios communiter.

LXVII. Probatur 1°. eodem instanti indivisibili, quo est causa materialis sive materia, naturaliter potest educi effectus materialis, sive forma, ex materia quoad primum esse, ergo & eodem indivisibili instanti, quo educitur effectus materialis, sive forma, ex materia, potest, saltem supernaturaliter, educi causa materialis, sive materia, ex forma quoad primum esse; si enim effectus non postponatur causæ suæ in aliquo instanti, etiam non præsupponit causam suam in aliquo instanti (idem proportionaliter dicendum de causa efficiente & effectu ipsius;) ac per consequens sunt in eodem instanti, eodemque instanti se mutuò causare possunt naturaliter, ut contendimus, ergo, &c.

LXVIII. Probatur 2°. causa, actio & effectus (puta, sive materialis, sive efficiens) sunt simul in eodem indivisibili instanti; sed non est ratio, cur sicut eodem indivisibili instanti, quo incipit causa esse, ipsius actio naturaliter tendit in effectum quoad primū esse, ita non tendat supernaturaliter eodē indivisibili instanti, quo incipit effectus esse, effectus actio in causam suam quoad primum esse, ergo, &c.

LXIX. Probatur minor, quia non minùs potest ab effectu eodem indivisibili instanti, quo incipit esse, egredi (saltem supernaturaliter) una actio productiva suæ causæ quoad primum esse, quàm à causa eodem indivisibili instanti, quo incipit esse, egredi naturaliter una actio productiva effectus quoad primum esse; quia sunt simul in eodem indivisibili instanti, quo causare debent, ergo, &c.

LXX. Confirmatur 1°. in sententia plerorumque ex Adversariis admittentium accidens producere subsantiam in virtute subsantiæ, eodem instanti, quo dispositiones v. g. calor intensus, siccitas, &c. producunt formam ignis quoad primum esse; forma ignis illas producere debet quoad primum esse, si supponantur à Deo eodem indivisibili instanti, quo formam producunt, productæ, quod saltem supernaturaliter fieri potest, ergo, &c.

Probatur sequela, quia ignis habet vires sufficientes ad illas producendas; nec aliud obstare potest, quàm quòd forma ignis sit effectus à talibus dispositionibus productus, quod, attendendo ad potentiam Dei absolutam, nullum est obstaculum, ut contendimus, ergo, &c.

LXXI. Confirmatur 2°. ex hac Resolutione clarius intelligitur, quomodo Pater in divinis sit realis causa, sive principium efficiens (de quo est eadem difficultas) Filii, & tamen Pater non sit prior Filio, ut docent omnes Theologi: deinde nihil negandum divinæ potentiæ sine aperta repugnantia, quæ hîc non ostenditur, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

LXXII. Confirmatur 3°. duæ causæ formales possunt se mutuò naturaliter formaliter causare quoad primum esse formale, quidni & saltem supernaturaliter, duæ materiales quoad primum esse sustentatum, & duæ efficientes quoad primum esse effectum?

LXXIII. Confirmatur 4°. duo possunt sibi eodem instanti reali esse conditiones, ergo & causæ: consequentia tenet à pari: antecedens patet in partibus minimi naturalis formæ, quæ se invicem conservant, si simul coexistant; & utraque perit, si altera separetur, ergo, &c.

LXXIV. Respondet P. Comptonus hîc esse disparitatem, eò quòd juxta Aristotelem & Philosophos omnes, causa sit prior naturâ effectu, utpote in naturâ realiter à se distinctam influens, &c. Sed

Contra, contendimus causam sic esse priorem naturâ effectu, id est, sic effectum causare, ut dubio 2°. vidimus, ut concomitanter effectus esse in ipsam naturam à se distinctam realiter influat; quod non solvit P. Compton. quia non advertit nos contendere esse prius naturâ, aliud non esse, quàm causare.

LXXV. Objicies 1°. causa est prior effectu suo, & actione per quam illum producit, ergo nequit in eodem genere à suo effectu produci. Probatur consequentia: quia alioqui effectus & actio ejus, per quam produceret causam, esset prior & posterior causâ effectus; prior quidem, quia actio & effectus essent causa illius; posterior, quia illa est prior effectu & actione, per quam producit effectum; sed hoc est impossibile, quia idem præsupponeretur sibi ipsi, esset prior & posterior seipso, ut consideranti patebit, ergo, &c.

LXXVI. Respondeo ad hoc argumentum, quod Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Poncium & cæteros Authores adversæ partis fefellit: distinguendo antecedens: causa est prior prioritate naturæ suo effectu, id est, est causa sui effectus, concedo antecedens: causa est prior prioritate instantis realis vel rationis suo effectu, nego antecedens; unde cum dicitur, *quòd si esset causa suæ causæ, quòd effectus & actio ejus esset prior & posterior causâ, & actione per quam produceretur effectus*; item *quòd effectus præsupponeretur sibiipsi*, sensus est, *quòd effectus & actio ejus essent causa suæ causæ, & effectus suæ causæ*, quod esse possibile clarè ostensum est: quòd autem sit ille sensus, patet, quia illud dicitur prius prioritate naturæ, quod est causa; esset autem effectus causa suæ causæ; unde ex illo capite esset prior: & illud dicitur posterius posterioritate naturæ, quod est effectus; esset autem effectus etiam effectus suæ causæ; unde ex illo capite esset posterior; ac proinde simul prior & posterior, hoc est, causa & effectus suæ causæ, cujus repugnantia ostendi debet independenter à prioritate & posterioritate, dependentia & independentia, præsuppositione sibi ipsi, &c. qui termini fallunt adversarios, quia aliud non significant, quàm esse causam & effectum. Quare, dum quæritur, an effectus possit causare suam causam quoad primũ esse, & probatur quòd non, per illos terminos, probatur effectum non posse esse causam suæ causæ quoad primum esse, quia alioqui causa esset effectus sui effectus; vel quia alioqui effectus esset causa suæ causæ, &c. cujus repugnantiam quærimus, & nullam videmus, præter petitionem principii ab Adversariis.

LXXVII. Instabis; effectus præsupponit actionem à qua producitur, & illa actio suam & effectus sui causam; ergo actio productiva causæ effectus & actionis, per quam producitur, nequit egredi ab effectu: Probatur consequentia; quia, cùm præsupponere debeat id, à quo egreditur, tanquam causam sui, præsupponeretur effectui & postponeretur effectui, ut consideranti patebit, quod est inintelligibile, ergo, &c.

LXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, ut ante, effectus præsupponit actionem, & illa actio suam & sui effectus causam, id est, actio est prior effectu, & causa est prior suâ actione & effectu prioritate alicujus instantis realis vel rationis, nego antecedens; quia sunt simul eodem instanti indivisibili, causa, actio & effectus: effectus præsupponit actionem, id est, actio est causalitas in effectum; & actio præsupponit suam & sui effectus causam, id est, causa est suæ causalitatis in effectum & effectus sui causa, concedo antecedens: sed quæro, ut ante, quare, sicut eodem indivisibili instanti potest dari causa, effectus & causalitas effectus in causam, non possit etiam eodem indivisibili instanti dari causa, effectus & causalitas effectus in causam? non potes respondere, quia effectus præsupponeretur sibiipsi; nam tuæ Responsionis esset hic sensus, quia effectus esset causa suæ causæ, in quo nullum videmus absurdum, & quærimus quare fieri non possit supernaturaliter? principium petis & nihil plus.

LXXIX. Vrgebis: causa non existit per causalitatem suam in effectum, & multò minùs per causalitatem egressam ab effectu, quia hæc illam præsupponit, sicut & effectum, à quo egreditur, qui & illam præsupponit, ergo existit per causalitatem priorem illa, ac proinde necessariò ab alia causa, quam effectu.

LXXX. Confirmatur, causalitas causæ in effectum egreditur à causa, non per ipsammet causalitatem existente; quia alioqui certo sensu illa causalitas dici posset existens per seipsam, sicut illa causa esset existens per illam, juxta illud axioma, *quod est causa causæ, est causa causati*: deinde etiam quia alioqui, sicut causa efficiens esset existens per illam sine alia actione, ita ipsa posset esse existens per seipsam sine alia causa efficiente; si enim possit dare existentiam suæ causæ, quidni & sibiipsi? ergo causalitas causæ in effectum egreditur à causa existente per aliâ causalitatem, quàm sit ipsa causalitas ab ipso egressa.

LXXXI. Respondeo negando antecedens pro 2ª. parte, ad ejus probationem distinguo, causalitas egressa ab effectu præsupponit causalitatem causæ in effectum, id est, causalitas in effectum est prior effectu & causalitate ab ipso egressâ, prioritate alicujus instantis realis vel rationis, nego antecedens: id est, causalitas in effectum est id, quô causa producit immediatè effectum, & hoc mediante causalitatem, quæ ab ipso egreditur, concedo antecedens: similiter distingue consequens; ergo existit per causalitatem priorem illâ, id est, existit per causalitatem, quæ sit prior prioritate alicujus instantis realis vel rationis, nego consequentiam; id est, quæ sit causalitas in ipsam, concedo consequentiam; sed quæro, quare, sicut eodẽ indivisibili instanti possunt esse causa, effectus, & causalitas causæ in effectum, non possit etiam esse effectus, causa, & causalitas effectus in causam? semper ad aliud Respondes; sed quid mirum? tam altè hanc falsam doctrinam imbibisti, ut illius oblivisci non possis.

Ad Confirmationem

Respondeo

LXXXII. Respondeo distinguendo consequens, ergo causalitas causæ in effectum egreditur à causa existente per aliam, quàm sit, causalitatem, in qua alia includatur causalitas totalis in causam, egressa ab effectu concomitanter, & eodem instanti, concedo consequentiam; sed tunc habemus intentum: in qua non includatur, nego consequentiam: vide objectiones dubii sequentis, & adde dici posse causalitatem causæ in effectum, egredi à causa existente per ipsammet causalitatem, ut simul egressam ab effectu, per quod etiam vitantur dicta absurda; quia illa per seipsam tantùm non faceret alteram suarum causarum existentem, sed simul cum altera causa: quòd autem hoc dici possit, patet à simili in causalitate totali indivisibili duarum causarum, simul eodem instanti se mutuò causantium formaliter quoad primum esse formale, sicut hæ se mutuò causarent quoad esse primum effectum; nam illa non magis præsupponit esse formale suarum causarum, quàm hæc præsupponat esse effectum harum.

LXXXIII. Objicies 2°. cum P. Poncio & plurimis aliis (in quo iterum decipiuntur) esse causam, priùs naturâ, &c. est esse independens ab effectu, sive aliquid ita posse concipi, ut nec in se, nec in suis principiis involvat existentiam effectus; sed si causæ se mutuò causarent quoad primum esse, id fieret, ergo, &c.

LXXXIV. Respondeo negando majorem, quæ gratis omnino ab Adversarius supponitur, & non probatur; imò, illâ datâ, quærunt nugatoriè tot & tam præclari Philosophi, *an duæ causæ possint esse sibi invicem causæ quoad primum esse*; sicut nugatoriè quæreretur, *an aliquid possit esse simul independens & dependens ab effectu, an aliquid possit ita concipi, ut in se & suis principiis simul non involvat & involvat existentiam effectus*, in quo est manifesta contradictio, & quæstio indigna tantis Philosophis: deinde esse causâ, priùs naturâ, &c. nihil est aliud quàm communicare esse effectui, & hôc præcisè positô, & quôlibet aliô per possibile vel impossibile præciso, haberetur causa, priùs naturâ, &c. ut omnes fateri debent à definitione causæ. Ex his

LXXXV. Colliges, quòd, ubicumque supra diximus, *esset priùs naturâ, præsupponeretur*, &c. alterutro horum modorum debere intelligi *esset vel causa, vel causalitas*: cùm verò diximus, *esset posterius, postponeretur*, &c. hoc modo, *esset effectus*.

LXXXVI. Objicies 3°. si duæ causæ possent sibi invicem esse causæ in eodem instanti reali, possent naturaliter, ut convincit confirmatio 4ª. sed hoc est omnino falsum, ergo, &c.

LXXXVII. Respondeo inprimis pro causa materiali & formali, satis convinci non posse se mutuò naturaliter causare, quia materia naturaliter educi non potest ex forma à substantia basi condistincta: pro causis autem efficientibus, si effectus est univocus cum sua causa substantiali, ut ignis cum igne; vel univocus cum sua causa accidentali, se mutuò naturaliter causare non possunt, magis, quàm simile naturaliter agere possit in simile antecedenter, aut concomitanter; sic enim naturaliter frustra, & in infinitum contra experientiam agerent: si æquivocus & imperfectior suâ causâ, infra docebimus imperfectius non posse ut causam adæquatam producere perfectius.

DUBIUM IV.

An res eodem instanti reali, quo à solo Deo v.g. producitur, supernaturaliter possit emittere aliam actionem efficienter sui ipsius productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè primam.

LXXXVIII. Ante Resolutionem Suppono nihil posse sibi dare esse positivè primum, nisi Deus ens à se; quia nihil indifferens & indeterminatum ad existere, aliud similiter indifferens & indeterminatum ad existere, determinare potest ad existere, ut patet: deinde primum agere supponit existere, ut lumine naturæ notum est, & talem actionem emittere, supponit elevationem supra vires suæ naturæ; nihil autem elevari potest non existens. Hoc suppositô, sit

RESOLUTIO.

LXXXIX. Dico; res eodem instanti reali, quo à solo Deo v.g. producitur, supernaturaliter potest emittere aliam actionem sui ipsius efficienter productivam, & sic dare sibi esse primum per actionem negativè primam, eodem instanti reali & rationis, quo à solo Deo producitur.

LXXXX. Probatur; optimè intelligitur, ex dubio præcedenti, supernaturaliter materiam sustentare & sustentari à forma; formam denominare & denominari à materia; ignem A. producere & produci ab igne B. concomitanter, & in eodem instanti reali & rationis; ergo similiter optimè intelligitur materiam produci unâ actione creativâ, & reproduci aliâ actione eductivâ ex seipsa; formam produci unâ actione creativâ, & reproduci aliâ actione eductivâ, ac per consequens unitivâ ex seipsa; ignem produci, & producere actionem sui efficienter productivam concomitanter & in eodem instanti reali & rationis: probatur consequentia, quia eædem, & solæ rationes, ut infra patebit, quæ militant contra hæc, militant contra illa.

LXXXXI. Subsumo: sed in primo casu, materia prima causat seipsam, quoad primum esse causæ materialis, per actionem negativè primâ; quia non habet aliud esse causæ materialis in illo instanti, licèt habeat concomitanter aliud esse effectû & causæ formalis: & in secundo casu, forma causat seipsam quoad primum esse causæ formalis; quia non habet etiam aliud esse causæ formalis in illo instanti, licèt habeat concomitanter aliud esse effectum & causæ materialis: & tertio denique casu, ignis causat seipsum quoad primum esse causæ efficientis; quia non habet primum illud esse ab alia causa efficiente sui ordinis; nam causalitas, quâ illud habet, non est causa, nec in illo instanti, sive reali, sive rationis, habet aliud esse effectum, ergo, &c.

LXXXXII. Objicies 1°. ex P. Oviedo Physicæ controv. 9ª. punct. 1°. ex identitate numerica præcisè ejusdem secum, repugnat idem recipi in seipso, idem fieri à seipso: unde, ille idem, *mihi quidem difficile est idem fieri à seipso, sed paradoxum sapit dici idem in seipso recipi posse*, ergo, &c.

LXXXXIII. Respondeo negando antecedens pro prima parte, 1°. quia sicut ex identitate specifica non repugnat, saltem supernaturaliter, unum recipi in alio ejusdem secum speciei & unum fieri ab alio ejusdem secum speciei; ita nec ex identitate numerica præcisè repugnat, idem numero recipi in seipso, idem numero fieri à seipso, &c. Deinde

potest una materia supernaturaliter educi ex alia, non secus ac anima rationalis ex materia, & forma materialis creari (uti lib. 1°. dis. 3. d. 5°. probatū est) quidni simul & aliâ actione creari, & hoc ipsô factô, ex seipsa educi: ulteriùs reproducat Deus eandē materiam in locis contiguis, non apparet, cur non poterit illas per unionem realiter distinctam continuare eodem instanti: si sic, quidni & unam poterit per eductionem realiter distinctam eodem instanti ex alia educere: denique creet Deus materiam, & materiam illam eandem per actionem aliam talem producat, quæ necessariò cessat cessante materiâ conservari per creationem, materia erit causa materialis suiipsius, ut constat ex dictis dubio cit°. sed hoc fieri potest sine ulla prorsus repugnantia: unde, quod P. Oviedo paradoxum, nobis rationi consonum omnino est.

LXXXXIV. Confirmatur 1o. Resolutio, causa quælibet potest se supernaturaliter causare (ut sequitur ab æquè forti ex dictis; quòd forma connaturaliter creata, possit supernaturaliter educi) in eo genere in quo causat, pro diversis instantibus, ergo & pro eodem: Probatur consequentia, quia causalitas & recausalitas non alligantur instanti reali vel rationis, magis quàm effectus & reeffectus; & illa, quæ hoc instanti reali vel rationis dicitur recausalitas, in instanti priori fuisset causalitas simpliciter suæ causæ quoad esse negativè primum.

LXXXXV. Confirmatur 2°. causalitas sive productio quoad primum esse, & recausalitas sive productio ejusdem quoad secundum esse, sunt ejusdem perfectionis & intrinsecæ entitatis; sed potest dari supernaturaliter recausalitas suiipsius, ergo, & causalitas suiipsius, ac per consequens potest causa quælibet supernaturaliter, &c.

LXXXXVI. Nec dicas involvi implicantiam in causalitate ejus quoad primum esse, cujus est causalitas; eò videlicet, quòd idem sit prius seipso quoad primum esse, præsupponatur sibiipsi quoad primum esse, sit aptum concipi ante suam causalitatem, & non sit, &c. quæ non sequitur in recausalitate, saltem quoad idem esse; sed tantùm esse priùs quoad primum esse, seipso quoad secundum esse, &c. ne id dicas, inquam, quia in causalitate dicta non sequitur, quòd idem sit futurum priùs seipso quoad primum esse, præsupponendum sibiipsi quoad primum esse, fore aptum concipi ante suam causalitatem, & non fore, &c. nam fusè supra ostendimus in his apertè supponi falsum, & solùm sequi causalitatem fore causalitatem, in idipsum à quo egreditur, sive cujus est causalitas, quod posse fieri probavimus; quia causalitas in effectum non debet in aliquo instanti, sive reali, sive rationis, esse posterior, aut postponi causæ à qua eodem instanti causatur, aut non posse concipi non conceptâ causâ, & causam posse concipi illâ non cōceptâ, sed solùm debet illa ipsi cōmunicare esse.

LXXXXVII. Nec instes, si hoc sufficiat, non erit ratio, cur in causis naturalibus univocis unum sit potiùs causa, quàm aliud, & cur effectus non sit causa. Quia illud erit causa, quod erit priùs tempore introducens dispositiones ad formam introducendam, prout naturaliter introducunt omnes causæ secundæ.

LXXXXVIII. Dixi in conclusione, *causa, &c. potest supernaturaliter sibi dare primum esse*, &c. 1o. quia si naturaliter posset sibi dare primum esse, frustra ignis A. introduceret dispositiones in ligno ad producendum ignem B. quia illum non produceret, sed ignis B. seipsum, & sic de aliis: 2°. quia ignis & actio per quam daret sibi primum esse, æquè essent indeterminata ad existere, ergo debent aliunde à causa materiali determinari ad existere. 3°. non potest causa naturaliter accipere primum esse à suo effectu, ut patet ex Dubio 3°. ergo à fortiori sibi ipsi illud dare non potest.

LXXXXIX. Objicies 2°. nihil indeterminatum & indifferens ad existere, vel non existere, potest determinari ad existere, nisi per aliquid realiter determinatum ad existere; sed si causa accipiat primum esse à suo effectu vel causalitate propria, unum non erit magis determinatum ad existere, quàm aliud, ergo causa non potest accipere primum esse à suo effectu, vel causalitate propria sive à se egrediente.

C. Confirmatur, actio non potest egredi ab eo quod non est, sed si actio egrederetur à causa, quam quoad primum esse produceret, egrederetur ab eo quod non est, ergo, &c.

CI. Respondeo concessâ majore, negando minorem, quia supponimus causam concomitanter, & in eodem instanti reali & rationis produci à Deo per unam actionem totalem aliam sui productivam, & habere actionem etiam totalem similem illi, quâ produceretur quoad secundum esse, à se manantem, sui similiter productivam; sicut enim non repugnat actionem productivam solis, illuminationem ejus & lucem, concomitanter & eodem instanti reali & rationis naturaliter esse; ita non repugnat illam (saltem supernaturaliter) concomitanter & eodem instanti reali & rationis esse: nam tota repugnantia hujus maximè petitur ex superfluitate actionis secundæ totalis, per quam causa produceretur, & quâ acciperet esse, quod aliundè haberet, quam superfluitatem, Deus potentiâ suâ absolutâ vincere potest.

Ad Confirmationem

CII. Respondeo concessâ majore, quia quod non habet existere, non potest determinare ad existere, distinguendo minorem: sed si actio egrederetur à causa, quam quoad primum esse produceret, egrederetur ab eo quod non est antecedenter, concedo minorem: ab eo quod non est concomitanter, & per actionem totalem Dei determinantis ipsum ad existere, & simul per actionem aliam totalem ipsiusmet quoad primum esse productivam, nego minorem; quòd autem non debeat egredi ab eo, quod antecedenter existit, centies monstratum est.

CIII. Instabis ex P. Poncio Physicæ lib. 2°. Disp. 11ª. illa secunda actio totalis esset omnino superflua & otiosa, quia per illam solam non posset effectus poni, & effectus æquè benè, & æquè necessariò fieret per aliam solam actionem Dei, quàm per secundam simul cum illa, ergo, &c.

CIV. Resp. negando antecedens: ad ejus probationem, verum quidem est, quòd per illam solam non posset poni effectus, quia cum ipsa & effectus non necessariò sint, sed contingenter, debent determinari ad esse ab alia causa existente; posset tamen effectus per illam solam conservari, quia semel determinata ad existere, & habens existere, non est cur ipsa secunda actio pereat pereunte primâ, quia ab illa non habet esse; nec est etiam, cur pereat causa, à qua egreditur, quia illa habet esse, etiam totale, ab hac secunda actione, ut suppono, ex quo patet; quòd

quòd causa non æquè benè fieret per solam primam actionem, quàm per utramque.

CV. Vrgebis, saltem sequitur, quòd actio rei à re emanans non sit nisi conservatio rei jam per Deũ productæ, ac proinde quòd non det primum esse, sed esse conservatum & secundum, ergo, &c. Probatur assumptum, quia actio quâ Deus rem producit, est re prior naturâ: actio verò quâ res seipsam producit, est re naturâ posterior; repugnat autem actionem esse re naturâ posteriorem, & tamen esse concomitanter (quod requiritur ut ad primum esse rei, prout contra esse conservatum & secundum distinguitur, & non solùm ad secundum, terminetur) cùm rei productione, quæ sit in priori, quàm res sit, ergo, &c.

CVI. Resp. negando assumptum, quia ad hoc ut actio terminetur ad esse conservatũ, debet res priùs in aliquo instanti reali vel rationis extitisse, quod hic non fit, quia sic actio rei à re emanans ad rem terminatur, ut sit eodem indivisibili instanti intrinsecè objectivè, quo est prima ejusdem à Deo productio, licèt dicatur naturâ posterior illa, quatenus ab ea tanquam causa emanat, ut supra vidimus: unde ad probationem assumpti patet; quid autem alii, qui prioritatem naturæ explicant per prioritatem instantis objectivè distincti ab instanti posterioritatis naturæ, solidè respondere possint, non satis apparet, nisi fateantur rem ab illa secunda actione non accipere primò esse & esse primum, sed secundò & esse secundum, sive conservatum, prout opponitur primò incipienti.

CVII. Objicies 1°. Patres & Doctores Scholastici omnes inferunt distinctionem realem Personarum in divinis ex Relatione producentis, quæ est in una Persona respectu alius; sed si idem posset seipsum producere non rectè inferrent, ergo, &c.

CVIII. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem, sed si idem in increatis seu divinis posset seipsum producere, non rectè inferrent, concedo minorem; si idem in creatis tantùm, & non in divinis, posset seipsum producere, non rectè inferrent, nego minorem: quòd verò idem possit in creatis seipsum producere fusè probatum est, nec hìc valet sequela à creatis ad divina, ut statim patebit: quòd autem in increatis seu divinis idem non possit seipsum producere, Ratio est, quia vel id fieret supernaturaliter, vel naturaliter, ac proinde necessariò, quia omnes actiones Dei ad intra & naturales, sunt necessariæ? non primum, quia non datur causa potentior personâ divinâ, quæ illam ad effectum supra vires suas elevet, quod requireretur: non etiam secundum, 1°. quia illa productio naturalis sui ipsius esset omnino superflua & otiosa, sicut secunda productio Filii à Patre & secunda productio Spiritus sancti à Patre, & Filio, & sic de qualibet actione naturali secundò productiva totaliter ejusdem effectus: 2°. Pater esset magis, vel saltem æquè potens, ut Filium Secundò produceret, quàm ut se produceret, ut fatebuntur omnes, ergo si se naturaliter, ac proindè necessariò produceret, quidni & Filium secundò produceret: 3°. si se naturaliter produceret, & secundò Filium, quidni infinities? in quo est superfluitas, ut patet: 4°. si una persona seipsam produceret, quidni & sibi similem à se solo numero distinctam, imò & infinitas tales, produxit, quòd est hæreticum: 5°. denique in divinis effectus, nec supernaturaliter, nec naturaliter producit suam causam, ergo nec seipsum: consequentia patet, quia in creatis solùm inferimus idem posse producere seipsum, quia à suo effectu supernaturaliter produci potest quoad primum esse: antecedens est de fide.

CIX. Objicies 4°. Sancti Patres dicunt esse impossibile idem, tam in creatis, quàm in divinis producere seipsum, puta quoad primum esse, ergo non tantùm in divinis, sed nec in creatis idem potest producere seipsum: Probatur antecedens 1°. ex Athanasio lib. 2°. de Propriis personis, *nemo sibiipsi Pater, Pater est:* 2°. ex Epiphanio hæresi 57. *si Pater est, seipsum generare impossibile est:* 3°. ex sancto Cyrillo Alexandrino lib. 1°. in Ioannem c. 2°. *necessariò à generante genitum reipsâ distinguitur:* 4°. ex Hilario lib. de Synodis post octavum Canonem Orientalium *cùm non possit nisi alius, atque alius esse generans & genitus:* 5°. ex Augustino lib. 1°. de Trinitate, cap. 1°. *qui putant ejus potentiæ esse Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errant, quòd non solùm Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura; nulla enim res seipsam gignit, ut sit;* ergo, &c.

CX. Respondeo idem in divinis non posse producere seipsum, esse sufficienter probatum Responsione ad objectionem tertiam: pro creatis autem distinguo antecedens, Sancti Patres dicunt esse impossibile idem non productum à Deo concomitanter, & eodem indivisibili instanti, sive reali, sive rationis, seipsum producere, concedo antecedens; & ratio hujus sumitur ex objectione secunda, nec aliud possunt velle sancti Patres citati: productum à Deo concomitanter, &c. nego antecedens; nam id posse fieri clarè patet ex Resolutione hac & præcedente: unde dic Patres loqui de potentia ordinaria, non verò de absoluta. Ex his

CXI. Colliges aliquid divinitus posse seipsum primò producere, & primum esse dare; sed non posse positivè primam sui productionem ponere, ob rationes supra datas.

DVBIVM V.

An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus.

ANte Resolutionem

CXII. Suppono per causam totalem intelligi eam, quæ talis est, ut, sive præsente, sive absente aliâ causâ, ponat totum effectum, ita scilicet, ut cessante omni aliâ, & ipsâ solâ permanente, permaneat effectus. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

CXIII. DIco 1°. contra omnes Scotistas, nominatim Poncium, & Thomistas frequentius, nominatim nostros Compl. & Cursum Thomistarum, Vasquez in 3. p. Disp. 29. c. 4°. &c. idem numero effectus potest supernaturaliter produci à duabus causis totalibus, sive materialibus, sive formalibus, sive efficientibus, ita Nominales & Cajet. 1. p. q. 52. art. 3°. è Societate Suarez, Valentia, Hurtad. Arriaga, Oviedus, &c.

CXIV. Probatur, quia possunt 1°. duæ causæ materiales supernaturaliter sustentare eandem formã: 2°. duæ formæ possunt supernaturaliter informare unam materiam: 3°. duo ignes tertium producere possunt supernaturaliter per actiones non attemperatas, sed totales, eo modo, quo ab invicem separati illum producerent, ergo, &c. consequentia patet: probatur antecedens, quia

quia id omnipotentiam Dei commendat, nec apparet ulla in eo repugnantia : non inprimis ex parte causarum, quia cum quælibet seorsim ponerent actionem totalem, poterit saltem supernaturaliter conjunctim cum altera causa, illam non attemperare, & totalem ponere : Deinde neque ex parte effectus, quia actiones non sunt ipsius, sed causarum; unde indifferens est, ut unam, vel plures terminet: denique non etiam ex parte actionum, nam licèt una esset superflua attentâ exigentiâ naturæ, est tamen omnino necessaria, ut potentia Dei absoluta redigatur ad actum sibi proportionatum, ergo, &c.

CXVI. Confirmatur 2°. docent Thomistæ communiter formas Sacramentorum & Sacramenta producere Physicè suos effectus supernaturales, ut gratiam, characterem, &c. quo posito, sequitur 1°. quòd si duo simul baptizent, & formam simul absolvant, utrumque tamquam causam totalem simul producturum Physicè gratiam, & characterem: item quòd si plures novelli Sacerdotes circa eundem panem, quem Episcopus manibus tractat, simul absolvant formam Consecrationis, illos tamquam causas totales ibi producturos Corpus Christi, & idem est de aliis simul absolventibus formam, circa diversos, ergo, &c.

CXVII. Nec dicas illos ibi concursuros tantùm tanquam causas partiales. Id enim mihi parùm probatur; tum quia non accomodant sibi invicem suas intentiones, sed independenter ab invicem agunt; tùm quia non apparet cur independenter ab invicem totaliter agere non possint.

CXVIII. Si respondeas 1°. alioqui fore, ut cæteræ, præter unam actionem totalem, forent superfluæ. 2°. quòd ille effectus ab una quidem causa penderet, à cæteris verò penderet, & non penderet; penderet, quia ab illis acciperet esse; non penderet, quia adhuc illis cessantibus, permaneret in esse : Sed

CXIX. Contra primum est, quòd cæteræ actiones forent adhuc utiles 1°. conditionatè & provisionaliter, ut res perseveraret in esse, casu quo illa una alia actio totalis desineret esse : 2°. absolutè ad exercitium proportionatum omnipotentiæ Divinæ. 3°. forent adhuc utiles, ad hoc ut duæ causæ totales rem producerent, licèt non forent absolutè necessariæ, ut res foret & existeret simpliciter. 4°. ut res firmius consisteret.

CXX. Contra secundum etiam est, quòd à cæteris penderet, id est, esse acciperet, quamdiu simul eum causarent, licèt ab illis hoc sensu non penderet, quòd illis desinentibus necessariò desineret; sed hæc dependentia effectus à causa, non est absolutè necessaria, ut patet.

CXXI. Objicies tamen: una actio non potest pendere à duabus causis totalibus, ergo nec idem effectus. Probatur consequentia à pari.

CXXII. Respondeo 1°. negando consequentiam, quia causa non potest denominari totalis, nisi ejus influxus & actio sit totalis; totalis autem esse non potest, si partialiter sit ab altera causa; nam tunc respectu singularum causarum, est partialis partialitate causæ, ut consideranti statim patebit.

CXXIII. Respondeo 2°. negando antecedens; sicut enim unio in sententia illam distinguentium à sua productione, potest à materia & forma tamquam causis materialibus totalibus per Deum pendere, in eo enim nulla repugnantia; ita non apparet, cur una actio non possit similiter esse à duabus causis totalibus efficientibus : nec refert, quòd non posset manere alterutrâ causâ cessante, quia idem cõtingeret in unione in casu præfato; quod tamẽ non est refundendum in eo, quòd actio partialiter tantùm ab utraque causa egrediatur, & unio in utraque partialiter tantùm recipiatur; quia contrarium supponitur; sed in eo quòd sint modi, qui non possunt existere sine suis modificatis; idque solùm verum puto de modificatis intrinsecis, non verò de extrinsecis, ut actione respectu agentis; unde alterutrâ causâ cessante, adhuc actio maneret.

Resolutio II.

CXXIV. Dico 2°. idem numero effectus potest naturaliter produci à duabus causis totalibus, sive materialibus, si supponas earum aliquam dari penetrationem naturaliter; sive formalibus; sive efficientibus : videtur esse Nominalium, Aversæ q. 16. sect. 5ª. & Hurtadi Disp. 13ª. de Anima sect. 7. contra Scotistas, Oviedũ, nostros Complutenses, & alios quos citant: item contra Ægyptum lib. 2°. de beatitudine tomo 1°. quæst. 5ª. art. 2°. ubi asserit suam conclusionem esse indubitatam apud omnes, non legerat putem præfatos Nominales.

CXXV. Probatur, quia nulla est repugnantia inprimis ex parte causarum; nam, si duæ causæ materiales se penetrent, ut materia & forma respectu unionis distinctæ ab actione in multorum sententia, non est ratio, cur una potiùs formam recipiat, quàm alia : 2°. si duæ formæ totales simul sint in eadem materia, non est ratio, cur una suum effectum formalem tribuat, & alia non. 3°. si duo ignes eidem stuppæ applicentur, non est ratio, cur potiùs unus, quàm alius eam comburat, ergo, &c.

CXXVI. Nec dicas cum P. Arriaga alterutram attemperaturam suam causalitatem, ne alterutra sit futura superflua; quia, (præterquam quòd causa materialis non habeat causalitatem sive influxum præter seipsam, quem attemperet, & seipsam attemperare non possit) cum una ex illis causis non cognoscat alteram agere, non est, unde excitetur ad attemperandam suam causalitatem: deinde, sicut neutra causa est indifferens ad agendum, vel non agendum jam positis omnibus ad agendum requisitis, ita nec est indifferens ad agendum totaliter vel partialiter, ac per consequens, nec ad attemperandam suam causalitatem, jam positis omnibus ad agendum totaliter requisitis; dicere autem, quòd unum è requisitis sit, ut alterum agens non coagat totaliter, non est rationi conforme; 1°. quia unum agens non tollit vires alterius, sed potiùs auget; 2°. quia sicut unum è requisitis ut materia formam totalem recipiat, non est ut alteram totalem non recipiat, ut constat ex dictis lib. 1°. Disp. 3ª. Dub. 3°. ita nec ut agens totale agat, est unum è requisitis ut alterum agens non agat totaliter.

CXXVII. Prosecutio probationis conclusionis. Deinde nulla repugnantia est ex parte effectuum, nam causalitates non sunt ipsius; unde indifferens est (ut dubio superiori dicebamus) ut unam, vel plures terminet.

CXXVIII. Nec dicas cum P. Oviedo Physicæ controvers. 7ª. puncto 7°. quòd sicut causa numquam determinatur ex speciali Dei Decreto ad recipiendum aut producẽdum effectum jam corruptum; ita nec

nec ad recipiendū aut producendum effectū, aliunde sufficienter receptum aut productum: nam præterquam quòd hæc repugnātia non sit ex parte causarum, effectus, aut actionum, sed ex voluntate & lege Dei extrinseca tantùm, de primo decreto est communis Patrum & Theologorum sensus, ne resurrectio mortuorum dicatur naturalis: ex nostra verò sententia, id non sequitur, neque ullus Theologorum somniavit Deum decrevisse non concurrere ad secundam receptionem, aut productionem totalem ejusdem rei; unde cùm in eo nulla sit repugnantia naturalis, & videatur experientia docere id fieri naturaliter, non est, cur tale decretum hîc opponatur & prætexatur.

CXXIX. Prosecutio alia probationis. Denique nulla est repugnantia ex parte actionum; nam essent à diversis principiis; sicut enim duæ actiones totales ad duos diversos effectus terminatæ, possunt esse ab uno principio; quia ad hoc nulla est repugnantia naturalis; ita duæ actiones totales à duobus principiis egressæ, possunt esse ad unum effectum, quia ad hoc non est major repugnantia naturalis, quàm ad illud, ergo, &c.

CXXX. Nec dicas cum Oviedo loco citato, actiones totales ejusdem termini opponi in ordine ad terminum communem, ita scilicet, ut una non exigat esse præsente aliâ: nam inprimis non est ratio cur potiùs opponantur in ordine ad terminum communem, quàm in ordine ad principium commune; si enim ita opponantur, ut una non possit esse præsente aliâ ejusdem termini, ita etiam opponentur, ut una non possit esse præsente aliâ ejusdem principii: Deinde non magis opponuntur in ordine ad terminum communem, quàm duæ formæ totales substantiales in ordine ad materiam idem subjectum commune: Denique gratìs dicitur opponi in ordine ad terminum communem, & ratio illius solida non est assignabilis, ut contendimus.

CXXXI. Objicies 1°. *natura nihil agit frustra*; sed una actio totalis esset frustranea, ergo, &c.

CXXXII. Respondeo negando minorem, utilitas enim istius actionis sufficienter patet ex dictis Resolutione 1ª. num. 119.

CXXXIII. Objicies 2°. idem agens non potest diverso tempore eundem effectum producere, sed semper alium numero distinctum producit; ergo diversa agentia totalia simul applicata nequeunt eundem effectum per duas actiones totales producere: Probatur consequentia, quia magis conducit ad diversitatem effectus, diversitas agentis, quàm diversitas temporis, sicut agens magis influit, quàm tempus, ergo, &c.

CXXXIV. Confirmatur, duæ causæ operantes in diversis locis, habent diversos effectus, ergo & illæ, quæ operantur in eodem loco.

CXXXV. Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd sicut experientia docet *simile non agere in prius simile*, sed semper ad assimilandum sibi passum agere, ita *simile prius, non recipit simile*, quod tunc fieret; quia tamen simile potest facere sibi simile, &, si duo similia simul agant ut faciant sibi simile, prius simile non agit in simile, sed agit simile concomitanter, etiam simile concomitanter potest recipere simile.

Ad confirmationem,

CXXXVI. Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis etiam est, quòd ex primo sequeretur effectum eundem esse debere in diversis locis, aut causas frequenter naturaliter agere in distans sine medio, quod ex secundo, sive ex consequentia illa, non sequitur.

CXXXVII. Objicies 3°. sicut naturaliter nequit produci idem effectus, Deo semper concurrente juxta naturæ exigentiam ad diversa individua; sic secundùm eandem naturæ exigentiam Deus semper determinat nova agentia ad producenda diversa individua.

CXXXVIII. Respondeo negando consequentiam; quia licèt quælibet causa, vel ex Dei decreto, vel ex se, dicatur determinata ad tot producendos novos effectus, quot novas productiones est determinata ponere; non ideo est determinata suos effectus sola ponere, ut patet, & contrarium convincunt nostræ supra allatæ probationes, pro casu quo simul duæ causæ totales ponuntur.

DISPVTATIO QVARTA.

De Causis Intrinsecis.

DVBIVM I.

Quid causa intrinseca, & an detur.

1. DIco 1°. causa intrinseca est: quæ effectum causat, seipsam communicando, & eum tamquam partem ejus intrinsecam constituendo. Ita communiter.

RESOLVTIO II.

2. DIco 2°. nulla datur causa intrinseca. est contra omnes, quos legi; puto tamen eam debere esse omnium, qui docent totum non distingui realiter intrinsecè à suis partibus.

3. Probatur, quia, ut constat ex dictis, partes non sunt intrinsecæ toti, sed extrinsece tantùm fundamentaliter & objectivè ipsum constituunt: nec causa materialis est pars intrinseca formæ, quam materialiter causat; alioqui esset causa materialis suiipsius: nec causa formalis est pars intrinseca materiæ, quam causat formaliter; alioqui esset causa formalis suiipsius: nec causa efficiens est pars intrinseca sui effectus; alioqui idem esset causa efficiens suiipsius; sed nihil aliud suppetit, respectu cujus causa sit causa intrinseca, ergo, &c.

4. Confirmatur evidenter, vel causa intrinseca, si detur; est intrinseca toti formaliter? & non sic, quia totalitas, ista utpote quædam plurium unitas, fundatur in conceptu unificante, haud secus quàm naturæ universalis unitas: vel toti materialiter? & non etiam sic, quia ut sic est materia, forma, unio, & nihil præterea, ut supra vidimus, partes

tes autem non sibi invicem pars intrinseca, ac proinde nec causa intrinseca, ergo, &c. vide Resol. 1am Dub. sequentis.

DVBIVM II.

Quid causa materialis & formalis.

Resolutio I.

v. Dico 1°. causa materialis est, quæ communicat esse formæ sustentando, vel ex qua educitur forma, ita scilicet ut eâ præcisè cessante, desinat forma. pro quo vide dicta lib. 1°. Disp. 3a. Dub. 4o.

vi. Nec dicas Aristotelem hoc libro cap. 3°. illam aliter definire, videlicet *ex qua cum insit, aliquid fit*; nam hæc coincidit cùm nostra, & illius sensus est, *ex qua aliquid fit*, id est, forma educitur, *cum insit*, id est, cum forma sit in illa tanquam subjecto eductionis: unde ly *insit*, non significat idem, ac esse per modum partis intrinsecæ in composito; quia sic causa materialis non distingueretur à causa formali, ut consideranti patebit, ac proinde neque ex hac definitione colligi potest Aristotelem agnovisse causam materialem esse causam intrinsecam compositi, in quibus multi decipiuntur.

Resolutio II.

vii. Dico 2°. causa formalis est, quæ communicat esse denominatum subjecto, sive denominando subjectum, vel quæ dat suam denominationem per modum actus potentiæ. Hinc liquet causam formalem posse hãbere causalitatem in materiam, licèt illa esset in genere effectus causæ materialis materiâ posterior; nam causa formalis non debet esse prior suo effectu, sed simul naturâ sunt causa & effectus formalis, sive forma educta & materia informata, ut supra vidimus. Ex his

viii. Colliges causam materialem, & formalem, tam esse causas extrinsecas respectu suorum effectuum, quàm causam efficientem respectu effectus immanentis. pro qua sit

DISPVTATIO QVINTA.

De Causa Efficiente.

DVBIVM I.

Quid Causa efficiens, & quotuplex.

Resolutio I.

i. Dico 1°. causa efficiens est, *quæ communicat esse rei agendo*, sive *per actionem realem*: per ly *agendo* exclude inprimis causam materialem, quæ, ut supra explicuimus, communicat esse sustentando sine ullo influxu, etiam passivo, à se emanante; item causam formalem, quæ etiam sine ullo influxu, & mediâ tantùm unione, communicat esse denominatum: denique finalem, quæ, non per actionem realem, sed intentionalem, communicat esse.

ii. Paulò aliter causam efficientem definit Aristoteles, videlicet, *id unde est primum mutationis principium*; sed coincidit ista causæ efficientis definitio cum nostra, si sub ly *primum* intelligatur ordine executionis, & per ly *mutatio*, intelligatur quælibet actio, tam creativa, quàm eductiva.

Resolutio II.

iii. Dico 2°. causa efficiens dividitur 1°. variis modis Disp. 3a. Dub. 10. recensitis; sed præterea, in principalem & instrumentalem.

iv. Causa principalis, est, *quæ habet virtutem productivam effectus minoris vel æqualis secum perfectionis*, ut ignis respectu caloris, aut alteriùs ignis; Instrumentalis, est, *virtus productiva effectus majoris perfectionis, vel indebiti, licèt minoris perfectionis*: ut calor respectu ignis, aqua baptismalis respectu gratiæ: alii paulò aliter causam instrumentalem accipiunt, 1°. pro omni causa subordinata, quomodo omnis creatura dicitur Dei instrumentum: 2°. pro omni accidente disponente subjectum ad recipiendam formam à causa principali producendam; neque his modis incongruè accipitur; quare etiam acceptionibus his pro occasione uti poteris.

v. Adde, causam instrumentalem rectè assignari triplicem; unam artificialem; aliam naturalem; aliam supernaturalem: artificialis est, *quæ ab arte, vel agente libero assumi solet ad aliquid efficiendum vi suæ quantitatis & figuræ*, ut malleus à fabro, sigillum à Secretario: naturalis est, *quæ vi sui producit effectum majoris perfectionis*: supernaturalis est, *quæ supra vires naturæ suæ elevata, effectum alioqui indebitum producit*, ut aqua baptismalis gratiam.

DVBIVM II.

Quæsit causalitas causæ efficientis, & an sit aliquid realiter distinctum à causa efficiente, termino, & omnibus ad agendum prærequisitis.

Ante Resolutionem

vi. Suppono duplicem assignari debere causalitatem; in actu primo scilicet, & in actu secundo, sicut assignatur duplex causa: uti enim causa in actu primo est causa potens operari, ita causalitas in actu primo est virtus, quâ causa constituitur potens operari: & uti causa in actu secundo est causa actu operans, ita causalitas in actu secundo est actio, seu operatio, à qua causa denominatur actu operans effectum. Hoc supposito, sit

Resolutio II.

vii. Dico 1°. causalitas causæ efficientis in actu primo est virtus, quâ causa constituitur potens operari: in actu secundo, est actio à qua

causa denominatur actu agens sive operans: 1a Pars est communis omnium: 2a, verò est contra Fonsecã 5°. Metaph. q. 13a. Soncinam ibidem q. 4a. Masium hic q. 3a. & PP. nostros Complut. etiã hic Disp. 10.

VIII. Probatur hæc conclusio, tum ex proportione causalitatis ad suam causam, de qua in suppositio: tum quia illis præcisè positis ponitur causa in actu 1°, & causa in actu 2°; nec quidquam aliud commodiùs assignari potest, in quo constituatur causalitas in actu primo, aut in actu secundo, ergo, &c.

IX. Nec dicas cum PP. Complut. illam Actionẽ non tribuere suã denominationem nisi ut exercitã; nam per ly *exercitã* intelligis ipsam ut positã extra causas, præscindendo ab agente quod denominet? & sic loquimur; vel ut positam extra causas & ut concretam cum agente? & sic absurdum dicis; quia, cum ut sic sit ipsum agens concretim sumptum, sequitur, ipsum agens, & nõ ipsam, tribuere suã denominationem: quasi diceres, non albedinẽ, sed albũ, tribuere denominationem albi, quo nihil absurdius.

X. Confirmatur Resol. quoad causalitatẽ in actu 2° sive actionẽ (pro causalitate enim in actu 1°, res clara est:) dum aqua producit frigus in manu, in illa productione quatuor tantùm (exceptis conditionibus) reperiuntur, aqua, frigefactio, frigus & manus; atqui aqua, frigus & manus non sunt ratio formalis, per quam aqua denominatur formaliter in actu 2° frigefaciens, ergo, &c. Probatur minor, quia ista tria possunt esse simul, & tamen aqua nõ esse formaliter in actu 2° frigefaciens; imò nec efficienter, casu quo v.g. frigus produceretur à terra, vel Deo, ergo, &c.

XI. Dices, cessante Actione, causa efficiens denominatur adhuc causa effectus, ut Pater respectu Filii adulti jam diu transactâ generatione, ergo, &c.

XII. Resp. distinguendo antecedens, cessante Actione causa denominatur actu efficiens & participialiter, nego antecedens; denominatur potentia efficiens, seu potiùs effectrix (si generatio sit successiva & non permanens) & nominaliter, eò quòd fecerit aliquando vel facere possit, concedo antecedens; sed hoc modo, Pater est Pater respectu filii adulti, non verò priori modo.

Resolutio II.

XIII. Dico 2°, causalitas eductiva sive eductio (de creatione enim peculiariter infra) est aliquid realiter distinctũ à causa efficiente, termino & omnibus ad agendum prærequisitis. Ita communiùs Scotistæ, & Murcia 2. Phys. Disp. 4a. q. 12. ubi procitat Paulũ Venetum, Aureolum, Valesium, & Ferrarienses. Ita similiter communissimè PP. Societ. præsertim recentiores, contra Nominales, Ocham, Gregor. Aliaco, Rubion. Gabriẽlem, quos sequitur Wadingus de Incarn. Disputat. Procemiali, & ex aliis contra Soncinam 5°. Metaph. q. 4. Iavellum, Sotum, Toletum, &c.

XIV. Probatur 1o Conclusio, unio ex dictis l. 1°. Disp. 6a. Dub. 1o. distinguitur realiter à causa efficiente, materia, forma & conditionibus ibi allatis; ergo & eductio à causa efficiente, termino, &c. consequentia patet, quia eductio est unio; unde sicut formæ non uniuntur seipsis, sed per unionem realiter distinctam, ita nec fiunt seipsis, sed per actionem realiter distinctam, ergo, &c.

XV. Probatur 2°, actus sensuum, voluntatis, intellectus, &c. sunt aliquid realiter distinctũ in omniũ sententia à potentia, objecto, & omnibus conditionibus; ergo & actio à causa efficiente, termino & omnibus conditionibus: consequentia tenet à pari.

XVI. Probatur 3°, in opposita sententiâ dicendum, hanc causam efficientem esse ita determinatam ad hunc numero effectum positis omnibus conditionibus ponendum, ut per Deum impediri non possit; & hunc numero effectum esse ita alligatum ad hanc numero causam, ut ab alia per Deum produci non possit, prout de ipsa actione philosophamur; sed hoc nimiùm Dei potentiam coarctat, & omnino gratis adstruitur, ergo, &c. Probatur major, quia alioqui esset indifferentia in causa ad producendum hunc numero effectum præ alio, & etiam esset indifferentia in effectu ad produci ab hac potius causa, quàm ab alia, quæ per modum *Actionis* tolli deberet, ne transiretur à contradictorio ad contradictorium sinè mutatione, ergo, &c. Probatur minor, quia sic Deus nullos effectus creaturæ posset se solo ponere, magis quàm Actiones creaturarum: deinde, quòd gratis id adstruatur, patet, quia nulla efficax ratio adfertur, quæ id probet.

XVII. Nec dicas 1°, idem dicendum de effectu, quod dicimus de Actione productiva effectus: 2° sic vitari multiplicationem actionum sinè necessitate: nam ad primum (præterquàm quòd hinc sequatur à simili idem etiam dicendũ de forma, ac de unione; ac proinde non dari unionem realiter distinctã, contra dicta supra) non potest dici idem de effectu, ac de Actione; quia de Actione creaturæ dicendum, ilkã ita essentialiter alligari determinato principio, ut per Deum, aut impediri non possit positis causâ & omnibus requisitis, aut à solo Deo pendere, ne detur processus in infinitum, qui non datur, si effectus quicumque non ita alligetur, sive si non sit identificatus Actioni; sed in Actione sistatur: ad secundum verò Resp. isti axiomati de non multiplicandis entibus sinè necessitate, hoc è diametro opponi, *Non sunt alliganda entia essentialiter determinatis principiis sinè necessitate:* vel etiã hoc, *Non sunt augenda entium intrinsecæ perfectiones sine fundamento:* pro quo vide dicta lib. 1°. Disput. 4. Dub. 3°. Adde tamen 1°, hîc esse necessitatem multiplicandi Actiones, ut patet ex Resolutionis probationibus. Adde 2o, quòd idem specie effectus non alligetur ad unam specie causam; ergo nec idem effectus numero ad unam numero causam alligatur. Adde 3°, effectum esse indifferentem, ut fiat per generationẽ à Deo & creatura, vel per creationem à solo Deo, aut à Deo & creatura; ista autem indifferentia tolli non potest, nisi per Actionem ab effectu realiter distinctam. Adde 4° effectum, ignem B. v.g. per te esse indifferentem ut ab igne A. ejus causa 1° productiva pendeat, vel non pendeat; quia per te à solo Deo 2° instanti post ignis A. destructionem conservatur, quod non posset, si entis productio ab igne A, ipso & conditionibus prærequisitis, non distingueretur.

XVIII. Confirmatur conclusio, conditio realis ad agendum, & conditionatũ, sive Actio, distingui debent realiter adæquatè, non secus ac causa realis & effectus; ergo Actio ut summùm identificari potest causæ & effectui; sed causæ nõ identificari potest, ut patet, quia potest esse causa, & non esse effectus, ut homo, qui gignet, non existente filio, ac per consequens nõ existente actione ut terminatâ ad illum effectum: nec etiam effectui; quia potest etiam esse effectus, non existente causâ, ut filius genitus non existente patre, qui genuit, ac per consequens non existente actione ut egrediente ab illa causa: nec etiam utrique; quia potest esse causa hic, & filius mille leucis hinc; sed his casibus non potest intelligi esse Actio

hujus causæ ad hunc numero effectum; ergo Actio non potest identificari causæ, effectui & omnibus conditionibus: adde hôc datò conditiones solùm inservire posse ad hoc, ut causa se denominet causantem, & effectus se effectum, ac proinde solùm debere esse conditiones ad existentiam causæ & effectus (si Actio illis identificetur;) quod est omnino falsum; quia approximatio v.g. & similes conditiones non sunt conditiones ad existentiam causæ & effectus; quia, ut patet ex tertia probatione, potest hîc poni causa, & Romæ effectus, ergo, &c.

XIX. Probat aliter P. Oviedus Physicæ controv. 12ª. p. 1ª. Actionem non posse identificari causæ, ratione sumptâ (inquit) ex scriptis Doctissimi Societatis Magistri: vel illa entitas, quæ simul est causa & productio, dependet à Deo per seipsam, vel per aliam actionem: si per aliam actionem, Actio non est, quia actionis non datur Actio: si per seipsam; ergo est pura productio, & non causa. Sed

XX. Contra 1°, paulò infra docet P. Oviedus, posse componi Actionem & Passionem cum identitate termini: infero contra eundem; ergo & cum identitate causæ: deinde retorqueo totum argumentum allatum in actionem identificatam termino; vel illa entitas, quæ simul est productio & terminus, dependet à causa per seipsam, vel per aliam actionem: si per aliam actionem, Actio non est, quia actionis non datur Actio: si per seipsam; ergo est pura productio, & non effectus.

XXI. Contra 2°, dic illam pendere à Deo per seipsam, sicut in dicta sententia P. Oviedi penderet effectus à causa; non tamen fore puram actionem, magis quàm foret ille effectus, aut magis quàm sit Pater in Divinis respectu Filii, quem per seipsum sinè generatione inter utrumque media realiter producit; quia videlicet multas perfectiones includeret, quas non includit Actio modus.

XXII. Objicies tamen 1°, modus tantùm ponitur ad tollendam indifferentiam, quam habet modificatum ad aliquem effectum formalem; sed modus Actionis non tollit indifferentiam ignis v.g. ad calefaciendum; ergo est frustraneus probatur minor, quia positis omnibus ad calefaciendum requisitis, & inter illa concursu Dei in actu primo sinè ullo impedimento ad actum secundum, quod importat concursus in actu primo, ignis utpote causa necessaria, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, necessariò agit, non est indifferens ad calefaciendum, vel non calefaciendum, ergo, &c.

XXIII. Respondeo præterquàm quòd hæc objectio solùm militet contra actionem causæ necessariæ, & non contra actionem causæ liberæ, quæ positis omnibus ad eligendum requisitis potest agere & non agere, negando minorem: ad ejus probationem; distinguo antecedens; positis omnibus, &c. ignis non est indifferens indifferentiâ oppositâ determinationi radicali ad calefaciendum, concedo antecedens: indifferentiâ oppositâ determinationi formali ad calefaciendum, nego antecedens: determinatio autem formalis est, id quo præcisè posito habetur effectus formalis, & quo præcisè ablato tollitur, ut albedo respectu albi: determinatio verò radicalis, est id, ad quod præcisè positû necessariò sequitur id, quod tribuit effectum formalem: unde causa necessaria, positis omnibus ad agendû requisitis, & inter illa concursu Dei in actu primo sinè ullo impedimento ad actû secundum, necessariò quidem agit consecutivè, non tamen hoc ipso formaliter: ille enim concursus Dei in actu primo nõ impeditus ad actum secundum, & cætera ad agendum requisita, non sunt forma, per quã causa necessaria cõstituitur formaliter agẽs in actu 2°. Vnde si Deus efficaciter vellet corvum jam esse album, corvus, nõ posset non esse consecutivè albus; non esset tamen formaliter albus, per istam Dei voluntatẽ efficacem; sed per formam albedinis, quæ est objectum istius voluntatatis, & deberet consecutivè in corvo poni.

XXIV. Objicies 2°, optimè intelligitur forma potiùs corrumpi ab hac causa, quàm ab illa, sinè modo corruptionis superaddito; ergo similiter optimè intelligitur effectus potiùs produci ab hac causa, quàm ab illa, sinè modo productionis, sive Actionis, superaddito. Pro solutione hujus argumenti

XXV. Nota causam corruptivam esse duplicem, unam directè, & est, *Quæ corrumpit per substractionem concursus conservativi*; aliam indirectè, & est, *Quæ corrumpit per improductionem formæ incompatibilis in eodem subjecto*, vel *per interpositionem obstaculi ad actionem conservativam*. Hoc notato,

XXVI. Resp. negando consequentiam; est enim disparitas, quòd corruptio & productio sint formæ contradictoriè oppositæ, unde intelliguntur esse modis oppositis: vel enim corruptio est directa, & est privatio entis, per quam numquam intelliges productionem: vel indirecta, & fit per productionem antecedenter formæ incompatibilis, vel obstaculi, &c. Deo vel aliâ causâ consequenter substrahente concursum conservativum; & sic ex oppositâ ratione (quia oppositorum oppositæ est ratio) productio fit per productionem dispositionum antecedenter, & remotionem obstaculi ad effectum, Deo vel aliâ causâ consequenter ponente concursum productivum, sive productionem formalem.

DVBIVM III.

An, & quomodo Actio & Passio inter se differant; & in quo subjecto sit Actio modus.

ANte Resolutionem

XXVII. Suppono, Passionem sumi dupliciter: 1°, impropriè, & magis grammaticaliter, profitione, sive receptione, esse ab agente quomodocumque, id est, tam per creationem, quàm per eductionem: 2°, propriè & magis ad mentem Philosophorum, pro receptione formæ in subjecto sustentationis, sive eductionis: si Passio sumatur 1° modo effectus dicitur passum; si 2°, solum subjectum passum dicitur. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO I.

XXVIII. DIco 1°, Actio & Passio 1° modo, sive pro fitione, sumptæ, non distinguuntur realiter.

XXIX. Probatur, quia vox activa & passiva in rigore sermonis solò modò exprimendi differre debent, ergo, &c. Probatur antecedens, quia sicut eodem amore, quo pater amat filium, filius amatur à patre, ita eâdem generatione, quâ pater generat filium, filius generatur à patre, & sic de quolibet alio; nam per idipsum, quo agens rem facit, res fit ab agente, ergo, &c.

XXX. Subsumo, sed id quo Pater amat, generat, aut facit, est Actio, & id quo filius amatur, generatur, aut fit, est Passio 1° modo, sive pro fitione, sumpta, ergo, &c.

XXXI. Non puto ullos esse qui in re hanc negent; unde cum P. Hurtad. Disp. 16. Metaph. Sect. 4ª. nihil aliud (licèt fusè) probet, adversarios non habet.

RE-

RESOLUTIO II.

XXXII. DIco 2°, contra Scotistas communiter, & Antonium Andreas lib. de 5. principiis quæst. 9ª. PP. nostros Complut. P. Ioan. à S. Thoma, & multos Thomistas, quos hîc citant. Actio & Passio 2° modo sive pro receptione formæ in subjecto sustentationis sumptâ, non distinguuntur realiter. Ita noster Bacho in 2. dist. 34. q. 1. art. 2°. §°. 2°. & alii, ut Rubio hîc Tract. 1°. q. 7. Masius & PP. Societatis communiter.

XXXIII. Probatur 1°, authoritate Aristotelis, qui hoc lib. c. 3°. Textu 18°. ait, *Actus est unus amborum*, scilicet quod movet & movetur, sive agentis & passi; unde infra docet Actionem & Passionem non aliter differre, quàm acclive & declive, quàm *viam Thebis Athenas; & Athenis Thebas*, quorum unum non potest concipi sinè alio, licèt diversimode concepto, ut patet, ergo, &c.

XXXIV. Probatur 2°, eodem modo se habet Actio transiens ad agens, sicut se habet cognitio ad objectū; sed, eâdē entitate cognitionis, vivens cognoscit objectū, & objectū extrinsecè denominatur cognitum; ergo & eâdē entitate Actionis transeuntis Passum patitur, & agēs denominatur extrinsecè agens.

XXXV. Probatur 3°, Actio eductiva est ultima & actualis determinatio in ratione agendi, & in ratione recipiendi; ergo Actio & Passio ut receptio, &c. non distinguuntur realiter: probatur antecedens, quia si Actio non esset ultima & actualis determinatio in ratione recipiendi, neque receptio esset ultima & actualis determinatio in ratione agendi; unde deberet Actio recipi per Passionem ut receptionem realiter distinctam, & hæc fieri per Actionem realiter distinctam, & hæc iterum recipi per Passionem, ut receptionem, realiter distinctam, & sic in infinitum; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

XXXVI. Confirmatur, non sunt multiplicanda entia sinè necessitate; sed hoc alioqui fieret, ergo, &c. Probatur sequela, quia sicut una entitas unionis sufficit ad unienda duo extrema, una entitas visionis ad videre & videri, ita una Actio ad agere & pati sive recipi, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

XXXVII. DIco 3°, Actio & Passio utroq; modo sumpta, differunt conceptu formali.

XXXVIII. Probatur clarè ex Aristotele supra; sunt enim quidem eadem omnino connotata, sed diverso modo concepta; nam sicut declivé est respectus sursum ad deorsum, & acclive deorsum ad sursum; ita Actio est respectus agentis ad passum, Passio Passi ad agens, ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

XXXIX. DIco 4°, Actio eductiva modus (de qua hîc, & non de creatione, quæ non habet subjectum sustentationis; nec etiam de relatione prædicamentali agentis ad passum, quomodo plerique, qui illam ponunt in agente, eam sumunt) non est in agente aut effectu sustentativè, sed in passo, sive subjecto ipsius effectus; ita noster Bacho in 2^um. Dist. 34. q. 1ª. art. 3°. PP. nostri Complut. hîc Disp. 17. q. 4. & plurimi, quos citant è Thomistis antiquioribus & junioribus contra Scotistas communissimè.

XL. Probatur 1ª Pars, ab omnibus communiter ex Aristotele; quia *necesse non est movens moveri*, & alioqui Deus agendo, sive movendo per eductionem, moveretur sive mutaretur: verùm fortè Aristoteles per hoc nihil aliud vult, quàm dari unum primum motorem; quod verò additur, fore ut Deus movendo per eductionem mutaretur, falsum est; quia immutabile, quod de novo recipit, non magis recipiendo mutatur, quàm imperfectibile, quod de novo unitur, ut Verbum respectu humanitatis, uniendo se, mutetur. Quare aliter

XLI. Probatur conclusio, Actio eductiva est fitio formæ in subjecto sustentationis, sive dependentia formæ à subjecto sustentationis; ergo est in passo sustentativè, sive tamquam in subjecto sustentationis; probatur consequentia 1°, quia in eo maximè distinguitur à creatione, quæ tantùm est in passo tamquàm subjecto adhæsionis, id est intimè præsente, ut patet in creatione animæ rationalis: 2°, quia alioqui, vel esset sustentativè in agente? & hoc non, quia transiens plerumque: vel in termino? & hoc etiam non, quia alioqui posset conservare formam eductam extra subjectum naturaliter, non secus ac conservat creatio animam rationalem præcisè, quia non est in corpore tamquam subjecto sustentationis, ergo, &c.

XLII. Probant Hurtadus, Arriaga, Oviedus & alii communiter, actionem eductivam non posse esse in termino, sive effectu, sustentativè, quia alioqui terminus, sive effectus, esset prior naturâ actione, per quam fieret, quâ, utpote se tenente ex parte causæ efficientis, debet esse posterior; verùm hæc probatio jam supra rejecta est, nec video, cur effectus non possit esse posterior naturâ in genere effectus causæ efficientis, actione per quam fit, & prior naturâ eâdem actione in genere causæ materialis; quia id nihil aliud est, ut toties supra dictum est, quàm effectum causæ efficientis sustentare, sive subjectare actionem per quam fit, quàm actionem & effectum esse simul naturâ in diverso genere, &c. quod omnes admittere debent quoad duplex genus causæ, efficientis scilicet & formalis, in dicta actione & effectu; quidni & in duplici genere causæ efficientis & materialis? cum contra actionem non militent rationes supra allatæ ad quæstionem, *Cur naturaliter materia & forma non se causent in genere causæ materialis & efficientis.*

XLIII. Objicies, actiones immanentes sunt in agente, & transeuntes non denominant passum agens, ergo transeuntes non sunt in passo.

XLIV. Respondeo distinguendo antecedens pro 1ª parte, actiones immanentes sunt in agente ut agente formaliter, nego antecedens; ut passo formaliter & ut agente materialiter, concedo antecedens: deinde transeat antecedens, nego consequentiam; est enim dispar ratio; quia dici potest actiones illas simul esse in agente & passo, cum sit intrinsecè eadem entitas agentis & passi respectu illarum, quod dici non potest de transeuntibus, quia respectu illarum diversa est realiter entitas agentis & passi: actionem autem immanentem voco illam, quæ manet in agente; transeuntem, quæ transit ad passum realiter ab agente distinctum.

XLV. Respondeo 2°, distinguendo etiam antecedens pro 2ª parte; actiones transeuntes non denominant passum agens materialiter, id est habens intrinsecè sive patiens intrinsecè actionem, nego antecedens: non denominant passum agens formaliter, concedo antecedens; nec mirum, quia esse agens formaliter actione transeunte est denominatio extrinseca, quæ convenire non potest subjecto, cui forma est intrinseca; unde à cognitione & visione parietis anima non est cognita, vel

oculus visus : ex his patet actionem transeuntem, non esse perfectionem intrinsecam agentis, sed extrinsecam.

DVBIVM IV.

Vnde Specificentur actiones tam immanentes quàm transeuntes.

ANtè Resolutionem, quæ mihi obscura & difficilis admodum videtur,

XLVI. Suppono 1°, contra P. Oviedum de anima controv. 15ª. specificare hîc non sumi, prout idem est, ac rei speciem facere ; quia cum non detur species ante intellectum, id soli intentioni specificanti convenire potest ; sed rem speciei alicujus facere, seu ad esse alicujus speciei determinare ; de quo latius infra ; unde specificatio est determinatio ad esse talis speciei, potiùs quàm alterius.

XLVII. Suppono 2°, eundem Oviedum ex hypothesi falsa causalitatis intrinsecæ & extrinsecæ, partiri specificationem in intrinsecam & extrinsecam; 1° quia, sicut nulla datur specificatio intrinseca, eò quòd nulla detur causa intrinseca (puta per modum partis intrinsecæ, de qua loquitur; ita nulla datur specificatio intrinseca, eò quòd nullum detur specificativum intrinsecum (puta per modum partis specificativæ intrinsecæ;) nam omnia omnino argumenta, quæ supra attulimus contra causam intrinsecam, per modum partis intrinsecæ, hic militant contra specificativum intrinsecum per modum partis specificativæ intrinsecæ, ut statim patebit consideranti ; sed maximè, si attendatur, juxta præfatum authorem, specificativum verè esse causam specificati: 2°, quia specificatio activa & passiva, secundùm ipsum & nos supra, solâ ratione distinguuntur; sicut autem nullum datur prædicatum passivè generificatum intrinsecè, sed extrinsecè & per mentem tantùm, ita nullum datur prædicatum passivè specificatum intrinsecè, sed extrinsecè & per mentem tantùm: 3°, quia specificatio est determinatio ad esse istius speciei, potiùs quàm alterius; debet autem illa esse extrinseca, non secus ac generificatio, sive determinatio ad esse istius generis, potiùs quàm alterius, ut omnes fateri tenentur. Hinc

XLVIII. Suppono 3°, specificationem meliùs dividi in formalem & fundamentalem: formalis est ipsa specieitas, sive prima intentio formalis specificans, & hæc est omnino extrinseca, ut patet: fundamentalis est entitas cujuslibet rei apta per talem intentionem concipi, quæ nulli est intrinseca per modum partis, sive componentis, sive specificantis; quia, quælibet entitas est intrinsecè indivisibilis, sive non habet diversa prædicata intrinseca, ut clarè patet in homine: vel enim ly *homo* sumitur ut unum formaliter ? & tunc est realiter ipsa cognitio corporis, animæ rationalis, & unionis inter illa, per modum unius; vel fundamentaliter? & tunc nihil aliud est, quàm corpus, anima rationalis, & unio; illa autem non sunt sibi mutuò prædicata intrinseca per modum partis intrinsecæ, licèt sint per modum formæ sese denominantis contingenter; sed secundùm se & seorsim, sunt res realiter & objectivè simplices ac indivisibiles, ut cõstat ex dictis in Log. Tract. 1°. Disp. 2ª. de præcis. objectivis, quam etiã sententiam defendit P. Oviedus; unde non possum satis mirari, quomodo loco citato dicat dari posse potentiam visivam superadditam in homine & equo, quæ specificetur ab homine & equo, non secundùm rationes specificas uniuscujusque, sed secundùm rationem communem animalis: vel enim vult illas rationes genericam & specificam esse intrinsecè in homine & equo? & hoc non potest, quia (præterquam quòd Logicæ contr. 5ª. punct. 3°. n. 1o. & de Anima contr. 1ª. punct. 8°. n. 20. dicat esse extrinsecas, & speciem esse entitatem simplicissimam omnis corporis expertem; unde sibi apertè contradiceret) jam essent intrinsecè indivisibiliter idem, ac proinde si potentia illa visiva specificetur secundùm unam rationem, specificatur & secundùm aliam ; vel vult illas esse extrinsecas? & tunc illa potentia visiva non specificatur ab homine & equo, sed à tali v. g. generica cognitione hominis & equi, quod procul dubio non somniabit.

XLIX. Suppono 4°, actionem rectè dividi in creationem, generationem, accretionem, alterationem, & motum localem : creatio autem & generatio ad substantiam aut accidens indifferenter terminantur ; accretio ad quantitatem ; alteratio ad qualitatem; motus localis ad ubi: eadem tamen numero actio potest terminari ad diversos specie terminos, haud secus quàm visio ad albedinem & nigredinem ; eadem unio ad corpus & animam, ut patet. His autem suppositis, sit

RESOLVTIO I.

Rejiciuntur Sententiæ communes.

L. DIco 1°, actiones & relationes non specificantur à terminis tamquam signis, sive etiam hoc sensu, quòd ubi est terminus specie diversus, necessariò etiam sit diversa specie actio, quod ferè omnes communiter.

LI. Probatur 1°, quia sicut ab una indivisibili potentia possunt esse duo effectus specie diversi, ut ab eodem intellectu assensus & dissensus, ab eadem voluntate amor & odium ; ita, saltem per Deum (quod sufficit) ab una actione indivisibili duo termini, sive effectus specie diversi.

LII. Nec dicas istam potentiam esse tantùm numero indivisibilem, & non specie; in se enim (inquies) virtualiter est tot specierum, quot habet specie distinctos effectus; ne id, inquam, dicas; quia si eadem entitas intrinsecè objectivè indivisibilis (quales esse res omnes realiter simplices supponimus ex dictis in Logica Tract. 1°. Disp. 2.) per te possit respicere effectus aut terminos specie distinctos, ut in se maneat intrinsecè objectivè indivisibilis, quidni idem poterunt duæ res intrinsecè objectivè diversæ, & solo numero distinctæ, sic ut maneant tales ?

LIII. Subsumo, sed à fortiori à duabus potentiis solo numero distinctis, possunt esse duo effectus specie distincti, ut ab intellectu Petri assensus, & ab intellectu Pauli dissensus, ut patet; ergo etiam à fortiori à duabus actionibus solo numero distinctis, possunt esse duo termini, sive effectus specie diversi; ergo actiones non specificantur à terminis, &c.

LIV. Nec dicas esse disparitatem, quòd actiones sint modi ; potentiæ verò res : quia quòd actiones sunt modi, & non res, ut summùm concludit aliam esse numero actionem, quæ terminatur ad effectum specie distinctum ab effectu alterius; quia videlicet mutato quoad numerum modificato, quod tunc necessariò fit, quoad numerum mutatur modus; non verò concludit esse specie distinctam actionem.

LV. Nec instes cum Arriaga Phys. Disp. 9ª. n. 66. & 70. Actiones illæ habent respectum essentialem ad duos terminos, sive effectus, specie diversos; ergo

go habent etiam respectum specie diversum; quia respectus diversificatur specie ex diversitate termini; sed ille respectus est idem realiter cum ipsis actionibus; ergo hæ sunt inter se specie diversæ. Multa enim continet falsa hæc Instantia, 1°, quòd respectus intrinsecus diversificetur, specie ex diversitate specifica termini (quomodo intelligi debet, alioqui nihil concluderet) cujus contrarium jam est in quæstione, & inde sequitur causam esse specie intrinsecâ diversam pro singulis specie diversis potentiis, & potentias esse intrinsecâ specie diversas pro singulis effectibus specie diversis, quod ex hac & sequenti resolutione patebit omnino esse falsum: 2°, quia respectus ille essentialis non est ad terminos ut ab aliis specie diversos, sed ut ab aliis solo numero diversos; nam respectus ille, sive alligatio illa essentialis est realiter ante animam: species verò & specifica diversitas ab anima sola: deinde probavimus in Logica Tractatu 1°. Disp. 2ª. Dub. 5°. n. 242. omnia ante intellectū esse summè diversa, utpote indivisibilissimè *hoc* & *hoc*. 3°, vel respectus ille essentialis ad principium, ut specie diversus à respectu essentiali ad terminum, & à respectu essentiali ad subjectum (si detur) est actioni intrinsecus, vel non? si intrinsecus, ergo sunt in eadem indivisibili entitate prædicata intrinseca specie diversa, quod inducit præcisiones objectivas, quas negat: si extrinsecus, nihil aliud erit, quàm eandem numero, & unius speciei entitatem dicere unum respectum, & alligationem unam ex parte sua ad tria specie diversa, principium scilicet, terminum, & subjectum, quo dato, sic argumentor; potest eadem numero & unius speciei actio dicere unum respectum, & alligationem unam tantùm ex parte sua ad tria specie diversa, ergo & duæ, vel tres solo numero distinctæ ad duo, vel tria specie distincta, ita ut quælibet unum specie distinctum ab eo, quod alia respicit, respiciat. 4°, quia (præterquam quòd tota difficultas retorqueatur in ipsos terminos & principia, nec ostendi possit, quòd sint specie distincta ante intellectum juxta nostram Resolutionem 4ªm.) jam in quæstione est, unde specificetur respectus ille essentialis, & jam probamus non posse specificari à termino, & probabitur Resolutione sequenti non posse specificari à principiis. Quare ad instantiam

LVI. Respondeo in forma, admisso antecedente, negando consequentiam; quia respectus ille essentialis non est ad terminum, ut specie distinctum, sed ut solo numero distinctum; eo tamen quoad numerum mutato, debet non secus ac modalis, numero mutari: Ex his liquet, quàm infirmæ sint resolutiones P. Arriagæ, quòd actiones specificentur à principio, subjecto & termino, propter rationem allatam ex ipso numero 55°.

LVII. Probatur 2°, à duobus principiis specie diversis possunt esse duo effectus solo numero diversi, ut ab igne & calore A, calores, à sole & igne siccitates; ergo & à duabus actionibus specie diversis possunt esse duo termini solo numero diversi, ergo actiones non specificantur à terminis, &c.

LVIII. Probatur 3°, Principia non specificantur ab effectibus, sive terminis, hoc sensu, quòd ubi est effectus, sive terminus, specie diversus, necessariò etiam principia sint specie diversa, ut patet in intellectu respectu assensus & dissensus; voluntate respectu amoris & odii; ergo neque principiationes, sive actiones, specificantur, &c. quia non minùs principia, quàm actiones, terminantur ad effectus, licèt hæ sint modi, illa res: de quo ante.

LIX. Nec dicas cum P. Oviedo hîc, specificationem potentiarum, sive Principiorum, à posteriori & quoad nos, non sumi ab uno effectu, seu termino, sicut specificatio actionum; sed ab omnibus actibus collectivè sumptis: ne id dicas, inquam, quia inde infero, nec actionem sumere specificationem ab uno specie effectu, seu termino; sed ab omnibus collectivè sumptis, non secus ac principia: quòd verò mutato specie termino, mutetur actio, nihil refert; quia inde non sequitur, eam mutari specie, sed numero, eò quòd essentialiter alligetur ad talem numero terminum, qui mutatur.

LX. Confirmatur Resolutio, sicut quilibet terminus, sive effectus, est indifferens, ut procedat ab uno, vel alio, ex diversis specie principiis, à quibus procedere potest, & ideo non specificat principium, sive illud ad esse talis speciei, potiùs quàm alterius, non determinat, ita ut illo specie mutato, necessariò mutetur specie principium; ita quilibet terminus est indifferens, ut procedat ab una, vel alia, ex diversis specie actionibus, à quibus procedere potest; ergo similiter specificare non potest actiones sensu dato, licèt possit eas numero diversificare ob rationem sæpius datam.

Resolutio II.

LXI. Dico 2°, contra P. Oviedum hîc: quælibet potentia (quod extendit ad actiones & Passiones) non specificatur à priori propriè & strictè ab essentia, à qua dimanat.

LXII. Probatur 1°, quia sicut ab una indivisibili potentia possunt esse duo effectus specie diversi, ita & ab una indivisibili essentia duæ potentiæ specie diversæ.

LXIII. Subsumo, sed à fortiori à duabus potentiis solo numero diversis, possunt esse effectus specie diversi, ut ab intellectu Petri assensus, ab intellectu Pauli dissensus; ergo similiter à fortiori à duabus essentiis solo numero diversis possunt esse potentiæ, ac per consequens actiones specie distinctæ; si enim possit ab eadem indivisibili anima rationali emanare intellectus & voluntas, quidni intellectus ab una anima, & voluntas ab alia solo numero distincta emanare poterit? ergo quælibet potentia, ac per consequens actio, nō specificatur, &c.

LXIV. Probatur 2°, essentia muris & felis specie distinguuntur; sed ab illis emanant potentiæ visivæ solo numero distinctæ; ergo quælibet potentia non specificatur, &c. Probatur assumptum, ut quid enim specie distinguerentur? cum attingant eadem omninò objecta, licèt fortè aliter ob diversas organi dispositiones.

LXV. Probatur 3°, à duabus specie distinctis potentiis possunt esse duo effectus solo numero diversi, ut ab intellectu Angeli & Petri diversa judicia de hoc principio, *Totum est majus suâ parte*; ergo & à duabus essentiis specie distinctis, potentiæ solo numero distinctæ.

LXVI. Confirmatur Resolutio: eodem modo se habet potentia ad essentiam, quo se habet effectus ad potentiam, vel actionem; sed effectus à potentia vel actione non specificatur, quia iidem specie à diversis specie, vel solo numero, distinctis potentiis per diversas specie, vel solo numero, actiones, esse possunt (ut probavimus supra;) ergo nec potentia specificatur ab essentia; quia similiter essentiæ spe-

cie, vel solo numero distinctæ, possunt eandem specie potentiam ponere, ut patet in potentia visiva muris & felis. Ex his

Colliges multò minùs actiones specificari à subjectis.

Resolutio III.

LXVII. Dico 3° Potentiæ, actiones & cætera entia specificatione formali specificantur à specieitate, sive primâ intentione formali dante illis esse aptũ prædicari de multis cõpletè ut tota essentia universalis: unde illa sunt ejusdẽ speciei formalis, quæ in tali prædicabili de illis convenire possunt; diversæ, quæ convenire non possunt.

LXVIII. Probatur, quia sicut ante dictam intentionem non datur species formalis, ita nec distinctio specifica formalis, ac per consequens nec specificatio formalis; & hinc est, quòd esse *prædicatum genericum, specificum,* &c. sint denominationes extrinsecæ, ergo, &c.

LXIX. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum. Sed

LXX. Quæres quænam illa sint, quæ in tali prædicabili convenire possint; hoc opus hic labor est; pro responsione tamen, sit

Resolutio IV.

LXXI. Dico 4°, potentiæ, actiones & cætera entia specificatione fundamentali specificantur à communi sensu Philosophorum.

LXXII. Probatur, quia ut sic non specificantur à principiis, neque à terminis, neque à subjectis, ut fusè probatum est; neque quoad nos ab intrinsecis suis; quia nos latent, siquidem nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu; rerum verò intrinseca ad sensum non patent; deinde, cum res omnes sint formalissimè *hoc* intrinsecè sinè ulla prorsus convenientia formali, nulla daretur species, aut aliud quodvis universale fundamentaliter, ac per consequens nec specificatio fundamentalis, quod omnes negant, quandoquidem omnes admittant formalem; sed tantùm daretur individuum fundamentaliter, & omnia essent fundamentaliter summè diversa, ut consideranti patebit, utpote *hoc* & *hoc* indivisibiliter intrinsecè, ergo, &c.

LXXIII. Subsumo, sed aliud non suppetit, quàm communis sensus à quo specificatione fundamentali specificentur, maximè cum hæc specificatio fundamentalis debeat esse extrinseca, ut patet, ergo, &c.

LXXIV. Dices, communis ille sensus debet habere suum fundamentum, quod melius dicetur esse specificatio fundamentalis, quàm communis Philosophorum sensus, ergo, &c. Probatur antecedens pro 1ª parte; quia alioqui esset temerarius & irrationabilis: probatur item pro 2ª parte; quia multa sunt entia, ad quæ non se extendit communis sensus, quæ tamen sunt specie, vel solo numero, distincta, ergo, &c.

LXXV. Respondeo distinguendo antecedens pro 1ª parte; sensus debet habere suum fundamentum apparenter verum, concedo antecedens, & hoc sufficit, ut moveat intellectum ad specificationem formalem; firmum & certum nego antecedens; nam sensus percipit Petrum & Ioannem ut minùs inter se differentes intrinsecè, quàm Petrus & equus, inter se intrinsecè differant, quod omnino falsum est in sententia negantium præcisiones objectivas, pro quo vide Log. T. 1°. Disp. 2. quòd verò fundamentũ sensus communis nõ sit firmum & certum, satis constat; dicit enim argentum & stannum, æs & ferrum, &c. esse specie diversa ob diversitatem accidentium; ignem & aquam ob diversitatem effectuum; visionem & auditionem ob diversitatem objectorum, & sic de aliis, quæ dicuntur specie distincta propter quamdam proportionem & affinitatem ad hæc; quæ omnia quoad distinctionem specificam sunt fallibilia, ut vidimus, & nimis varia ut sint fundamentalis specificatio, maximè cum hæc debeat esse extrinseca.

LXXVI. Adde tamen, me facilè concessurum actiones specie mutari mutato principio, termino, aut subjecto specie diverso, duobus aliunde suppositis: 1°, quòd secundùm se dicant, ut actiones, respectum essentialem ad illa: 2°, quòd illa specie distinguantur; quæ videntur authores omnes supponere; sed supponunt quod hîc quæritur, ut consideranti patebit; & supponendo, cum faciant communem in eo sensum, Resolutionem hanc 4am omnino confirmant; vel assignent rationem suæ suppositionis; quia hîc contendimus, nullam ab eis assignari posse contra dicentem omnia, utpote indivisibilissimè *hoc* & *hoc* ante intellectum, esse ante intellectum summè diversa. Vide Logic. Disp. cit.

DISPVTATIO SEXTA

De Causa Efficiente Creata.

Dvbivm I.

An causæ creatæ aliquid verè efficiant.

Resolutio.

I. Dico contra Petrum Aliacensem in 4um Dist. 1ª. Quæst. 1ª. art. 1°. cui videntur favere Gabriël ibidem art. 3o. & Avicenna lib. 1°. suæ sufficientiæ cap. 10. Ragus. Disp. 16. cap. 16. causæ secundæ aliquid verè efficiunt.

II. Probatur 1o, ex Scripturâ Geneseos 1°, *Germinet terra herbam virentem*, & infrà, *Producat terra animam viventem*; Lucæ 21°. *Arbores cum producunt jam ex se fructum.* Ex Tridentino Sessione 6ª Canone 4°, quod expressè definit, *Quòd respectu actuum supernaturalium habeamus nos activè, & non merè passivè, tanquàm inanime instrumentum.* Quod omnino certum est, quia alioqui homines non mererentur, nec peccarent, ut patet, sed Deus, quod nullus dixerit. Vndè patet non frustrà causam creatam operari, sed secundùm exigentiam potentiæ operativæ, quam habet, ut etiam ratione statim probabitur

III. Probatur 2° ratione, animalia motu fatigantur; nec est ratio, cur Deus creaturis esse concesserit, & non operari; imò sicut illis concessit esse, quidni

quidni & operari? unde hæc conclusio non indiget longiori probatione, ergo, &c.

IV. Nec dicas, Deum omnes effectus ad exigentiam causarum secundarum sufficienter præsentium producere; quia, licèt sit satis ad id potens, conformius tamen scripturis & rationibus allatis, adstruitur causarum secundarum activitas, quàm talis exigentia; quamquam fortè evidenti ratione contrarium probari non possit.

V. Confirmatur; quia alioqui tanta organorum diversitas in viventibus, instrumentorum in non viventibus, &c. esset omnino superflua, quod non admittitur, ergo, &c.

DVBIVM II.

Quodnam sit immediatum Principium quo *substantiæ.*

VI. PLures sunt de hac controversia sententiæ: 1ª. est Aresii 1°. de generat. quæst. 10ª. omnes substantias, quæ producuntur de novo, à solo Deo immediatè produci: 2ª est Ochami, Durandi & Nominalium: item Arriagæ, Hurtadi, Oviedi, Poncii & Scotistarum, substantias à solis substantiis, sinè influxu accidentium in illas, produci, si præsentes; si verò absentes, ut in generatione plantarum ex semine, animalium ex ovis extra uterum matris, produci à solo Deo immediatè: 3ª Thomistarum omnium, quos sequuntur, Fonseca, Vasquez, Periera, Rubius in commentariis Compluti excusis anno 1613. & Aversa, produci immediatè à solis accidentibus: 4ª, quæ & nostra, substantias produci à substantiis simul & accidentibus, ita Suarez in Metaph. Conimb. & plures alii. Sed ante Resolutionem

VII. Suppono hîc causam, sive principium, rectè dividi in principium *quod*, id est, quod denominatur causare, & principium *quo*, ut principio *quod* opponitur, quomodo dupliciter accipi potest, 1° pro principiatione, sive causalitate, actione, &c. quomodò communiter accipitur: 2° pro eo, quod est, vel agit vices instrumenti causæ, sive principii *quod*, sive pro eo, à quo immediatè procedit actio, & hoc modo hîc à nobis sumitur. His præmissis, sit

Resolutio I.

VIII. DIco 1°, omnes substantiæ, quæ de novo producuntur, non producuntur à solo Deo immediatè, ut principio *quo*, sive Deus solus non est ratio formalis, & principium à quo egreditur actio productiva omnis substantiæ. Est contra primam sententiam.

IX. Probatur, quia debet, quantum fieri secundùm rectam rationem potest, assignari causa principalis creata cujuslibet effectus creati; sed, secundùm rectam rationem, plurimarum substantiarum (ut infra patebit) assignari potest causa principalis creata, ergo, &c. probatur major, quia alioqui vix defendi posset creaturas aliquid verè efficere, cum substantia non videatur magis proportionata ad producendum accidens, quàm substantiam sibi similem, aut quàm accidens ad producendum accidens sibi simile aut dissimile; sed hoc est ferè hæreticum, ut patet ex dubio præcedenti, ergo, &c.

X. Confirmatur, datur causa materialis & formalis substantialis creata; ergo & substantialis creata efficiens, ubi secundùm rectam rationem nihil impedit, ergo, &c. consequentia probatur; quia, ut infra patebit, hîc nihil impedit.

Resolutio II.

XI. DIco 2°, substantiæ sublunares non producuntur à solis accidentibus immediatè ut principiis *quo*. Est contra 3ªm sententiam.

XII. Probatur 1°, quia (ut patet ex Resolutione prima) debet quantùm fieri potest secundùm rectam rationem, assignari causa principalis creata cujuslibet effectus creati; sed si substantiæ sublunares producerentur à solis accidentibus immediatè ut principiis *quo*, assignari non posset, ergo, &c. Probatur minor; quia, vel illa deberet esse illud accidens, quod solum substantiam sublunarem produceret immediatè ut principium *quo*; vel substantia cujus illud accidens esset virtus, & causa instrumentalis; sed neutrum dici potest, ergo, &c.

XIII. Probant nonnulli minorem pro prima parte 1°, quia alioqui imperfectius posset producere perfectius, unde ex perfectione effectuum malè colligerent omnes Philosophi perfectionem causarum. Sed hæc probatio apertè rejicitur; nam Philosophi dici possunt colligere perfectionem causarum, non ex perfectione majori causarum, quàm effectuum; sed ex perfectione majori suorum effectuum super effectus aliarum causarum: colligerent v. g. ex activitate Dei, Deum esse omnium entium perfectissimum, quia plures & perfectiores effectus posset producere, quàm ceteræ causæ singulatim possent.

XIV. Probant 2°, PP. Hurtadus, Arriaga, Comptonus, & Regentes Perusini Ordinis Minorum conventualium Physicæ Disp. 7ª. Quæst. 6ª. art. 2°. *Nemo dat quod non habet*, causa debet virtute continere effectum, id est, vel formaliter, sive in simili perfectione; aliàs in effectu esset conceptibilis aliqua formalitas, ad quam non esset virtus in causa, sive, quæ esset super virtutem causæ: vel eminenter, id est in majori perfectione. Sed etiam hæc probatio rejicitur, quia licèt imperfectius non habeat, aut contineat perfectius, formaliter vel eminenter: continet tamen virtualiter (ut contendunt adversarii) qui modus (inquient) est realiter condistinctus à modo continendi formaliter & eminenter: ut vel ex eo, quòd calor partialiter producat ignem substantiam, patet; unde si calor produceret ignem, in igne non reluceret aliqua perfectio, quæ in calore virtualiter non contineatur; licèt in eo aliqua reluceat, quæ nec formaliter, nec eminenter in calore contineatur.

XV. Probant 3°, alii, quia alioqui non apparet, cur atomus montem aureum, musca elephantem, &c. producere non posset; totum enim quod obstare potest, est, quòd effectus esset perfectior suâ causâ. Sed similiter hæc probatio rejicitur; nam sicut quodlibet perfectius non potest efficienter producere quodlibet imperfectius, ut homo ovum gallinaceum, gallina aurum, plumbum, ferrum, &c. ita nec quodlibet imperfectius, potest producere quodlibet perfectius. Quare aliter

XVI. Probatur minor pro prima parte: 1°, à definitione causæ principalis communiter recepta: 2°, quia alioqui, vel ignis (& sic de aliis) in ratione causæ causantis activè, sive à qua egrediatur actio, non esset perfectior calore; quia in ratione causæ perfectior dicitur propter effectum perfectiorem; si ve-

rò calor sit causa principalis ignis, cùm ignis non possit effectum perfectiorem producere, quàm ignem, ignis in ratione causæ, &c. non erit perfectior calore, quod parum est conveniens; quia, hoc revera est tollere causam principalem *quo*: quo dato, dicam à fortiori tolli debere causam instrumentalem *quo*; ac proinde utrâque ablatâ causas verè non agere, contra dicta Dub. 1°. vel si sit calore perfectior in ratione causæ; ergo implicat calorem se solo producere ignem, sicut implicat causam esse perfectiorem in ratione causæ propter effectum perfectiorem, & non habere effectum perfectiorem, ergo, &c.

XVII. Probatur minor pro secunda parte, quia causa principalis debet esse principium *quo*, sive id à quo immediatè egreditur actio productiva effectus, sed supponitur sola accidentia esse principia immediata quo, & à solis accidentibus immediatè egredi actionem productivam effectus, ergo, &c.

XVIII. Probatur major hujus assumpti 1o, quia ly *principalis* additum causæ, non est alienans aut diminuens; sed potius approprians & attollēs, qualis tamen alioqui esset: 2°, quia si causa principalis non deberet esse principium *quo*, sive id à quo immediatè egreditur actio productiva effectus, id à quo immediatè egrederetur actio productiva effectus, esset causa principalis effectus; sed hoc est absurdum, ergo, &c. majorem concedunt adversarii. Probatur minor, quia id, à quo mediatè egreditur effectus, non est vera causa, sive non verè agit, alioqui avus & abavus, imo & Adamus protoparens, quemlibet infantem adhuc hodie, tot à morte sua sæculis, verè generaret, quo nihil absurdius attendenti *verè agere* esse *actionem à se verè emissam esse*, aut, *in esse perseverare*, ergo, &c. 3°. quia agere instrumentaliter est agere coadjuvante causâ principali ad effectum producendum; sed causa principalis non potest coadjuvare nisi per actionem à se egressam, & à sua entitate emissam; ergo causa principalis debet esse principium *quo*, sive id à quo immediatè egreditur actio productiva effectus, ergo, &c. minor & consequentia patent: probatur hæc major, quia non apparet quid aliud esse possit agere instrumentaliter; quòd enim authores contrariæ sententiæ dicant, esse agere in virtute substantiæ, id est, per concursum Dei similem illi, qui alioqui tribueretur substantiæ, si esset per se operativa alterius substantiæ, admitti non potest; quia ad Deum recurri non debet in naturalibus sinè necessitate, ergo, &c.

XIX. Probatur 2o, calor ut quatuor, non potest producere calorem ut sex; ergo nec ignem productivum caloris ut octo; videtur enim experientia suadere, minùs activum non posse se solo producere magis activum, ac proinde nec illud continere virtualiter, ergo, &c.

XX. Objicies 1°, nihil obstat quominus accidens, quod est substantiâ imperfectius in ratione entis, sit perfectius in ratione activi: 2°, imperfectius in ratione entis, non potest quidem esse principium *quod* perfectioris, bene autem principium *quo*, quale tantùm dicitur esse accidens respectu substantiæ: 3°, etsi non possit imperfectius producere perfectius in virtute sua propria, potest tamen in virtute suæ causæ æque perfectæ, aut perfectioris effectu; ergo dici potest substantias sublunares produci à solis accidentibus ut principiis *quo*.

XXI. Respondeo ad ista omnia, quæ sunt præcipua fundamenta scholæ Thomistarum singillatim. Itaque

XXII. Ad 1um (quod apertè militat contra ipsos, nam ratio activi in ente activo à ratione entis non distinguitur, ut vel in ipso accidente patet; unde retorqueo argumentum hoc modo, ratio activi in ente activo à ratione entis non distinguitur; ergo accidens, quod est substantiâ imperfectius in ratione entis, non potest esse perfectius in ratione activi) Respondeo obstare totum fundamentum nostræ conclusionis, contra quod nihil per hoc probatur, sed idipsum adducitur, quod est in Controversia.

XXIII. Ad secundùm, Respondeo imperfectius se solo ut principium *quo* producens perfectius, vel non habere principium *quòd*, vel simul esse principium *quod*: primum patet; quia sicut causa principalis debet verè agere, sive per actionē à se verè & immediatè emissam saltē ratione unius ex suis partibus, ita & principium *quod*; hoc tamen non fieret, quia totâ causâ principali & principio *quod* non nisi mille, & pluribus annis antequā existat effectus, existente, adhuc in illa sententia produceretur effectus: secundum etiam patet, quia causa principalis, verum principium *quod*, &c. non est illud simpliciter, quod denominatur agere, sed quod verè agendo denominatur agere; imperfectius verò sive accidens in illa sententia solùm verè ageret, & solùm verè agendo denominaretur agere.

XXIV. Adde id dici ab adversariis propter hoc axioma *Actiones sunt suppositorum*; sed id tantùm verum est, ubi verè agentia sunt suppositа; quia alioqui sunt verè agentium, ac per consequens in illa sententia accidentium tamquam principiorū *quod*.

XXV. Ad tertium, quæro quid sit producere perfectius in virtute suæ causæ.

XXVI. Aut enim ly *in virtute* sumitur intransitivè, ut vult Cajetanus, sic scilicet, ut sit idem, ac *ut virtus suæ causæ*; quo dato; vel *ut virtus* importat cooperationem causæ principalis ut principii *quo*, & hoc est apertè contra te; vel importat perfectionem aliquam quam non habet secundùm entitatem suam, & per quam sit in esse entis æque perfectum ac effectus? & (præterquam quòd illud, ubi effectus esset substantia, deberet esse substantia producens substantiam ut principium *quo*, quod est aperte contra te) istam virtutem gratis, & sinè necessitate fingis; nec deberes præter illam, aliam causam principalem agnoscere, quod facis: Deinde si substantia non sit immediatè operativa, quomodo virtutem illam superadditam operatur, vel potiùs à quo virtus illa producitur? non assignabis, nisi frustra ad Deum recurras. Vnde dic accidens ex natura sua esse virtutem suæ causæ, ac proinde si possit ut virtus substantiam producere, dic esse per se & ex natura sua: vel importat perfectionem aliquam, quam non habet secundùm entitatem suam, sed quâ non satis conferente remanet in esse entis imperfectius suo effectu? & hoc dato, nihil prodest; quia accidens quodcumque, ideo tantùm non potest producere substantiam, quia est substantiâ imperfectius; remanet autem cum illa imperfectius.

XXVII. Adde in generatione animalium ex putri materia causam principalem substantialem non esse ab ipsis assignabilem, quæ talem virtutem accidentibus communicet; quia causa horum accidentium, quæ præcessit, secundùm ipsos non est causa principalis dictorum animalium, & tamen horum etiam productiones solis accidentibus

bus ut principiis *quo* attribuunt.

XXVIII. Aut ly *in virtute* sumitur transitivè ut vult Capreolus, sic scilicet, ut vel sit idem ac in perfectione, quæ sit accidens communicatum à substantia? & hoc jam satis supra rejectum est: vel, ut sit idem, ac in concursu Dei, alioqui substantiæ debito? & hoc non, quia in naturalibus continuò ad Deum recurrere, ubi causæ naturales suppetunt, non est Philosophicum: vel, ut sit idem (quod volunt PP. Nostri Complut. Disp. 10. q. 5.) ac in aliquo virtualiter tantùm ab accidente distincto? & hoc omnium minimè, quia illud realiter nihil est, quàm ipsum accidens, unde manet tota & integra difficultas, sive ut rectè notat P. Ioan. à S. Th. hic q. 9. art. 3°. per hoc *non solvuntur difficultates, sed instaurantur*; hic tamen, cum virtutem illam ibidem per solam conjunctionem accidentis ad substantiam explicat, si hæc in effectum non operetur, similiter difficultates non solvit, sed instaurat; quia sicut propter conjunctionem illam præcisè accidens non mutat naturam, ita nec activitatem; ac proinde sicut separatim à substantia, non potest substantiam producere, ita nec illi conjunctum: si verò eâdem actione, quâ accidens, in effectum operetur; nobiscum loquitur.

XXIX. Objicies 2°, substantia nequit immediatè produci à substantia ut principio *quo*; ergo à solo accidente ita producitur: probatur antecedens 1°, quia producere substantiam immediatè ut principium *quo*, est proprium Dei: 2°, quæ ordinantur ad esse & operari distinguuntur realiter; sed substantia ordinatur ad esse, sive existere, & virtus productiva substantię ad operari; ergo substantię distinguuntur realiter à virtute productiva substantiæ, ac per consequens substantia nequit produci, &c.

XXX. Respondeo negando antecedens; ad ejus primam probationem, Respondeo id gratis fingi, & parùm rationabiliter plus accidenti ignobiliori tribuere, quàm substantiæ nobiliori: quare D. Thomas in 3. contra gentes cap. 69. *Si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus, habent propias actiones, multò magis forma substantialis habebit propriam* (nota) *actionem*, &c. ad secundam verò, ipsa retorquetur in esse accidentis; sicut enim accidentis esse ordinatur ad ipsius existere, & ad ipsius operari, ita & esse substantiæ.

XXXI. Objicies 3°, imperfectius se solo bene potest corrumpere immediatè, & ut principium *quo*, perfectius, ut v. g. calor intensus formam aquæ; ignis vivens; ergo & se solo potest immediatè producere ut principium *quo* perfectius.

XXXII. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas; quòd productio formæ incompatibilis in eodē subjecto, sit concomitanter ipsa corruptio formæ perfectioris: at verò productio formæ incompatibilis, vel accidentis imperfectioris, non est concomitanter productio formæ perfectioris.

XXXIII. Objicies 4°, commune fundamentum recentiorum: *Sæpe videmus produci substantiam in præsentia solorum accidentium; ergo tunc nulla concurrit substantia: Antecedens ostenditur 1°, dum à ferro candente accenditur stuppa. 2°, dum rana & alia insecta producuntur ex putri. 3°, dum in furnis Ægypti excluduntur pulli. 4°, in forma cadaveris. 5°, dum ex reflexione radiorum solarium, vel eorum coarctatione in vitro aut collisione duorum lapidum producitur ignis. 6°, quis neget, si gutta aquæ infundatur in species vini consecrati, versam iri in vinum? & tamen ibi nulla est substantia vini; ergo sola accidentia in eo casu producunt substantiam, & vini formam inducunt in materiam aquæ. Vel continuò pro effectibus istis naturalibus ad Deum recurrendum erit*; ita sibi nomine Adversariorum objicit P. Comptonus Phys. Disp. 15. Sect. 3ª.

XXXIV. Respondet P. Comptonus loco citato istis objectis experientiis, sequentibus verbis: *Sed contra: experientiæ nihil probant ubi est manifesta ratio in contrarium, quam hîc esse ostenditur sectione præcedente. In illis ergo experientiis recurrendum est ad causam aliquam universalem, Cœlum scilicet, solem; vel in aliorum defectu ad ipsam etiam causam primam.* Ita ille. Sed

XXXV. Contra, experientia sæpius submittit rationem, præsertim inevidentem, ut hîc; præterea tamen ad effectus istos neque sol, neque cœlum per se sufficiunt, ut consideranti patebit; ad Deum autem pro effectibus ordinariis recurrere, præsertim si causæ secundæ sufficientes adferri possint, non sapit Physicum. Quare aliter

XXXVI. Respondeo negando assumptum, quod malè admittunt PP. Arriaga, Oviedus, Comptonus, Poncius, Hugo Cavellus, D. Plempius, Christianus Lupus in sua Apologia contra Marburgenses (qui tamen ait, se malle hîc audire quàm loqui, scribere quàm dictare) ad ejus probationem Respondeo in ferro candenti esse ignem juxta probata supra lib. 1°. Disp. 3ª. *De forma substantiali*: formam cadaveris negavimus lib. 1°. Disp. 2ª. *de materia prima*: solem & vitrum illud, virtualiter ignem continere, experientia illa docet: quòd autem gutta illa aquæ in vinum convertatur, nec experientia, nec ratio convincit, sed potius oppositum: ranæ & alia insecta ex putri, generantur partim à corporibus Cœlestibus, partim ab elementis & aliis sublunaribus ad illorum generationem concurrentibus.

XXXVII. Instabis, corpora Cœlestia, Elementa, &c. sunt imperfectiora viventibus; ergo nequeunt viventia ut principium *quo*, & ut causa principalis eorum, producere.

XXXVIII. Respondeo distinguendo assumptum, corpora, &c. sunt imperfectiora viventibus seorsim & distributivè, transeat; nec aliud vult Sanctus Augustinus libro de vera & falsa Religione cap. 29°. inquiens, *Quælibet namque viva substantia cuilibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur*: conjunctim & collectivè, nego; quis enim credet, lignum vegetans esse propter solum gradum vegetativitatis perfectius ligno mortuo, quatuor elementis & omnibus corporibus cœlestibus collectivè sumptis? quis etiam negabit, corpus habens omnes perfectiones & omnes operationes ligni mortui, quatuor elementorum, & omnium corporum cœlestium (quod per Deum produci potest) fore mirabilius & perfectius, quàm lignum habens solam perfectionem & operationem vegetativi? si verò tale corpus sit futurum perfectius vegetativo, quidni & sensitivo ac ranis & muribus, quæ, uno atque altero perfectionis gradu tantùm, à vegetativo differunt, idque semper intra idem genus corporis materialis: tollat Deus omnia animalia præter ranam unam, quis credat à Deo præferendam conservationem ranæ, destructioni residui totius Vniversi, si vellet inter ista, ex una parte, & ranam ex alia, perfectius conservare? credat qui voluerit, non credam ego, quamdiu attendero, quòd infinitæ cæterorum entium Vniversi perfectiones non sint in rana, & illis desit sola coaxivitas vel similis differentia

rentia constitutiva ranæ.

XXXIX. Ratio autem 1ª, quæ movet ad dicendum, quatuor elementa & corpora Cælestia collectivè sumpta, esse perfectiora ranis, muribus, &c. est, quòd vel dici debeat ea ranas & mures ut causas principales producere, vel ad Deum continuò recurrendum, quod 2um est parum Philosophicum, & sic Deus valde malè rebus providisset, naturamque instituisset valde mancam & imperfectam, idque esset asylum ignorantiæ aperire; nam hoc semel admisso, inquirenti rerum causas tantillùm occultas, semper Respondebitur, hinc sumendo paritatem, esse Deum: unde vehementer miror, quòd P. Christianus Lupus suæ Apologiæ contra Marburgenses fol. 30. dicat, *Meum axioma est: In rebellionibus pravæ voluntatis recurrit ad Deum pius Catholicus; in ordinariis verò Physicis difficultatibus non nisi desperatus vel ignorans Philosophus*: Folio verò 9°. pro generationibus Heteroclytis (id est, ait Folio 34°, *Quæ non fiunt per viam seminalem*, quas ibi recenset, *Vt crabronum ex asino, vesparum ex equo, apum ex vitulo, gurgulionum ex tritico, vermiculorum ex nucibus*, &c. quibus annumerare potuisset generationes ranarum & murium ex putri materia) ad Deum recurrit, an ideo desperatus & ignorans Philosophus? judicet ipse: illæ generationes sunt ordinariæ & quotidianæ, licèt non fiant per viam seminalem: unde dici potest contra ipsum generationes non dici ordinarias, *Quæ per viam seminalem fiunt*, sed quæ fiunt modo quotidie usitato. Vnde

XL. Ratio 2ª, quæ ad idem movet, est, quòd in generatione materialium, causa producens dispositiones, producat formam; quatuor verò elementa & corpora cælestia producunt dispositiones, & temperiem seminis requisiti ad productionem ranæ, murium, &c. ut ipsimet adversarii fatentur; ergo & formam, ac per consequens sunt illis perfectiora, vel saltem æque perfecta, quod sufficit. Ex his omnibus

XLI. Colliges, plerosque recentiores absurdè nimiùm & ridiculè Philosophari, docentes causam principalem creatam ranarum & murium ex putri materia, esse ranam aut murem in genere, sive in communi: sic enim, cum ex præmissis n. 18. causa principalis verè realiter agere debeat; nec ulla sit instrumentalis, nisi in quantum est à principalis coöperatione reali, seu elevatione reali, coadjuta; rana in genere, quæ nec est realiter, nec per potentiam Divinam realiter existere potest, verè realiter ageret: deinde etiamsi rana in particulari nec existeret, nec existere posset, nec potentiam instrumentalem ranæ productivam, nec ranam producere valeret, adhuc rana produceretur ex putri materia; quomodo igitur magìs rana in communi, sive in particulari disjunctivè (ut vis,) est causa principalis ranæ productæ ex putri materia, quàm equus aut mulus? denique ad esse causam principalem requiritur perfectio realis, sed accidens existens est perfectius ranâ in communi non existente realiter; ergo, si huic negent esse causam principalem, quia imperfectius, illi à fortiori id negare debent.

XLII. Adde repugnare dari causam materialem principalem non existentem realiter; ergo & causam principalem efficientem non existentem realiter, saltem pro instanti quo causare incipit.

Resolutio III.

XLIII. Dico 3°, substantiæ sublunares non producuntur à substantiis solis immediatè ut principiis *quo* concurrentibus. Est contra Poncium, Oviedum, & Arriagam, qui dicit contrariam esse Scoti & Nominalium, & valde inter PP. Societatis communem.

XLIV. Probatur 1°, quia ubi plures causæ productivæ effectus, simul sunt ad agendum applicatæ, simul producunt effectum vel actione totali totalitate effectus, si se solis sufficientes; vel partiali partialitate effectus, si se solis insufficientes: sed tam accidentia, quàm substantiæ, sunt simul ad producendam substantiam applicata, & accidentia sunt saltem partialiter productiva substantiæ (ut infra patebit;) ergo substantiæ sublunares non producuntur à substantiis solis ut principiis *quo* concurrentibus.

XLV. Probatur 2°, calor ignis v.g. non producit se solo immediatè ut principium *quo* calorem in subjectum extraneum; quia ignis est æque applicatus illi producendo ac ipse, & non est agens liberum, ut cesset ab opere præsente alio agente sufficiente ad totum effectum producendum; ergo nec substantia producit se solâ immediatè ut principium *quo* substantiam; quia accidens est æque applicatum illi producendo ac ipsa, & non est agens liberum, ut cesset ab opere præsente alio agente sufficiente ad totum effectum producendum.

XLVI. Nec dicas cum Arriaga, calorem ignis se solô immediatè ut principium *quo* producere calorem in subjectum extraneum, quia in quantum illi magìs proportionatus, utpote ejusdem speciei cùm illo, impedit quominus illum ignis producat. Contrarium enim convincit probatio, maximè si attendas ignem immanenter se solô calorem producere, & calorem immanenter productum esse ejusdem speciei, cum transeunter, sive in subjectum extraneum producto; deinde in quantùm calor & calor sunt ejusdem speciei fundamentalis, magìs quidem calor est calori proportionatus in ordine ad speciem formalem, aut similitudinem formalem; non verò in ordine ad producendum calorem; quia proportio ad agendum non consistit in conceptibilitate, similitudine fundamentali, &c. sed in activitate per experientiam nobis notâ: nam ignis calorem producit, cui est dissimilis, & sic de cæteris causis æquivocis; adamas verò adamantem, Angelus Angelum non producit, cui tamen est similis, ac per consequens magìs in similitudine proportionatus, quàm ignis calori.

XLVII. Confirmatur Resolutio, agens connaturaliter ordinat dispositiones, quas producit, ad producendam formam, quam producere potest; atqui non sola substantia producit dispositiones, sed substantia simul cum accidente suo instrumento; ergo connaturaliter non sola substantia, sed substantia simul cum accidente producit substantiam immediatè ut principium *quo*.

XLVIII. Dices, in substantia producta nulla est formalitas, quæ respondeat accidenti; ergo non debet illi attribui productio partialis immediatè ut principio *quo* substantiæ.

XLIX. Respondeo negando consequentiam, quia in causis æquivocis, ut cum ignis calorem producit, & communiter etiam, cum calor simul cum igne ignem producit, nulla est formalitas, quæ formaliter

maliter correspondeat suæ causæ ; sufficit enim, quòd respondere possit terminativè & efficienter, ut respondere docet experientia.

Resolutio IV.

I. Dico 4°, substantiæ sublunares producuntur à substantiis & accidentibus utrisque immediatè ut principiis *quo* concurrentibus. Ita Suarez & Conimb. supra ; imò & P. Ioan. à S. Thoma Phys. q. 11. art. 3°. ubi sic habet, *Influxus substantiæ & accidentis est idem entitativè; sicut concursus simultaneus 1æ Causæ entitativè non est aliud, quàm ipsa Actio Causæ 2æ* : revera nil aliud volumus ; ac proinde S. Thomas non minùs est nostræ sententiæ, quàm P. Ioan. à S. Thoma: quo dato, inter nos & Thomistas non videtur differentia de re, sed de nomine dumtaxat.

II. Probatur 1o, quia substantiæ sublunares non producuntur à solo Deo ut principio *quo* ; neque à solis accidentibus immediatè ut principiis *quo* ; neque à solis substantiis immediatè ut principiis *quo*; ergo à substantiis & accidentibus ut principiis *quo* immediatè concurrentibus. Antecedens patet ex tribus prioribus Resolutionibus, consequentia probatur ; quia aliud non suppetit, ergo, &c.

III. Probatur 2o, sigillatim quòd substantia substantias producat immediatè ut principium *quo*: 1o, quia non est assignabilis alia principalis Causa Creata, quæ verè & realiter agat prout Causa principalis verè & realiter, ut supra vidimus, agere debet, & suæ Causæ instrumentali verè cooperari: 2o, quia nullum est fundamentum, magìs negandi substantiæ activitatem immediatam in substantiam, quàm accidenti in accidens, ut calori v. g. in calorem; si enim accidens habeat virtutem producendi immediatè *ut quo* sibi simile, quidni substantia haberet virtutem producendi immediatè *ut quo* substantiam sibi similem?

IIII. Nec Responderi potest substantiam debere agere per instrumentum, & mediatè *ut quo*; quia contrarium patet in productione suæ proprietatis; si verò agatur de productione alterius substantiæ, petitur principium, & hic non debere probamus: 3o, non minùs ad præsentiã substantiæ producitur substantia, quàm ad præsentiam accidentis; sed quia ad præsentiam accidentis producitur substantia, attribuitur productio substantiæ accidenti immediatè ut principio *quo* ; ergo & illa attribui debet substantiæ: 4o, substantia agit per causam instrumentalem ; sed agere per causam instrumentalem est agere cooperando instrumento, ut constat ex omnibus causis instrumentalibus separatis, v. g. penicillo, malleo & cæteris, ergo, &c.

IV. Probat 5o, aliter P. Arriaga; quia magìs proportionata est substantia ignis cum altera substantia ignis, quàm calor cum igne ; ergo potiori jure ignis producit immediatè alium ignem, quàm calor; verùm hæc probatio jam rejecta est Resolutione superiori.

V. Probat 6o, aliter P. Lupus Apologiæ citatæ Sect. 1ª. ovum accipit animam à matre, quam ultimò habiturum est, videlicet galli vel gallinæ, (quia negat animarum successionem) intra maternum uterum (supponit enim ex præmissis ovum esse animatum, quia vitaliter operatur organizando, conformando in pullum, producendo ossa, carnem, nervos, plumas, &c.) atqui anima est substantia, ergo, &c. Sed

VI. Contra est 1o, quòd suppositum sit falsum, scilicet ovum esse animatum, quia vitaliter operatur, hoc est, quia exercet operationes animæ, sive vitæ in actu primo ; sicut enim falsa est sequela, *Vinum, piper, &c. exercent operationes caloris ; ergo sunt formaliter calida : ignis exercet operationes solis & sol ignis ; ergo ignis est formaliter solitus, & sol formaliter ignitus*; ita illud falsum est; sufficit enim, quòd in se & in suis causis sit eminenter tale, ut revera est: deinde etiam suppositum est falsum ex hoc capite, quòd ovum operetur vitaliter, saltem totaliter; quòd enim ibi vitaliter operatur est partim gallus, partim gallina à qua decisum est ovum (de quo infra) partim alia agentia extrinseca calefacientia, & ad organizationem ovum disponentia.

VII. Contra 2o, si ovum accipiat animam à matre intrà uterum maternum, etiam mulus accipiet animam ab asina matre intra maternum uterum, quod est falsum; quia ex communi sensu fœtus non plus debet matri, quàm patri; plus autem illo casu deberet; quia mater etiam immediatè, pater nonnisi mediante suo semine ad animam istam concurreret; imò pater non propriè generaret, quia substantiam non produceret: deinde anima muli est perfectior animâ matris; imperfectius verò nequit producere perfectius : insuper, si ovum statim post commixtionem & fermentationem seminum galli & gallinæ (uti docet folio 10o.) ante conformationem, membranificationem, plumificationem, &c. ad eas exercendas accipiat animam à matre intra uterum maternum; semen hominis statim post commixtionem & fermentationem accipiet animam à Deo infusam intra maternum uterum, ut conformationem, membranificationem, &c. exerceat; quod dici non potest; quia (præterquam quòd id omnino sit contra scripturã Exodi 21o. *Si rixati fuerint viri*, &c. quem locum hoc modo vertunt 70. interpretes, *Si rixentur duo viri, & percusserint mulierem in utero habentem, & exierit puerulus ejus ineffigiatus, mulctâ mulctabitur* (puta ut condistinctâ à morte, quæ est homicidarum pœna, ut sequitur) *Prout indixerit vir mulieris : si autem effigiatus fuerit* (id est, prolis effigiem habuerit) *Dabit animam pro anima*, & Iob 10. ubi tandem post fermentationem, carnificationem additur *vitam & misericordiam tribuisti mihi*) alioqui semen post commixtionem & fermentationem emissum à muliere deberet baptizari, qui illud emitteret homicida esset, &c. quæ nullus umquam somniavit. Excepto uno Vallesio, 9. Contr. 2. c. ubi sic loquitur: *est ergo semen hominis jam homo, quia formam hominis habet.* Cui directè opponitur Hieron. q. 4. ad Algas. *Semina paulatim formantur in uter, & tamdiu non reputantur homo, donec elementa confecta suas imagines, membraque suscipiant* (quia alia animata deest.)

VIII. Contra 3o, si sola anima matris producat animam ovi intra uterum, quomodo membranificatio, plumificatio, &c. quas docet esse actiones vitales, non sunt eædem in pullo ac in matre? vel enim ob eorum diversitatem, debet anima pulli ab alia substantia, quàm anima matris produci, ut contra illum docemus; vel admittere debet illas actiones vitales esse ab alia Causa non animata, quàm ab anima propria pulli, quæ proinde contra ipsum absque anima poterit membranificationem, plumificationem & similes actiones, quas vocat vitales, ponere, v. g. corpora Cœlestia, Elementa, & similes causæ, quæ concurrent ad dispositiones in ovo

ad

ad similia prærequisitas: horum ratio est, quia aliud non suppetit, & utcumque patet ex eo quòd illud, cui gallina incubat tempore fulguris & tonitru alteretur.

LIX. Contra 4°, sic liceret comedere gallinas, oves, boves, &c. die veneris, si eorũ, uti gallinarum, semina commixta & fermentata essent comestibilia; item qui furaretur glandem, furaretur quercum, qui ovum, gallinam, &c. quæ sunt contra communem omnium apprehensionem: Nec rectè ad hoc præfatus author: *Neque curo quid dicat incultum vulgus, si enim vulgo placere velis numquam fies doctus Philosophus*; nam licèt non oporteat vulgus curare, ubi contra rectam rationem loquitur; curandum tamen est ubi rectæ rationi (uti hîc) conformiter loquitur; rationi autem conformiter dicitur, carnem tali animæ præsupponi, & non econtra talem animam carni; item lignum formæ quercus, & non contra.

LX. Contra 5°, in ovo fœcundo à gallina deciso, quamdiu manet fluidum homogenium non organicum, uti est in matris utero, nulla sunt signa animæ ovo propriæ; ergo non accipit animam à matre intra matris uterum.

LXI. Respondebit, nulla quidem signa esse tunc; sed tamen esse aliqua postea, quæ significant animam tunc in ovo fuisse, & talia sunt omnes actiones vitales subsequentes, sed à n. 56. supra rejectum est istas operationes esse ab anima propria ovi, aut seminis.

Adde doctissimum D. Fromondum lib. 1°. de Anima cap. 2°. conari pleraque istorum absurdorum vitare; ubi art. 6. sic scribit: *Igitur si nec Deus solus, nec Genii Angelici, nec anima matris, nec anima seminis, formant fœtum in utero matris, restat ut in semine ipso, sit virtus aliqua organopœa, quæ prima lineamenta organici corporis, sub Dei supremi artificis manu, ducat*, &c. Sed quæro quid illa virtus? paulò infra respondet *esse spiritus seminis virilis magis actuosi, & languidos spiritus seminis fœminei*. Sed iterum quæro quid spiritus illi, an animati nec ne? ibidem clarè insinuat non esse animatos, dum ait: *Vis autem illa conformatrix, etsi ad operationem suam figuratis organis, sicut anima vegetativa, non indigeat*. Et paulò antè; *Virtus organopœa rudimentum organici corporis, eousque perducit, quousque necessarium est, ut prima anima vegetativa vialis corpus illud ingredi, & utcumque ibi nidulari valeat*. Hoc autem posito contra militant omnes probationes nostræ Resolutionis à numero 12° allatæ, nisi fortè dixerit animam illam vegetativam à spiritibus illis commixti & fermentati utriusque sexûs seminis non produci, sed à Deo solo, quod paulò ante art. 3°. rejicit.

LXII. Probatur sigillatim quòd accidentia substantias sublunares producant immediatè ut principium *quo*; quia nihil obstat, ergo, &c. Probatur antecedens: Non obstat 1°, quòd sint imperfectiora substantiis; nam, ut constat ex speciebus respectu actuum, & lumine gloriæ respectu visionis beatificæ, causa partialis potest esse imperfectior effectu, modò totalis sit perfectior, vel saltem æque perfecta: Non obstat 2°, quòd substantia sit substantiæ producendæ sufficienter proportionata; nam duæ causæ necessariæ æque applicatæ ad agendum, agunt proportionaliter ad suam virtutem; accidentia verò sunt sufficienter proportionata ad producendam partialiter substantiam.

LXIII. Objicies, ita de causa productiva substantiæ Philosophandum, ut genitorum in utero & ex ovis, genitum quoad substantiam, tantùm aut plus debeat genitori, quàm genitrici, sive patri, quàm matri; sed in hac sententia id haberi non potest, ergo, &c. Probatur minor, quia causa quæ attingit immediatè effectum ut principium *quo* debet existere, frequenter autem mater producit fœtum, quando defiit pater; & gallus & gallina frequenter diu defierunt, antequam ex ovo excludatur illud; ergo in hac sententia id haberi non potest, quia substantia non concurrit ad productionem substantiæ immediatè & ut principium *quo*, sed tantùm mediante accidente, sive semine.

LXIV. Respondeo hanc objectionem in aliorum principiis esse valde difficilem, & ab omnibus solvendam; in nostris verò principiis, secundùm quæ docuimus Causam non existentem posse agere ut principium *quo*, per actionem dum defiit perseverantem, admissâ majore, nego minorem; ad ejus probationem, nego antecedens; parens enim simul cum semine emisit actionem productivam substantiæ, fortituram effectum simul concurrentibus, & ipsam determinantibus, actionibus matris & aliarum causarum partialium, quod, antequam excludatur pullus, fit.

LXV. Instabis, intelligi non potest 1° quomodo generatio animæ vegetativæ in grano deciso; sensitivæ in ovo; fœtus in semine commixto & fermentato satis longo tempore maneat sinè effectu, cum sit ultima determinatio ad effectum: 2°, intelligi non potest, quomodo eadem actio successivè terminetur ad diversos specie effectus, v. g. carnem, ossa, plumas, animam, &c. quod fieri deberet, ergo, &c.

LXVI. Respondeo ad primum, id optimè intelligi, si attendas solam actionem totalem esse ultimam determinationem ad suum effectum formalem, sicut in sententia Hurtadi, Scotistarum, & plurium aliorum admittentium duas uniones, unam ex parte subjecti, aliam ex parte formæ; sola unio totalis & non alterutra partialis est ultima determinatio ad suum effectum formalem: idem etiam contingit in causis necessariis; causa necessaria totalis positis omnibus ad agendum requisitis est ultima determinatio ad agendum, non item partialis; sed ad id debet determinari per aliam partialem, cùm qua conflet unam totalem; unde Respondeo primam istam actionem ibi manere, sicut maneret unio partialis, Causa partialis, &c. donec per aliam partialem, cum qua conflet totalem, ad suum effectum formalem determinetur.

LXVII. Respondeo ad secundum, quod est difficilius, Actionem eodem modo successivè determinari ad diversos specie effectus, quo ipsa anima præcedens carnificationem, ossificationem, plumificationem, &c. in sententia Patris Lupi determinatur, vel quo, in aliorum sententia, harum actionum causæ; illæ enim nonnisi successivè producunt diversos specie effectus: si verò eadem anima positis omnibus ad agendum requisitis, & accedentibus concausis, per quas sit ultimò determinata, ad primam actionem v. g. conformationem, ad primam actionem trahitur, & non nisi hâc mediante & accedenti-

bus

bus concausis, per quas sit ultimò determinata, ad secundam actionem v g. membranificationem, ad secundam actionem tribuitur, & sic de aliis, quidni eadem actio, positis omnibus ad suum effectum requisitis, & accedentibus aliis actionibus partialibus, per quas sit ultimò determinata ad primum effectum, v. g. primam formam post commixtionem, & fermentationem, ad primum effectum terminabitur, & non nisi hoc effectu mediante, & accedentibus aliis actionibus partialibus, per quas sit ultimò determinata ad secundum effectum, v. g. secundam formam, sive membra, ad secundum effectum terminabitur, & sic de aliis: quia non aliter actio partialis est ultima determinatio ad suum effectum, quàm causa partialis ad suam actionem; nec minùs est permanens in esse (ut infrà probabitur) quàm ipsa causa, ex his omnibus sit

Corrolarium I.

LXVIII. COlliges 1° aliquousq; declarari posse ratione, quâ vis illa seminis conformatã materiam seminis tali ordine & situ in venas, arterias, nervos, intestina, carnem, ossa, &c. mirabili arte & ingenio disponat: id enim fit, non quia talis est natura seminis (ut vult Dominus Fromond. loco n. 61. citato, quia id ibi rejectum est) sed actione agentis principalis, aut formaliter, aut eminenter, corpus perfectè organicum continentis, quę in semine permanet, modo n. 67. dicto determinabilis; quia tamen suppleri potest per traducem animam; dubius hæsit Augustinus, an in semine esset tradux anima, q. 80ª. in Exodum lib. 2°. cap. 178. operis Imperf. Enchir. cap. 86. nos verò, quia jam certò credimus animam ab anima non creari, ac proinde nec traduci, isti sententiæ, quæ videtur Divi Thomæ pluribus locis, adhæremus; S. Thomas enim 1ª. p. q. 118. art. 1° ad 3ᵘᵐ. sic habet, *virtus illa activa, quia est in semine, ex anima generantis derivata, est quasi quædam motio* (nota id est actio) *ipsius animæ generantis.* Et lib. 2° contra gentes cap. 89. *ipsa virtus, quæ cum semine deciditur, & dicitur formativa, non est anima, neque in processu generationis* (ubi excludit traductionem animæ) *fit anima: sed cum ipsa fundetur, sicut in proprio subjecto, in spiritu, cujus est semen continuum, sicut quoddam spumosum, operatur formationem corporis, prout agit ex vi* (id est actione; quia vim aliam totâ hâc Resolutione repulimus) *animæ patris.* Vnde pro hac difficultate ævi nostri Medici D. Thomam adire debent, non Galenum; qui lib. de Conform. fœtus, narrat se totam vitam in hujus difficultatis investigatione & admiratione transegisse, atque à Philosophis sui ævi lucem quæsivisse; sed tenebras tantùm majores & tristitiam retulisse.

Corrolarium II.

LXIX. COlliges 2°. causam totalem substantiarum, sive viventium, etiam hominum, sive non viventium, esse substantias & accidentia; principalem quidem corpora cœlestia, elementa substantiæ similis rationis, earum accidentia, &c. quia contingere non potest, quòd hæc non sint perfectiora, vel æque perfecta, effectu substantiali producto; instrumentalem illa accidentia, quæ respectivè ad substantiam sunt earum instrumenta, cum indigeant earum coöperatione & auxilio ad producendas substantias, & seorsim ab illis sint imperfectiora effectu producto.

Dixi, *etiam hominum*; quia licèt corpora cœlestia ad creationem animæ hominis non concurrãt; ad generationem tamen hominis, conformationem, membranificationem, carnificationem, ossificationem, &c. concurrere patet, tum experientiâ, quòd partus sub tali, vel tali constellatione natus, alias habeat propensiones, imò interdum infirmitates, quàm natus sub alia: Vnde, astra dicuntur illos ad hoc vel illud inclinare, sed non necessitare; item quædam esse viventium generationi propitia, quædam noxia; tum 1°. authoritate D. Thomæ de malo quæst. 3ª. de causa peccati art. 2°. *necesse est enim omnes motus causarum secundarum causari à primo movente, sicut omnes motus inferiorum causantur à motu cœli*; illi autem motus causantur à primo movente immediatè ut principio *quo*, ut infra patebit; ergo & hi à motu cœli: tum 2° authoritate Aristotelis 2°. Phys. textu 26°, *sol & homo generant hominem*; ubi Aristoteles accipit solem pro omnibus astris ad generationem concurrentibus; unde non satis attente P. Lupus dictæ suæ Apologiæ fol. 75°. dicit, ista esse falsissima, & nullam veritatis apparentiam habere; prima ratio ipsius est; quia multa generantur nocturno tempore, quo nulla est solis in nos actio & operatio: hæc ratio omnino nulla est; quia licèt sol non luceat, eo tempore sunt astra & eorum in nos operationes: secunda, deberent esse instrumenta alicujus causæ principalis creatæ, vel increatæ, quorum neutrum (inquit) rectè & sapienter dicitur: Respondeo esse instrumenta causæ creatæ (ne alioqui, uti ipse, & alii, videamur velle ad Deum sinè necessitate recurrere) quâ parte producunt effectum se nobiliorem, & ad id coadjuvantur & elevantur à causa se nobiliori: malim tamen illa denominare causas comprincipales; quia rarò contingit illa elevari & coadjuvari ad effectum se nobiliorem à causa se nobiliori: quòd autem ibidem dicat, causas Vniversales (ut sunt astra) non posse instrumentaliter & ministerialiter subjici & subordinari causis particularibus, apertè falsum est; quia illis subjici, & subordinari, non est esse minùs amplæ, & extensæ activitatis, ut vult, quàm id cui subjiciuntur, vel subordinantur, sed indifferentis & determinabili: ab ipso, prout est Deus, in sententia plurimorum, ad concurrendum cum creaturis, qui tamen est causa universalissima.

DVBIVM III.

Quodnam sit principium immediatum quo *Accidentium.*

LXX. ANte Resolutionem
Suppono accidentium, alia esse naturalia, quorum, quædam sunt primo instanti juxtà exigentiam naturæ debita, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ; quædam non nisi aliis instantibus, ut motus sursum respectu ignis, motus deorsum respectu terræ, & quælibet actio extranea respectu suæ causæ: alia extranea, id est indebita, & ab extrinseco agente provenientia. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

LXXI. Dico 1°. Principium immediatum *quo* accidentium connaturalium, sunt forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta.

LXXII. Probant primam partem PP. Arriaga, Oviedus, Poncius & alii communiter, aqua seipsam reducit ad pristinum frigus, quod violentiâ agentium circumstantium ei fuerat ademptum. Verùm hoc negari potest, & dici aquam reduci ab agentibus circumstantibus, & residuo frigore fortioribus, quàm agentia opposita; alioqui non reducendam, prout nec reduceretur, si poneretur in vacuo: quare aliter

LXXIII. Probatur conclusio, nulla est ratio denegandi substantiæ, aut accidenti proportionato, virtutem producendi accidens, quod ad sui præsentiam producitur; sed accidentia connaturalia producuntur ad præsentiam formæ substantialis compositi, causæ substantialis producentis, saltem secundùm suam actionem permanentem, & hujus proportionatorum instrumentorum; ergo principium immediatum *quo* accidentium connaturalium sunt forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta: Probatur consequentia, quia causæ plures proportionatæ sufficienter applicatæ, cooperantur; non enim est ratio, cur una potius, quàm alia operetur, & effectum producat; sed forma substantialis compositi, causa ejus substantialis producens, & hujus proportionata instrumenta, sunt causæ proportionatæ, & sufficienter applicatæ ad producenda accidentia naturalia, ergo, &c. Probatur hæc minor, quia solùm dubium esse potest de causa producente substantiali ipsius formæ productæ, & illa tam est applicata ad producenda accidentia connaturalia formæ substantialis compositi, quàm ad hanc formam substantialem producendam, ut patet.

LXXIV. Confirmatur 1°. potentiæ vitales, quæ non distinguuntur realiter ab anima, sunt principium immediatum *quo* suarum actionum; sed illi actus sunt accidentia connaturalia, non quidem primo instanti, sed aliis instantibus, debita, ergo, &c.

LXXV. Confirmatur 2°, ex Aristotele lib. 3o Physic. cap. 4o. *qui dat formam, dat consequentia ad illam*; sed consequentia ad illam maximè sunt accidentia connaturalia; ergo causa substantialis, & ejus instrumenta proportionata sunt principium, saltem partiale, immediatum *quo* accidentium connaturalium: probatur consequentia, quia hæc dant formam.

LXXVI. Respondetur communiter, Aristotelem intelligendum sic, ut velit à generante virtualiter, & mediatè tantùm dari consequentia ad formam, ab eo, qui dat formam; verùm hæc Responsio est mihi improbabilis; nam dare formam, est causare formam; illud autem non causat, quod mediatè, seu quod solâ suâ virtute mediante, causat; alioqui Adamus adhuc jam generaret proles, quæ hodie nascuntur; causare enim, non est causam, seu virtutem causandi habere, sed causalitatem, sive actionem, quam reverà causa mediatè, non habet. Hinc

LXXVII. Collige contra Toletum & Complutenses nostros, non solum generantem formam substantialem; nec, contra Poncium, Scotistas, Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, &c. solam formam substantialem productam producere sua accidentia connaturalia primo instanti debita, sed omnia à nobis in Resolutione enumerata simul.

Resolutio II.

LXXVIII. Dico 2°. principium immediatum *quo* accidentium extraneorum, de facto est forma substantialis compositi, instrumenta ejus, & quælibet causa proportionata sufficienter applicata: est contra Scotistas, Suarem, Poncium, Oviedum, &c.

LXXIX. Probatur Resolutio, ubi ad præsentiam diversarum causarum proportionatarum, & capacium effectus producendi, producitur effectus, non est, cur una potius, quàm alia dicatur de facto principium immediatum *quo* effectus producti, omnes dici debent principium, &c. sed substantia, instrumenta ejus, & quælibet causa proportionata sufficienter applicata sunt causæ proportionatæ & capaces, & ad præsentiam earum producuntur accidentia extranea; ergo omnes illæ sunt dicendæ principium immediatum *quo* accidentium; major & minor pro 2ª & 3ª parte patent: minoris itaque pars prima probatur; sol, piper, & similia producunt in passo extraneo calorem; hæc verò, non sunt in se formaliter calida, ergo secundùm suam substantiam producunt in passo extraneo calorem.

LXXX. Confirmatur, quod est principium immediatum *quo* causæ, potest esse principium immediatum *quo* effectus illius ejusdem cum illa rationis; sed secundùm adversarios causa caloris extranei de facto est calor connaturalis, ignis v. g. cujus, juxta primam Resolutionem, causa & principium *quo* immediatum de facto est forma substantialis compositi, causa hanc producens, & hujus instrumenta proportionata, & sufficienter applicata; ergo & caloris extranei causa, & principium *quo* immediatum de facto est forma substantialis compositi, instrumenta ejus, & quælibet causa proportionata & sufficienter applicata.

LXXXI. Objicies 1° ex P. Arriaga; calor existens in aqua, vel inter species Eucharisticas, solus producit calorem in manu; quia, ut patet, à forma substantiali aquæ, vel alia, ad id non juvatur; ergo & solus jam calor in igne.

LXXXII. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, quòd in primo casu desit causa substantialis proportionata; in secundo adsit: causa autem proportionata sufficienter applicata necessariò agit, si necessaria, de qua hic.

LXXXIII. Objicies 2° ex P. Poncio; si ignis posset per suam substantiam producere calorem in extraneo subjecto, frustra daretur illi calor à natura; sed hoc non est dicendum, ergo, &c. Probatur major, quia quidquid posset facere per calorem, posset facere per propriam substantiam, ergo, &c.

LXXXIV. Respondeo distinguendo majorem, si ignis, &c. frustra daretur illi calor ad producendum alium calorem, concedo majorem; ad perfectionem accidentalem ipsius ignis, & ut calor haberet causam univocam non secus ac ignis, nego majorem; illa enim utilitas est satis magna: unde dic non dari igni calorem simpliciter ad producendum calorem

lorem, sed ad perfectionem, uti lapidi gravitas datur, & ut calor haberet, &c.

LXXXV. Addi potest dari calorem igni ut propriam ignis perfectionem; ignem tamen etiam per hunc extraneum calorem producere; quia agens ex natura sua agit ad assimilandum sibi passum; agens autem hîc est forma ignis, & calor proprietas ejus; ergo & passum debuit esse forma ignis & calor ab igne & calore ejus producti.

LXXXVI. Petes quænam accidentia sint activa transeunter?

LXXXVII. Respondeo verisimilius solas qualitates; quia illæ solæ sequuntur formam, quæ est principium activitatis transeuntis; non tamen omnes, quia sonus, colores, & odores videntur tantùm agere intentionaliter, seu per speciem sui impressam. De raritate & densitate infra.

DVBIVM IV.

An productio formæ novæ sit prior expulsione veteris cum ipsa impossibilis: an è contra.

Resolutio.

LXXXVIII. Dico, introductio dispositionum ad formam novam, & destructio dispositionum ad veterem; introductio novæ formæ substantialis, & destructio veteris, sunt in eodem indivisibili instanti temporis, sed illæ in priori naturæ, hæ in posteriori.

LXXXIX. Probant communiter primam partem; quia alioqui, si introductio dicta sit prior tempore, erunt simul in eodem subjecto duæ formæ contrariæ & totales substantiales; si verò destructio sit prior tempore, materia erit aliquo instanti sinè omni forma: verùm horum utrumque naturaliter fieri supra probavimus: unde probatio ista corruit. quare aliter

LXXX. Probatur prima pars; quia introductio & destructio, &c. non minùs possunt esse simul in eodem indivisibili instanti, quàm causa & effectus; nam reverà sunt causa corrumpens, & effectus corruptus, ergo, &c.

LXXXI. Probatur secunda pars; quia sicut inter Theologos priùs naturâ est peccatum, quàm expellatur gratia; nam perit gratia, quia committitur peccatum; ita inter Philosophos prius naturâ est frigus, quàm expellatur calor, & sic proportionaliter de forma substantiali; nam perit calor, quia introducitur frigus.

LXXXII. Objicies, si introductio novæ formæ esset prior naturâ desitione veteris, essent simul tempore & naturâ forma vetus & nova, gratia & peccatum, forma ignis & aquæ, &c. sed hoc est absurdum, ergo &c.

LXXXIII. Respondeo negando majorem; quia eo tempore, quo est causa, est effectus, ac proinde, quo tempore est forma nova causa corrumpens, est forma vetus corrupta sive effectus causæ corrumpentis; neque tamen causa & effectus sunt magìs simul naturâ, quàm causa sit effectus; in nostra enim sententia, quæ docet *esse prius naturâ* nihil aliud esse, quàm *esse causam*; & *esse posterius naturâ* nihil aliud esse, quàm *esse effectum*, facilè hæc, & aliæ, solvuntur objectiones, quæ contra hanc Resolutionem fieri possunt: unde cum dicitur in illo priori, in quo est forma nova, vel est forma vetus, vel non? si non, ergo est destructa; si sic, ergo sunt duæ formæ contrariæ simul: in nostra sententia sensus est, in illo priori, in quo est forma nova, vel forma vetus est forma corrumpens, vel non? quia esse in illo priori est esse causam; quod est ridiculum (licèt ad id alii valde obscurè & difficulter respondeant,) quis enim dicat in priori quô est forma nova, id est, quô est causa corrumpens veterem; similiter veterem esse corrumpentem? nisi dixerit idem simul esse corrumpens & corruptum, ac per consequens, esse & non esse.

DISPVTATIO VII.

De causa Efficiente Increata.

DVBIVM I.

Quid Dei cum Causis secundis concursus, & quotuplex.

I. ANte Resolutionem Suppono concursum ex etymologia nominis esse duorum cursum, ac proinde concursum in proposito esse Dei & creaturæ cursum, sive actionem, ut omnes Philosophi ac Theologi cursum istum interpretantur; unde sicuti actio, sive creaturæ ut causæ efficientis causalitas, dupliciter considerari potest, semel in actu primo, & iterum in actu secundo; ita concursus Dei dupliciter considerari potest, semel in actu primo, & semel in actu secundo. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

II. DIco 1°. Dei cum causis secundis concursus in actu primo est virtus increata, & creata potens operari; sic nempe, ut sit in actu primo remoto tantùm, si remotè tantùm potens, in proximo, si proximè potens operari.

III. Probatur à proportione sumpta ex dictis supra lib. 3°. Disput. 5. Dub. 2°. de cursu sive causalitate in actu primo, nempe, quòd sit virtus potens operari; ergo concausalitas sive concursus Dei cum creaturis in actu primo, est virtus Dei increata, & virtus creaturæ creata, potens operari.

Resolutio II.

IV. DIco 2°, Dei cum causis secundis concursus in actu secundo est actio virtutis increatæ, & creatæ potentis operari.

V. Probatur similiter à proportione sumpta ex dictis loco citato de cursu, sive causalitate, in actu secundo, nempe, quòd sit actio, sive operatio, à qua causa denominatur agens, sive operans effectum; ergo concausalitas, sive Dei cum causis secundis concursus in actu secundo, est actio, sive

operatio virtutis increatæ, & creatæ, potentis operari, à qua denominatur actu operans.

Resolutio III.

VI. Dico 3o. concursus Dei cum creaturis in actu secundo est duplex, unus immediatus, alter mediatus. ita omnes Theologi & Philosophi.

Immediatus est actio, quâ Deus immediatè & proximè attingit & operatur effectum; mediatus verò, quâ remotè tantùm, & mediante actione alterius causæ à se non manante attingit & operatur effectum; unde parens meus immediatè, Adam mediatè, ad generationem mei concurrit.

Dvbivm II.

Quomodo Concursus; vel potius cursus Dei cum Creaturis in actu primo, proximè præparetur, aut creaturæ applicetur.

VII. Nodus hic (inquit P. Comptonus) semper visus est omnibus solutu difficillimus, qui proinde authores in varias traxit sententias, quas fusius examinabimus in Theologia; ut tamen, quid mihi vero similius, aperiam, sit

Resolutio.

VIII. Dico, Concursus Dei cum creaturis in actu primo proximo, aliud non est, quàm Deus, sive Dei omnipotentia, & creatura, in eo statu à Deo libere constituta, in quo proximè possit operari.

IX. Probatur, quia hoc ipso quòd Deus creaturam in eo statu liberè constituit, in quo proximè possit operari, id ex hoc motivo facit, *ut sit creaturæ omnipotentia ad proximè operandum applicata*; atqui ut sic concursum suum in actu primo proximo creaturæ sufficientissimè applicat, haud secus quàm amorem suum creaturæ sufficientissimè applicet, si gratiam in creatura sub hoc motivo *ut sit creatura à se amata*, producat, ergo, &c.

X. Confirmatur, hic modus explicandi Dei cum creaturis concursum in actu primo proximo est facillimus & clarissimus; alii autem difficiles & obscuri, ergo, &c. Probatur assumptum pro 2ª parte: nonnulli eum hoc modo explicant, ut Deus dicat, *nolo impedire omnipotentiam meam quo minus producat hunc actum*, &c. sed (præterquam quòd illi summam difficultatem patiantur, ut ostendant per quid nolitio ista positiva Dei, à volitione positiva *quâ id vult impedire*, ut positiva distinguatur; vel etiam, quod ipsis difficilius, per quid à non volitione, sive nolitione negativa, quâ id negativè non vult impedire, ut positiva distinguatur, nisi ad nostram explicationem recurrant) ille concursus est tantùm permissivus, & potius volitio applicativa per modum removentis prohibens quàm positivè applicans, hoc autem non sufficit; quia sicut Deus in actu secundo, non tantùm omnia operatur per modum removentis prohibens, ita nec in actu primo; ut verò sit applicans positivè, aliud necessariò requiritur. Alii verò hoc modo, *volo tecum concurrere ad hunc actum, si tu hunc actum elicias; vel ad alium, si alium elicias; nolo concurrere, si nullum elicias*: sed, præterquam quòd hic modus pro secunda parte distinctionis in difficultates præcedentis impingat; facit actionem creaturæ conditionatam, à Deo independentem, & concursum Dei in actu primo proximo à creatura dependentem, quæ sunt perabsurda; deinde illa explicatio reipsâ, & in rigore veritatis, æquivalet huic, *volo concurrere, si concurram*; quia nisi Deus concurrat, non elicies; illa autem explicatio non est explicatio, sed ridicula implicatio. Thomistæ denique communius volunt explicationem illam fieri per decretum Dei ex se antecedenter absolutè efficax; sed quoniam modus hic per hoc à Scholasticis præcipuè impugnetur, quòd videatur libertatem tollere, ob nuperrima Pontificum decreta supersedeo; licèt fortè periculum non sit de illis loqui in ordine ad actus naturales; quia præstat non loqui, quàm malè loquendi periculo, in rebus gravis momenti, sine necessitate exponi.

Dvbivm III.

An Concursus Dei in actu secundo ad effectus causarum secundarum sit immediatus.

XI. Dvæ circa hoc dubium referri possunt sententiæ: affirmativa una, negativa alia; pro negativa citatur ordinariè Durandus in 2. dist. 3. q. 25. & Disp. 32. q. 1ª. Origenes lib. 7. Periarchon. teste S. Thomâ lib. 3o contra gentes cap. 89. & sententiæ ejus suscitator Ludovicus à Dola Capucinus, qui pro illa citat Augustinum, Anselmum, & D. Thomam; è Scholasticis verò ex Ordine Minorum S. Francisci, Alensem, Bonaventuram, Scotum, Aureolum, Scotellum, Bonetum lib. 7. Theol. cap. 3. Palanterium; & ex aliis Hermacanum, Petrum Pomponacium, Reynerum de Pisis, & alios; sed maximè pro se citat Tridentinum sess. 6ª. canone 6o. his verbis, *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari non permissivè tantùm, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit.*

XII. Pro 1ª ejus ratione adferri potest, quòd ex sententia affirmativa Melancton & alii hæretici intulerunt *proditionem Iudæ*, & sic de omnibus aliis peccatis, *esse proprium opus Dei, non minùs, quàm vocationem Pauli*: Pro secunda verò, quòd sit contra sanctitatem Dei concurrere immediatè ad odium sui, & cætera peccata: quia hoc dato (ut fusè probat) difficulter ostenditur, quomodo non sit peccator, causa & author peccati.

XIII. Tutior tamen & majoris authoritatis ac veritatis est affirmativa. quòd tutior, patet; quia S. Thomas in 2um dist. 37. q. 2. art. 2o. docet, negativam esse proximam duobus erroribus, nempe *quòd sint duo prima principia; unum bonorum, alterum malorum; & Deus non sit causa Vniversalis.* Capreolus in 4. dist. 12. q. 1. ad 1um. *esse doctrinam Pelagii.* Albertus Magnus in 2um. distinct. 35. art. 7o. *à multis modernorum vocari hæreticam.* Suarez lib. 1o. de Concursu Dei cap. 4o. n. 2. *ab omnibus probatis Theologis non solùm reprehendi; sed etiam ut errorem in fide rejici.* Vasquez 1. 2. Disp. 129. cap. 3. n. 8. *erroris nomine ab omnibus scholasticis jam diu esse rejectam.* quòd verò majoris veritatis; præterquam quòd S. Bonavent. in 2um. distinct. 37. art. 1. q. 1. dicat *affirmativam absque omni ambiguitate esse tenen-*

tenendam : & Suarez loco jam citato, *affirmativam esse veram & certam doctrinam, in qua reliqui omnes præter Durandum conveniunt* ; statim probabitur. Quare sit

RESOLUTIO.

XIV. DICO, Deus immediatè & proximè ad omnes actus nostros, & omnium causarum secundarum, sive pravos, sive bonos, concurrit.

XV. Probatur 1o. ex Script. Ioan. 5o. *Pater meus usque modò operatur & ego operor* : ad quem locum non rectè respondet P. Ludov. à Dola istis verbis solùm refelli quorumdam hæreticorum sententiam, qui dicebant Deum nihil amplius operari : quia nihil simile in illo capite, sed IESVS obstruit os Iudæis murmurantibus, quòd in sabbatho infirmum sanaret, dicens : *Pater meus usque modò operatur*, puta omnia, *& ego operor*. quasi diceret, Pater omnia operatur, & ego necessariò debeo Patri cooperari.

XVI. Item ex Ioan. 15o. *sinè me nihil potestis facere* : nec rectius ad hunc locum, respondet 1o. præfatus author, Christum Dominum ibi tantùm loqui de operibus piis ; nam textus verba sequentia manifestè aliud significant ; postquam enim dixit, *sinè me nihil potestis facere*, subdit, *si quis in me non manserit* (subaudi, sed per opera prava v. g. odia Dei, ut infra, *qui me odit & Patrem meum odit*, à me recesserit) *mittetur foras*, &c.

XVII. 2o. quod Respondet ; si Christus loqueretur de concursu Dei generali ad omnes actus nostros, influentiam mediatam & remotam sufficere ad verificanda illa verba, & etiam verba Isaiæ 43o. *servire me fecisti in iniquitatibus tuis* ; patebit falsum esse infra ex probatione Resolutionis à ratione.

XVIII. Probatur 2o. ex S. Augustino tom. 3o. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20o. ubi præmissis his Christi Ioan. 5o. verbis, *Pater meus usque modo operatur & ego operor*, subdit, *Deum non magna solùm, & præcipua in nobis operari ; verùm etiam ista terrena & infima*. & Epist. 146. quæst. 2a. *quomodo negare poterimus Deum, etiamnum operari cuncta, quæ sunt, cum Dominus dicat, Pater meus usque modò operatur*. item ex Sancto Anselmo de Concordia gratiæ & liberi arbitrii cap. 1o. *facit Deus omnia, quæ justâ vel injustâ voluntate sunt*, id est, *opera bona & mala. in bonis quidem facit, quòd sunt, & quòd bona sunt ; in malis facit quòd sunt, sed non quòd malæ sunt*. Vnde Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem, oppositum ostendit esse Pelagii, de quo ait, *Dicebat Deum, collato semel libero arbitrio, ulterius nobis ad operandum, non esse necessarium*, ergo, &c.

XIX. Probatur 3o ex Divo Thoma in 2um. Sentent. distinct. 37a. quæst. 2a. art. 2o, ubi refert duas opiniones, quarum prima (quam sequitur distinct. 31a.) docet, *actus in quantum actus sunt à Deo esse, sed in quantum deformitatem habent, à Deo non esse, sed ab homine, vel Diabolo*. Secunda (quam rejicit) docet *actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus sunt, à Deo esse*, & de hac opinione dicit esse propinquissimam duplici errori, scilicet Manichæorum, *quòd sint plura prima principia*, id est, agentia sinè cooperatione immediata (ut statim patebit) agentis prioris, quod verè fieret ; & aliorum, *quòd Deus non sit causa Vniversalis & prima omnium entium*, qualis non esset, ut similiter statim patebit.

XX. Confirmatur ex eodem 3o. contra Gentes cap. 70o. *sicut igitur non est inconveniens, quòd una actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute, ita non est inconveniens, quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab utroque immediatè, licèt alio & alio modo*, id est, à Deo tamquam causâ Vniversali, & à creatura tamquam causâ particulari ; ubi vides Sanctum Thomam expressè docere nostram sententiam ; nec rectius, quàm ante, Ludovicum à Dola parte 4a. cap. 2o. docere, nos ne quidem locum unum, ac testimonium alicujus Sancti Patris adducere, in quo expressissima mentio fiat concursus proximi, v. g. Dei, & actioni causæ 2æ identificati ad singulos actus nostros.

XXI. Probatur 4o. ex Sancto Bonaventura in 2um. distinct. 37a. art. 1o. quæst. 1a. ubi post multa addit, *ideo hæc positio, quæ dicit omnem actionem esse à Deo secundùm quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est* ; & art. 2o. docet *Deum conservare immediatè omne ens positivum* ; ac proindè omnem actionem immediatè ponere, ut rectè sequitur.

XXII. Probatur 5o ratione, omnes Scripturæ, Concilia ; & Sancti Patres, Augustinus, Thomas, Anselmus, &c. quos Ludovicus à Dola pro se interpretatur, item & Scholastici omnes, debent necessariò fateri, actiones creaturæ, tam pravas, quàm bonas, eo modo esse à Deo, qui requiritur, ut Deus verè sit causa Vniversalis, primum principium seu primum movens : unde Augustinus tom. 3o. lib. 5. de Gen. ad litteram cap. 20o. ait, *Deum non magna solùm, & præcipua in nobis operari, verùm etiam ista terrena & infima*. quare Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem in hæc verba Pelagii : *audite sacrilegium, si voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit*, acriter invehitur, *ingratè*, &c. alioqui non salvaretur prima subordinatio causæ secundæ ad primam, quam (ut fatentur omnes) fides docet ; sed ad id requiritur ut Deus immediatè & proximè ad omnes actus nostros, & omnium causarum secundarum, sive pravos, sive bonos, concurrat, ergo, &c.

XXIII. Probatur minor, quia solummodò principium immediatum *quo* & proximum est vera causa, verum principium & verè movens, uti debet esse causa Vniversalis, primum principium, seu primum movens ; quia ly *Vniversalis* additum causæ, ly *primum* additum principio seu moventi, non est particula alienans aut distrahens, sed potius approprians & contrahens, uti de ly *principali* additum causæ, supra diximus ; imò dici potest, causam secundam & particularem, saltem quoad opera bona respectu primæ & Vniversalis, se habere instar causæ instrumentalis respectu principalis : neque ad hæc ullibi

XXIV. Respondet Ludovicus à Dola : imò parte 4a. cap. 5o. docet ex Divo Thoma, primum agens & immediatum agens idem omnino significare ; quod maximè in nostra explicatione verum est ; in ipsius, intelligendo per ly *primum* immediatum, falsum, ergo, &c. Probatur hæc major ; quia remanente solo principio *quo* immediato & proximo actionis, non aliter se habet mediatum & remotum ad actionem, quàm si numquam exti isset : sed si numquam extitisset, non esset vera cau-

sa, verum principium, & verum movens, ergo, &c. Hinc

xxv. Confirmatur Resolutio nostra ex Nysseni Concilii symbolo in quo canitur, *quòd Deus sit factor* (utique immediatè & proximè ex jam dictis) *omnium visibilium & invisibilium*: Nec satisfacit quod dicit à Dola 4ª. parte cap. 7°. Nysse-nam synodum definire non potuisse propositionem, cujus contradictoria est in Tridentino supra definita v. g. *Deum mala opera propriè & per se non facere*: nam dici debet in Nysseno definiri solùm *Deum opera mala immediatè ut causam Vniversalem, ac proindè non propriè & per se, facere*; in Tridentino verò definiri *Deum mala opera non facere, tamquam causam particularem, ac proindè, nec propriè, nec per se.*

xxvi. Probatur 6°. aliâ ratione, si possent homines immediatè & proximè producere suos actus naturales Deo ad eos immediatè & proximè, non concurrente, possent & cæteræ causæ suos effectus naturales immediatè & proximè producere, Deo ad illos proximè & immediatè non concurrente, ac proindè Deus usque modò nihil naturaliter generaret, nec quidquam naturaliter genitum conservaret; cum per suam generationem, quæ immediatè est à causa 2ª, conserventur, ut infra patebit; sed hæc non sunt conformia Scripturæ, Nysseno synodo & Patribus supra citatis, ad quorum authoritatem salvandam docet à Dola Deum concurrere ad omnia opera creaturæ *mediatè*, id est, inquit, *dando & conservando ipsam causam, sive virtutem agendi*; quod ut insufficiens ante rejectum est, ergo, &c. minor patet; probatur major à pari; non enim est major ratio unius, quàm alterius. Ex his

xxvii. Collige contra Hurtadum Disput. 10ª Physic. sect. 2ª. Arriagam hic Disput. 10ª sect. 1ª num. 17. & Ludovicum à Dola, per mediatum Dei influxum, sinè immediato & proximo, non posse satis explicari allata supra Concilii & Patrum loca.

xxviii. Probatur 7°. Deo debemus tribuere perfectissimum in actiones creaturarum dominium, quod possumus; sed perfectius est dominium immediatum simul & mediatum, quàm mediatum tantùm, ergo, &c.

xxix. Respondet 1°. Arriaga, perfectissimum Dei dominium sufficienter salvari in immediata Dei permissione tanquàm conditione *sinè qua non* absque concursu Dei immediato; ita ferè etiam Pater Poncius Physic. lib. 2°. Disput. 38. quæst. 6. sed

xxx. Contra, illa permissio Dei immediata, vel est ex parte Dei immediatè efficax volitio actionum creaturarum, vel immediatè inefficax ex parte Dei? si primum; ergo includit concursum Dei immediatum, quia esse non potest immediatè efficax ex parte Dei sinè immediato Dei concursu, ut patet; ergo non salvatur perfectissimum Dei in actiones creaturarum dominium sine immediato Dei concursu: si secundum; ergo sicut ex parte Dei uno tempore est inefficax, sive in ordine ad productionem, sive in ordine ad destructionem actionum creaturarum; ita omni; quia Deus mutari non potest; ac proindè, sicut vi illius numquam producetur, vel destructur effectus; ita vi illius nunquam Deus habebit perfectissimum in actiones creaturarum dominium.

xxxi. Respondet 2°. Ludovicus à Dola, nos non debere esse fatuos adulatores Dei; neque debemus existimare majorem aliquam perfectionem fore in Deo, si possit omne opus nostrum propriè & per se operari, cum repugnet ita operari actus pravos. sed

xxxii. Contra, si affirmetur non repugnare Deum propriè ac per se ut causam Vniversalem operari actus pravos, sapienter Deo tribuitur, quod ipsi fatuè negando, aufertur: sicut enim Deus, quia omniscius omnia visibilia Physica ante intellectum existentia, sive honesta, sive inhonesta, propriè, directè & eodem modo videt; ita Deus, quia est omnipotens, omnia producibilia Physica, quà Physica & actus à malitia condistinctos, sive bona, sive mala, propriè, directè, & eodem modo producit: quomodo etiam, utpote Dominus perfectissimus omnium creaturarum, propriè, directè, & eodem modo omnia destruibilia Physica, sive bona, sive mala, destruere potest; cur enim unum propriè, aliud impropriè? aut unum directè, aliud indirectè? cum sit æqualis scientiæ, potentiæ, & dominii, in producibilia Physica quà Physica & actus à malitia condistinctos, ergo unum & aliud potest.

xxxiii. Adde permissionem Dei non videri se habere ad actiones creaturæ, nisi per modum removentis prohibens, in quo non satis salvatur dependentia creaturarum à Deo, sic ut ratione illius permissionis, quæ ut sic videtur negatio tantùm volitionis efficaciter impedientis, possit eas destruere immediatè; imò nec mediatè posset supposità veritate nostræ sententiæ, *quòd productiones substantiarum sint permanentes earumdem, desinentibus causis, conservationes*) qui autem hoc assereret, plus quàm Durandus assereret.

xxxiv. Probat 7°. P. Poncius, Deus determinat ad individuum cujuslibet speciei, quod produci debet; sed hæc determinatio importat concursum in actu secundo, ergo, &c. verùm de hac probatione infra.

xxxv. Probat 8°. P. Comptonus hic; sicut infinita Dei scientia essentialiter postulat ut nulla res existere possit, quin eam Deus actu cognoscat, ita infinita ejus virtus productiva poscere videtur, ut nihil existere possit, quin illud Deus actu producat. Sed istud argumentum, ut jacet, nihil planè convincit; quia infinita Dei scientia extenditur ad malum quà malum, peccatum quà peccatum, ad quod infinita Dei potentia & bonitas extendi non potest.

Solutio Objectionum.

xxxvi. Objicies 1°. Tridentinum pro contraria sententia supra num. 11°. *signus*, &c. citatum, & addes ex Suare lib. 2°. de concursu, cap. 2°, & ex Ruiz de voluntate Dei Disp. 22ª. sect. 1ª, illud loqui, non de ratione formali malitiæ; sed etiam de materiali actione malorum operum, 1°, quia alioqui dixisset, *sed malitiam operum, ita ut bonitatem Deum operari*; & non *sed mala opera, ita ut bona Deum operari*: præsertim cum soleat exactè loqui, & unum sit æque facilè dictu ac aliud; 2°. loquitur de operibus malis eô sensu, quô ibidem dicit, *ea esse in potestate hominis*, ac proindè *quoad actionem & malitiam*: 3°, quia alioqui definitio Concilii, præter intentum, nihil concludet

cluderet contra Calvinum, Lutherum, Zvvinglium, Bezam, Melanctonem, & alios istius temporis hæreticos, qui (ut fusè probat Ruiz loco citato sect. 2ª) ita se explicant, ut Deus non velit, neque causet, neque necessitet ad malitiam, neque ad actionem in quantum est peccatum, sed solummodo ad materialem actionem peccati, in quantum est ens & bona, ita Zvvinglius in sermone de Prov. c. 5°. *Numen ipsum author est ejus, quod nobis injustitia est, illi verò nullatenus injustitia est*; & Melancton inter definitiones suas Theologicas, *firmissimè & tamquam utrâque manu tenenda est sententia, quæ negat Deum ullo modo esse authorem peccati*; cum tamen dixerit in annotationibus in Epist. ad Roman. cap. 9°. *etiam quæ mala sunt, esse propria Dei opera*; utique quoad actionem, & non quoad malitiam; alioqui clarum est Deum fore authorem peccati.

XXXVII. Respondeo 1°. Concilii definitionem, objecto sensu, non posse admitti, nisi velis sententias Sanctorum Augustini, Anselmi, Thomæ, Bonaventuræ, & Scotistarum; omnium Thomistarum; & PP. Societatis communiter, in eo damnar hæresæos, quod plusquam temerarium esset: unde de eo recusat ferre sententiam vel ipse Ludovicus à Dola.

XXXVIII. Respondeo 2°, Concilium etiam Ludovicum à Dola, & illos, quos sequitur, premere; nam docet *opera mala mediatè*, id est, solùm permissivè, & per aliud, ut explicat parte 4ª. cap. 2°; *ita ut bona* (nam etiam docet hæc fieri mediatè) *Deum operari*; in Tridentino tamen dicitur, *si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, anathema sit.*

XXXIX. Deinde quæro ab ipso, quid Concilium intelligat per ly *propriè & per se?* si intelligat concursum immediatum; ergo ad opera, ad quæ *propriè & per se* ex Concilio concurrit, immediatè concurrit contra ipsummet Ludovicum à Dola; si mediatum, iterum contra à Dola sequitur, Deum ad opera mala veluti ad bona mediate (ut docet) concurrere, quod anathematizat Concilium negans de operibus malis, quod de bonis affirmat. Pro Responsione tertia,

XL. Adverte, concursum Dei assignari debere duplicem, unum Dei, ut causæ Vniversalis, alium Dei ut causæ particularis; concursus autem Dei ut causæ Vniversalis est omnipotentia Dei applicata causæ secundæ per voluntatem, in quantum requiritur ex parte causæ primæ & Vniversalis, efficacem ad concurrendum cum illo ad omnes ejus actiones, juxta ejus inclinationem & naturam: concursus verò Dei ut causæ particularis est eadem omnipotentia applicata causæ secundæ per voluntatem, quantum requiritur ex parte causæ primæ, efficacem ad concurrendum cum illa ad suas actiones, & dando ei motiones particulares ad illas inclinantes, & auxilia oportuna ut fiant: 1° concursu concurrit Deus immediatè ad omnes actiones causarum secundarum, sive bonas, sive pravas; 2°, non nisi ad bonas. Hoc itaque præmisso,

XLI. Respondeo 3° contra Arriagam, Oviedum, Poncium & alios communiter, Concilium quidem intelligi etiam de materiali actione malorum operum, & non solùm de formali malitiæ, adhuc tamen contra Ludovicum à Dola, & ejus Patronos, Deum concurrere immediatè ad omnes actiones, sive pravas, sive bonas, omnium causarum secundarum; nam Tridentini (quod contra nos maximè urget) est hic sensus, *si quis dixerit non esse in potestate hominis* (puta attento concursu Dei ut causæ Vniversalis) *vias suas malas facere: sed mala opera* (puta per concursum causæ particularis) *ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm* (puta attento concursu particulari, qui in ordine ad illa non datur) *sed etiam propriè & per se* (puta ratione concursus causæ particularis) *adeò ut proprium ejus opus non minùs sit proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, Anathema sit.*

XLII. Adde hanc explicationem esse Tridentino conformem, clarè erui ex hæreticorum erroribus, qui ibi anathematizantur; dicitur enim 1°, *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere*; 1°. contra Bezam in refutatione secundæ calumniæ Castellionis, *non potuerunt resistere Dei voluntati* (scilicet qui injustè fecerunt) id est decreto, *fateor*: 2°. contra Calvinum lib. 3°. institut. cap. 23°. ubi docet, *reprobis ex Dei ordinatione injici peccandi necessitatem*: 3°. contra Lutherum apud Ruardum lib. 7°. de libero arbitrio fol. 357°, *quomodo potest liberum arbitrium se ad bonum præparare, cum neque in potestate sua habeat vias suas malas facere*; item apud Rosensem fol. 341°. usque ad 345^um^. *fratres Ioseph, omnes cogitaverunt eum occidere, & ecce ipsa cogitatio à Deo non erat in eorum arbitrio*: 4°. contra Lutherum iterum, Melanctonem & Busserum apud Sotum lib. 1°. de Natura & gratia cap. 17°. sed ajunt, *quòd quamvis omne peccatum voluntate committatur, non tamen omne sit liberè.*

XLIII. Dicitur 2°. *sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed propriè & per se, &c.* 1°. contra Melanctonem in annotationibus in Epistolam ad Roman. *nos verò docemus non solùm permittere Deum creaturis ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere* (id est concursu causæ particularis) *sicut fatentur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur Dei propria esse, &c. quæ malæ sunt, ut Davidis adulterium, &c. constat enim Deum omnia facere, non permissivè* (puta attento concursu causæ particularis, quod in Tridentino damnatur) *sed potenter, id est sic ut sit ejus propria Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio*: 2°. contra Calvinum lib. 1°. institut. cap. 17°. *dæmones digitum movere non possunt, nisi quantum Deus mandaverit*) id est nisi quantum Deus ut causa particularis concurrerit, quod in Tridentino damnatur) & infra §. 4. *Deus obstinatione pectus Pharaonis obstirmandum mandavit*: & in antidoto ad præfatum locum Trident. ait, *sed permissivè tantùm Deum agere in malis, cui persuadeant? nisi illi qui totam Scripturæ doctrinam ignorat.*

XLIV. Quòd verò ly *permissivè* debeat intelligi per respectum ad concursum particularem (cujus sit privatio) ita tamen ut includat concursum generalem.

XLV. Probatur 1°. quia in Concilio ly *propriè & per se operari* opponitur ly *permissivè solùm operari*; propriè verò operari juxta rectam rationem & mentem Concilii, ut colligitur ex ly *ita ut opera bona*; item secundùm hæreticos præfatos, *est operari ut causa particularis*, sive *concursu causæ particularis*, dando auxilia oportuna, mandando, impellendo, &c. permissivè verò tantùm *est operari ut causa Vniversalis*, sive *concursu causæ Vniversalis*, non dando auxilia oportuna, non mandando, &c.

XLVI. Probatur 2°. ex S. Augustino lib. 10. ad Simplicianum quæst. 2ª. *obduratio Dei est nolle misereri ut non irrogetur aliquid* (puta auxilium particulare, &c. mandatum, ut volunt irrogari hæretici quos damnat Tridentinum:) *sed tantùm quo* (scilicet concursus causæ particularis) *sit melior, non erogetur* : unde 1° ex his patet definitionem Concilii multum concludere contra citatos, & alios istius temporis hæreticos. 2° falsum esse, quod aliquoties Ludovicus à Dola nobis ipsi adversariis, parte 4ª cap. 9°. ex Suario imponit, videlicet nos docere Deum operari omnia opera nostra *verè, propriè* ac *per se*, cum tamen dicamus expressè, operari immediatè & proximè non esse operari propriè ad mentem Trident. id est, ita ut taliter operanti verè moraliter attribuatur actio; unde consequenter volumus Deum opera mala, etiam quoad entitatem Physicam & actionem, non operari *propriè & per se*, sumendo ly *propriè & per se* pro *ut causa particularis*, quomodo ad mentem Concilii causam particularem hucusque explicuimus (ea tamen ut sic operari *propriè & per se*, Physicè sumendo ly *propriè & per se* pro *ut causa Vniversalis*, infra probabimus;) quia alioqui non satis apparet quomodo non esset author & causa malitiæ eorum, maximè, intrinsecè malorum, sicut dicitur esse author & causa bonitatis bonorum operum, maximè, intrinsecè bonorum.

XLVII. Objicies 2° ex Ludovico à Dola parte 4ª, cap. 10°. testimonia Scripturæ, quibus ostenditur Deum odisse iniquitatem, nec mentiri, nec seipsum negare posse, & alia ejusmodi, apertè clamant eum non posse coefficere nobiscum actionem ullam intrinsecè malam, atque ex objecto turpem, ergo, &c. probabis consequentiam ex eodem ibidem; quia implicat Deum aliquid agere contra rectam rationem, infinitam ejus sanctitatem & amorem, quo seipsum prosequitur; sed hoc fieret liberè & voluntariè concurrendo & per eandem creaturæ actionem, ad actionem creaturæ intrinsecè malam, ergo, &c.

XLVIII. Respondeo distinguendo majorem, testimonia Scripturæ, &c. apertè clamant, Deum ut causam particularem, ac proindè *propriè & per se*, ad mentem Concilii non posse coefficere nobiscum ullam actionem intrinsecè malam, concedo majorem; ut causam Vniversalem tantùm, ac proindè permissivè solùm attento concursu causæ particularis (qui solus in permissione attendi potest; quia concursus causæ Vniversalis in actu primo paratus, est unum è prærequisitis ad agendum; & qui unum è prærequisitis ad agendum suspenderet vel negaret, non censeretur actionem permittere, sed antecedenter impedire,) nego majorem, & consequenter etiam consequentiam: ad ejus verò probationem proportionaliter distingue majorem: nec tamen putes Deum rem intrinsecè malam ut causam Vniversalem efficere, magis esse contra rectam rationem, infinitam ejus bonitatem & amorem, quo seipsum prosequitur, quàm ipsum esse causam primam & Vniversalem, ac tam perfectum Dominium in omnes omnino creaturas habere ac fieri potest, quàm causas secundas esse in agendo Deo subordinatas, &c. quæ omnia videntur de fide, & clarissimè colliguntur ex Scriptura: imò, sicuti est de necessitate essentiæ divinæ causare immediatè res omnes, & tam perfectum dominium in illas habere ac fieri potest; ne alioqui, sicut posset modò perfectiùs, sive immediatè; modò imperfectiùs, sive mediatè tantùm, illas causare; modò perfectius, modò imperfectius dominium in illas habere; ac proindè interdum immediatè non causare, & interdum directum dominium in illas non habere; ita posset modò perfectiùs, sive immediatè, modò imperfectiùs, sive mediatè tantùm res existentes videre, ac proindè interdum immediatè videre & interdum immediatè non videre, & ignorare, item posset modò perfectiùs sive immediatè per se, modò imperfectiùs sive mediatè per aliud, id est mediantibus creaturis, esse in omni loco, ac proindè interdum non esse immediatè per se in omni loco, & sic de aliis attributis discurres, quæ sunt contra rectam rationem, infinitam Dei scientiam & immensitatem, nec habent ullum prorsus fundamentum in scriptura. Ex his

XLIX. Rejice sententiam Ludovici à Dola, & confirma nostram hoc modo: si secundùm te potest Deus cessare efficere immediatè per se omne ens realiter existens; & proindè de facto immediatè per se non efficiat omne ens realiter existens: potest & cessare videre immediatè in se omne ens realiter existens, & proindè de facto immediatè in se non videt omne ens realiter existens: item potest & cessare esse immediatè per se in omni loco; hæ sequelæ videri possunt hæreticæ; de eo autem ex quo sequuntur judicet Ludovicus à Dola.

L. Nec dicat, primum fundari in sanctitate Dei infinita, & necessariò dicendum, ne alioqui immediatè coefficiens rem intrinsecè malam sit peccator & culpabilis, non secus ac Herodes, qui Ioannem decollavit invitus ac tristis ad exigentiam saltatricis: nullum verò esse fundamentum secundi & tertii, ac proindè nec dicenda.

LI. Contra enim est quòd infinita Dei bonitas non pugnet cum infinita Dei potentia, & perfectissimo ejus in creaturas dominio, quæ id exigunt, non secùs ac Dei visio intuitiva, & immensitas exigunt, quæ supra: neque hinc sequitur Deum coefficientem ut causam Vniversalem rem intrinsecè malam, esse peccatorem & culpabilem; quia ad eam non concurrit liberè, uti Herodes ad dictam decollationem; sed necessariò, ex necessitate 1æ causæ, absoluti dominii, &c. ut supràdictum est: unde similiter supremus Angelus ex natura sua determinatus (si talis daretur) ad concurrendum simul cum inferioribus proximè & immediatè ad omnes earum actiones, non peccaret, etiam coefficiendo actus intrinsecè pravos, magis quàm agens necessarium; secus si ex natura sua indeterminatus, de quo tantùm Lud. à Dola loco citato num. 10°, quare nihil concludit.

LII. Objicies 3°. ex eodem p. 4ª. cap. 15°. sicut nihil derogat infinitati & perfectioni essentiæ Dei, quòd creaturæ sint aliquid à Deo diversum, habeantque essentiam & existentiam, quæ non possunt identificari cum essentia & existentia Dei; ita nihil derogat infinito, & supremo Dei dominio in omnem creaturæ operationem, quòd operatio creaturæ distinguatur realiter à cooperatione divina, ergo, &c.

LIII. Respondeo esse disparitatem; eò quòd 1um necessariò fieri debeat, ne alioqui Deus sit lapis, & lapis Deus, & sic de aliis creaturis; 2um verò implicat contradictionem, non secus ad Deum non

non esse tam perfectum Dominum omnium creaturarum, ac fieri potest, qualis non esset; quia non haberet dominium immediatè in operationem creaturæ; unde

114. Dic contra P. Poncium lib. 2°. Physic. Disput. 38. q. 6. Deum ad actiones creaturarum concurrere per eandem, per quam concurrit creatura, actionem, alioqui (præterquam quòd sit expressa sententia Divi Thomæ de pot. quæst. 3. art. 7°. ad 3. *ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ.*) actio creaturæ, vel à Deo non egrederetur, vel ad summum penderet à concursu Dei realiter à se distincto tamquam à conditione sine qua non: 1^um est Ludovici à Dola sententia totâ hâc Resolutione rejecta. 2^um verò est contra P. Arriagam num. 29. impugnatum. hinc tamen illegitimè inferes Deum propterea pendere propriè in agendo à creatura, id est, ex quadam indigentia creaturæ & defectu virtutis; quasi verò non posset se solo effectum ponere, si vellet; sed ex natura ipsius actionis, videlicet, quia talis est, ut non possit, utpote ultima determinatio talis agentis, videlicet Dei & creaturæ, esse ab alio agente, vel partiali, vel totali, quàm Deo & creaturâ.

DVBIVM IV.

An non solùm Deus simul concurrat cum Causis secundis, sed eas etiam ad agendum per prævium qualitatem in illis impressam præmoveat ac prædeterminet.

ANte Resolutionem

115. Suppono, præmotionem, sive prædeterminationem, Physicam dari, distinctam à concursu simultaneo; *quæ Physicè & realiter ponit & imprimit aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum & applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimæ determinationis & applicationis actus primi ad secundum.* ita communiter (inquit P. Ioannes à S. Thom. hîc quæst. 25^a. art. 2°.) *schola Divi Thomæ & ejus discipuli, tam recentiores, quàm antiqui.* Verùm PP. nostri Complutenses obscuritatem aliquam adjiciunt 1. p. Tract. 4°. Disput. 10^a. Dub. 4°. §. 2°. ubi ferè per totum docent *præmotionem, prædefinitionem & prædeterminationem non tollere quominus voluntas se per consilium & deliberationem determinet.* quomodo igitur ultima determinatio & applicatio, si relinquat in voluntate conditionem (de qua ibi, quia consilii & deliberationis) determinationem per consilium & deliberationem? hæc enim ex mente horum Complutensium potius est ultima determinatio & applicatio; illa verò penultima, ut satis insinuant per hæc verba, *non est contra rationem causæ liberæ, quòd determinetur ab extrinseco per priorem illam determinationem, quæ realiter præcedit actum secundum, quando illa determinatio est talis naturæ ut non tollat quominus ipsa voluntas liberè se applicet & determinet per consilium & deliberationem, &c.* Hæc certè difficulter ab ipsis conciliabuntur; supponamus enim actum secundum, ad quem est præmotio, esse primum actum consilii & deliberationis, quem causa libera elicit; tunc manifestè sequitur, præmotionem illam non esse ultimam determinationem & applicationem; quia præcedit consilium & deliberationem, quæ per ipsos est determinatio & deliberatio, quâ voluntas liberè se applicat & determinat. Vnde vel PP. nostri Complutenses incidunt in sententiam adversariorum suorum, qui ultimam determinationem voluntati creatæ relinquunt, vel se non satis explicant: quare in relatione P. Ioannis à S. Thoma sistimus, & juxta illam circa dubium

116. Duæ sunt celebertimæ sententiæ; prima quidem negativa Nominalium, Ochami in 1^um. distinct. 6. *voluntas nullo variato ex parte sua nec ex parte cujuslibet alterius* (nota) *habet in potestate sua, ita non producere, sicut producere.* idem ferè repetit etiam in 1^um. distinct. 38. quæst. unica circa principium: eadem etiam ferè verba habent Gabriël in 2^um distinct. 25. quæst. unica, circa initium & Gregor. Arim. in 1^um. distinct. 10^a. quæst. unica art. 2°. Item Marsilii in 2^um. quæst. 16. art. 4°. *causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas, nunc acceptans, quod ante non voluit acceptare, eisdem existentibus impellentibus*: Majoris in 2^um distinct. 25. quæst. 3^a. circa finem, *voluntas vult hoc objectum; quia & placet, & suâ libertate ad hoc se determinat; neque quærendum est aliud ab ea, per quod se determinat; sed sicut calor naturaliter calefacit; ita voluntas liberè vult*: Eximii P. Magistri nostri Bachonis clarissimè in 2^um. distinct. 25. quæst. 1. art. 1°. *igitur ex opposito, si voluntas ratione suæ libertatis est domina suorum actuum, in quantum libera à nullo alio à se procedit in actum*, id est determinatur ad actum. Et distinct. 26. quæst. 1. art 4°. *pro quacumque hora voluntas non potest indifferenter exire in ea, quæ sunt ad finem, non est domina sui actus, ac per consequens non libera libertate arbitrii.* Bachoni adstipulatur etiam noster Waldensis doctrinalis fidei lib. 10. art. 1°. c. 25°. ubi ab arbitrii libertate removet *omnem necessitatem ab extrinseco, quæ non sit in potestate nostra.* Etiam est Scotistarum post Scotum in 4^um. distinct. 1. quæst. 1. & PP. Societatis, de quibus sic scribit P. Oviedus Physic. controv. 10^a. p. 3. *tota Societatis schola qualitatem hanc totis viribus rejicit: utriusque scholæ Doctores abundè apud quemlibet reperies; ideo nullum refero: tantùm moneo nullum ex nostræ Societatis auctoribus non illam abundè impugnasse: ex illustrissima verò Dominicanorum familia nullum, ante Bannez, qui hujus prædeterminationis fuit primus parens, illam docuisse, & post hunc illam abjurasse Alvelda Disput. 58. & Disput. 6. membr. 2. & M. Fr. Laurent. Gutierrez vir miro ingenio præditus, excellensque doctrinâ, vehementer semper hanc prædeterminationem stomachatus est.* Nec his malè additur Capreolus in 1^um. distinct. 24. quæst. unica art. 3°. *voluntas ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante.* & 45^a. quæst. unica *voluntas quantùm ad exercitium actus*, scilicet ut velit, vel non velit, *determinatur à seipsa.*

117. Secunda sententia est affirmativa ferè omnium Thomistarum, quam PP. nostri Complutenses dicunt esse communem inter antiquos Philosophos, ac inter Thomistas, tam antiquos, quàm recentiores. idem ferè testantur Ripa ad quæst. 19. 1. p. art. 8. dub. 1. cap. 3. Nazarius 1. p. quæst. 22. art. 4. contr. 1^a. & Alvarez de Auxiliis disp. 18. à n. 10. qui verius, an hi, an P. Oviedus statim? authoribus suis relinquo.

118. An præmotio Physica consistat vel non consistat cum libertate creata, ob decret. Aposto-

Apostolica, etiam nuperrimè sub Innocentio X. in Belgio publicata & recepta, ne vel indirectè de concordia libertatis cum auxiliis tractetur, in tempus obtentæ à Sancta sede facultatis consultò differimus.

Resolutio I.

LIX. Dico 1°. Deus non præmovet aut prædeterminat causas secundas ad agendum per præviam qualitatem illis impressam.

LX. Probatur 1°, quia illa qualitas, vel se habet ad effectum per modum viæ, actus primi, aut habitus; vel per modum termini, actus secundi, aut motionis & determinationis actualis? sed neutrum dici potest, ergo &c.

LXI. Probatur minor pro 1ª. parte, quia ut sic non esset ultima determinatio, sed penultima, haud secus quàm actus primus ad secundum indifferens: unde ulteriorem determinationem requireret; ac proinde non sufficeret; de hac autem alia idem quæreretur, & sic in infinitum, ergo, &c.

LXII. Probatur minor pro 2ª parte; quia satis est, si dicatur causam agentem, sive liberam, sive necessariam, prout præcisè condistinguitur à sua actione, ad Deum primum motorem eodem planè modo se habere, quô ad illum se habet illa prævia qualitas, sic nempe, ut causa agens ut sic, ad effectum se habeat per modum actus secundi, aut motionis & determinationis actualis ad effectum & causam agentem; nam illa ut sic non est indifferens ad effectum, sed eum infallibiliter ponit, prout non esset, & eum poneret ut subjecta isti qualitati; quæ tamen, præterquam quòd superflua sit, infinitas difficultates in Philosophiam & Theologiam, sinè necessitate, invehit, ergo, &c.

LXIII. Dices, causa ut sic non subjicitur, nec subordinatur, aut à Deo pendet, quatenus causa secunda sui effectus, licèt ipsius effectus & ipsa materialiter illi subjiciantur ac subordinentur; sed hoc requiritur ad rationem primi motoris, primæ causæ, &c. ergo, &c. Probatur major, quia non est per quid subjiciatur, &c.

LXIV. Respondeo negando majorem, ad ejus probationem, peto per quid illa qualitas causam illam quatenus causam secundam sui effectus Deo subjiciat, subordinet, &c. si dicas per seipsam, peto cur idem non dicas de causa agente ut sic, id est, ut præcisè condistincta à sua actione? illa enim præcisè ut sic, non magis est per modum actus primi ad effectum suum indifferens, quàm ipsa qualitas prævia, nec minùs ipsa ut sic est à Deo causâ primâ, quàm hæc.

LXV. Probatur 2ª. vel illa qualitas prævia, est ex se determinata ad hunc individuum effectum in particulari, vel non? non 2ᵘᵐ, quia aliâ determinatione indigeret, ut patet. igitur 1ᵘᵐ; quia non datur medium; 1ᵘᵐ autem evidenter est contra D. Thomam pluribus locis & nominatim 1. 2. q. 10ª. art. 4°. *quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum* (nota) *determinat*. lib. 1°. contra gentes c. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit* (nota) *determinationem voluntatis ad unum*, ergo, &c.

LXVI. Confirmatur, Deus juxta D. Thomam movet voluntatem juxta uniuscujusque proprietatem 1. p. q. 83. art. 2°. in corpore, *operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem*. Item & juxta uniuscujusq; inclinationē, 1. 2. q. 1ª art. 4°. in corpore, *ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare: unde omnia movet secundùm eorum conditionem*; ergo causas necessarias per præmotionem ex se determinatam ad unum movet; liberas verò per præmotionem ex se indeterminatam ad unum; ut clarè sequitur art. 4° citato in corpore, *ita quòd ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus*, sive liberis, *effectus contingenter: quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate* (id est per præmotionem ex se determinatam ad unum) *ad unum determinat; sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in ea ad quæ naturaliter movetur*. Quæ omnino confirmat ibidem. *Ad primum ergo dicendum, quòd voluntas divina non solùm se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius: & ideo magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ*, ergo, &c.

LXVII. Subsumo: atqui, sive qualitas illa prævia dicatur ex se determinata ad unum, sive indeterminata ad unum, per eam Deus causas non movebit secundùm suam proprietatem & conditionem: quia si ad unum determinata, causæ liberæ sunt ad unum indeterminatæ: si ad unum indeterminata, causæ necessariæ sunt ad unum determinatæ, ergo, &c.

LXVIII. Objicies fortè, subtiliter ex P. Ioanne à S. Thoma hîc q. 25. art. 3°. qualitatem illam præviam esse determinatam ad unum, sic tamen ut illius determinatio pugnet quidem cum indifferentia passiva & potentialitatis, non verò cum indifferentia activa & potestatis; sic enim, inquies, à præmotione causæ primæ dimanat substantia & determinatio actus, ut etiam modus ejus & singularitas dimanet; quia omnipotentissima Dei potestas magis continet voluntates nostras, quàm nos ipsi, sive, quàm anima nostra, juxta illud D. Thomæ 1ª. p. q. 19. art. 8° *cum igitur divina voluntas sit efficacissima, non solùm sequitur quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri; sed quòd eô modô fiant, quô Deus ea fieri vult*. cui consonat illud August. de corrept. & gra. cap. 12. *Deus sine dubio habet humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem*, ergo, &c.

LXIX. Respondeo 1°. an ex præmotione determinata ad unum necessaria ad actus liberos rectè inferatur *non indifferentia activa & potestatis*, ac proindè *necessitas activa & naturæ*, nec ne, spectare ad concordiam libertatis cum auxiliis hodie agitari prohibitam: quare id (ut supra monuimus) in aliud tempus differimus, & ideo aliter

LXX. Respondeo 2°. si præmotio Physica sit ex se ad unum determinata & ex se ad unum determinans, omnino impertinens esse, quòd non pugnet cum indifferentia activa & potestatis; quia saltem sequitur, quòd hanc non moveat *juxta proprietatem suam*; *secundùm conditionem suam*, &c. *quia igitur voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat*. ita D. Thomas 1. 2. q. 10ª. art. 4. vide loca in Confirma-

firmatione citata : oppositum autem contingit hôc ipsô, quòd præmotio est ex se, sive naturâ suâ, ultima determinatio ad unum. Id verò, quod ultimô locô in Objectione additur de omnipotentissima Dei potestate, & præmotione secundùm substantiam & modum ejus, ac singularitatem, ex ea exeunte ; verum quidem est de substantia & modo substantiæ proportionato ; non verò de substantia & modo substantiæ, non solùm naturaliter (de quo hîc) sed & supernaturaliter improportionato, prout est substantiæ ex se determinatæ ad unum, modus activè indifferens, qui ibi adstrui debet : quis enim putet, non solùm de potentia ordinaria, sed etiam de potentia Dei absoluta, possibilem creaturam, quæ sit ex substantia sua determinans ad unum, & tamen, ex modo determinandi eidé substantiæ identificato, activè indifferens per modum actus secundi ? id enim, revera est unum & idem realiter respectu ejusdem esse ex se determinatum ad unum, & ex se indifferens, sive non determinatum ad unum ; quæ tam opponuntur, quàm idem esse determinatum & indeterminatum respectu ejusdem, idem esse causam necessariam & liberam respectu ejusdem actus ; omnipotentissima autem Dei potestas, non est ad similia opposita impossibilia ; & licèt esset, eò recurrendi nulla necessitas est, ut Resolutione sequenti videbitur ; nec pro præsenti rerum statu eò recurrendi consultum est, ne hinc hæretici ansam sumant dicendi causam necessariam & liberam in creatis confundi, sive omnes causas secundas esse quoad substantiam determinatas ad unum, secundùm modum verò, esse activè tantùm indifferentes per modum actus secundi ; quô optimè suam hæresim palliarent.

LXXI. Respondeo 3° ad Authoritatem D. Thomæ & Aug. Aug^um inprimis ibi loqui de operibus gratiæ, ut evidenter constat ex particula exceptiva *nisi fortè*, ubi demùm loquitur de operibus naturæ : quomodo autem per gratiam efficacem Deus voluntatem, salvâ illius libertate, inclinet ; non est hujus fori, ut sæpius monui. S. Thomas autem sic intelligi debet, ut Deus habeat in omnipotentissima potestate applicare causas contingentes ad effectus contingentes, ubi & quando vult ; necessarias verò ad necessarios, ubi & quando vult, ut patet ex suiipsius expositione 1. p. q. 19. art. 8. in corpore, *cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri ; sed quòd eô modô fiant, quô Deus ea fieri vult : vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum Vniversi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes : sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.*

Resolutio II.

LXXII. Dico 2°. Deus non solùm concurrit simultaneô concursu cum causis secundis, sed & prævio aliquô Physicè efficaci.

LXXIII. Probatur prima pars 1°, quia sic Deus est causa prima actionis causæ secundæ, ut sit etiam causa actionis causæ 2^æ prout causæ 2^æ ; atqui hoc non salvatur in concursu simultaneo, ergo, &c. Probatur minor, quia dum duæ causæ naturales simul conveniunt ad eundem effectum, & sic quidem, ut una effectum per se possit, & alia per se non possit, ut cum equus magnus & parvus trahunt eandem navim, una causa non potest esse causa actionis alterius causæ prout alterius causæ ; etenim magnus equus sic est causa actionis parvi, ut non sit etiam causa actionis parvi equi prout parvi equi ; quia illum non movet, ergo, &c.

LXXIV. Respondebis distinguendo minorem, atqui hoc non salvatur in concursu simultaneo, quatenus Deus est causa illius ut concursus causæ 2^æ in effectum, concedes minorem ; quatenus Deus est causæ illius ut causæ secundæ concursus in effectum, negabis minorem.

LXXV. Aptè quidem Responsurus es ; sed Deus, quatenus causa concursus ut causæ secundæ concursus in effectum plus importat, quàm Deus quatenùs causa concursus ut concursus causæ secundæ in effectum, ut probatio convincit ; hujus autem nusquam mentionem facis ; nec quid sit uspiam nobis exponis ; an videlicet sit præcisè actio ipsius creaturæ & Dei simul ? quod probatione istâ rejectum est ; an actio Dei & simul ipsius creaturæ quatenus à Deo præmotæ ? & id ipsum est, quod contra te contendimus.

LXXVI. Prob. 1ª pars 2°, quia simultaneus Dei cum causis secundis concursus non excludit alteram primam causam ut primam, sive alterum primum principium ut primum ; sed hoc est valde absurdum, ergo, &c. Probatur major ; quia duo æquè prima possunt habere simultaneum concursum in eundem effectum ; ut tantillum consideranti patebit, ergo, &c.

LXXVII. Respondebis negando majorem, quia, inquies, illa altera causa Deum suum primum principium præsupponit. Sed

LXXVIII. Contra, per hoc non satisfacis ; quia licèt ut effectus, sive ut causata aliud principium primum præsupponit ; ut causa tamen sui effectus, sive causans, aliud principium primum non præsupponit ; quia per te Deus in causam ut concursus simultanei causam non influit, sed in causam tantùm ut Dei effectum ; & in ejus actionem, & hujus actionis terminum, quæ ut consideranti patebit, non excludunt alteram primam causam ut talis effectus & concursus simultanei in ipsum causam.

LXXIX. Probatur prima pars 3° ex D. Thoma q. 3. de pot. art. 7°. ad 3^um. *Dicendum, quòd in operatione, quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura* : atqui illa operatur in concursu simultaneo, ut prosequitur, *sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ*, ergo, &c.

LXXX. Confirmatur, alioqui, si concursus Dei cum causis secundis esset simultaneus & indifferenter à causa secunda ad talem, vel talem actum determinabilis, (ut fatentur illius Authores) causa secunda haberet à se determinare primam, si sic, quidni haberet etiam esse à se ? quia determinare, est quoddam esse, quòd tamen creatura à se haberet ; id autem videtur periculosum, imò idipsum est, quod supra dub. 3°. contra Durandum, à Dola, &c. rejectum est : si verò dicas, quòd Deus adhuc in illam determinationem per modum causæ universalis influeret ; peto, an per influxum indiffe-

differentem, an per determinatum ad unum ac ad unum determinantem? si 1um, sequitur processus in infinitum; quia de hoc indifferenti idem petam, & sic in infinitum: si 2um, igitur ille influxus, non est simultaneus præcisè, sed prævius, ergo, &c.

LXXXI. Probatur 2a pars 1o authoritate Aristotelis 8. Physic. text. 13o. ubi sic habet, *utrumque igitur movere dicimus, & primum, & ultimum, moventium; sed magis primum; illud enim movet ultimum; sed non hoc primum; & sinè primo quidem ultimum non movebit; illud autem, sinè hoc, ut baculus, non movebit non movente homine.* Sed primum movet ultimum per prævium concursum, ergo, &c. Probatur minor, quia, si sermo sit de motu locali corporeo, expressa est sententia Aristotelis 3. Phys. 16. *quòd motus moventis antecedat motum mobilis*, idque experientia docet: si de quocumque, clarum est Deum prius concurrere in movens quatenus consideratum in statu, quo causans præcisè condistinguitur à sua actione, quàm concurrat in effectum, idque procul dubio vel ipse Aristoteles loco supra citato agnovit, ut constat ex his particulis, *sed magis primum*, ergo, &c.

LXXXII. Probatur 2o ex D. Thom. q. 22. de verit. art. 8. *sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est à voluntate ut immediatè agente, sed à Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit*: quomodo *imprimit vehementius?* nisi per hoc, quòd non solùm in effectum, sed etiam in effectus causam imprimat: quod causa non facit: unde Catechismus Romanus, *Deus, quæ agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem* (nota concursum prævium) *impellit, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus* (nota concursum simultaneum) *agit.* & idem D. Thom. 1. p. q. 105. art. 1o. ad 3um. *Deus res applicat ad agendum.* item q. 3. de potentia art. 7. *Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum* (nota prævium concursum) *applicat actioni* (audi condistinctum concursum simultaneum) *& in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit.* ista autem omnino confirmantur ex 1. p. q. 105. art. 1o. ad 3um. *hoc ipsum quòd secundæ causæ determinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo.* & ibidem supra q. 13. art. 3o. ad 5um. *causa, quæ ex se est contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*, ergo, &c.

LXXXIII. Confirmatur hæc secunda pars probationibus primæ partis.

Resolutio III.

LXXXIV. Dico 3o. concursus prævius Physicè efficax, quo Deus concurrit cum causis secundis, est aggregatum ex omni concursu Dei ad omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causa causans præcisè à sua actione condistinguitur.

LXXXV. Probatur 1o. quia aggregatum illud est virtualiter ipsa qualitas prævia, quam requirunt omnes ferè Thomistæ; ergo, &c. Probatur antecedens, quia illud est per modum applicationis & ultimæ determinationis ad unum actum singularem, (aliunde suppositâ determinatione naturæ ex se ad individuum, de qua infra:) sed prævia illa qualitas ab authoribus suis ita definitur, ergo, &c. Probatur major hujus Assumpti, quia impossibile est esse aggregatum illud, & non sequi actum illum singularem, quandoquidem supponatur esse omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causa præcisè à sua actione distinguitur; quia hoc semel suppositio, si per impossibile non sequeretur actio, refundi non posset in defectum alicujus ex parte causæ, ut patebit consideranti ly *præcisè*, ergo, &c.

LXXXVI. Probatur 2o; quia per aggregatum illud, omnino salvantur ea, quæ Resolutione præcedenti pro probationibus primæ partis attulimus, ergo, &c.

LXXXVII. Probatur 3o: quia sic de concursu prævio loqui debemus, ut determinet voluntatem ad operandum, & voluntas sub illo se determinet ad actionem; atqui id omnium commodissimè fit in nostra sententia, ergo, &c.

LXXXVIII. Probatur major pro 1a parte ex D. Thoma, locis Resol. 2a prob. 2a. pro secunda parte citatis. pro 2a, autem probatur ex eodem lib. 1o contra gentes cap. 68. *Dicendum quòd liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum, &c.* Et infra l. 3. c. 111. *sola creatura rationalis habet Dominium sui actus, liberè se agens ad operandum:* ergo, &c.

LXXXIX. Probatur minor, quia voluntas posito præcisè illo aggregato, sic sui determinationem ponit, sive volitionem, ut simul à Deo ponatur prout ipsa est à voluntate; sed prout à Deo ponitur prout est à voluntate, voluntas à Deo determinatur, & prout voluntas eam ponit seipsam determinat, & sic clarè verificantur ea, quæ habet D. Thomas q. 3. de malo art. 3o. in corpore *motus voluntatis directè procedit à voluntate & Deo, qui est voluntatis causa*, id est, qui voluntatem ad illam determinat; ergo, &c.

XC. Dices, ibi non explicatur, quod contra alios Resolutione præcedenti reprehenditur, videlicet, quomodo determinatio voluntatis, sive volitio, à Deo ponatur, prout ipsa est à voluntate, sinè prævio concursu Dei, qui sit qualitas intrinseca ex se voluntatem ad illam determinans, per modum ultimæ determinationis, & actus secundi, ergo, &c.

XCI. Respondeo determinationem illam, sive volitionem, à Deo poni prout est à voluntate, in quantum Deus virtute suâ applicat, præparat, aptat, &c. voluntatem ad agendum, id est, in quantum concurrit ad omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causans præcisè à sua actione distinguitur: homo enim sic applicat cultrum ad incidendum, ut ab ipso ponatur incisio prout est à cultro incidente, in quantum (ut magis) concurrit ad omne id, quod se tenet ex parte cultri incidentis, prout culter incidens præcisè à sua incisione distinguitur, & ideo illa incisio dicitur poni ab homine, prout est à cultro; item homo dicitur præparare, aptare, &c. ignem ad stuppam comburendam, sic ut combustio sit ab homine prout est ab igne comburente, in quantum homo concurrit ad omne id, quod se tenet ex parte ignis comburentis, prout ignis comburens præcisè à sua combustione distinguitur. Homo autem præter talem dispositionem cultri, ignis & circumstantiarum, ad quam de facto sequitur effectus, applicando, nihil producit per modum qualitatis prævia ex se ad incisionem, combustionem, &c. determinantis; & tamen dicitur præmovere, prius agere

gere per virtutem suam, instrumentum ad agendum applicare, &c. ergo similiter Deus præmovendo, applicando, &c. causas secundas, præter productionem, conservationem & earum talem dispositionem, ad quam de facto sequitur effectus, nihil producit per modum qualitatis præviæ ex se ad effectum ei proportionatum determinantis; hôc modô intelliges ly *inclinari* apud D. Aug. lib. 5°. contra Iul. c. 3°. *operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas voluntates, &c. ad mala pro meritis eorum*; unde liquet concursum Dei prævium, sive præmotionem, non impedire contingentiam effectus liberi, magis quàm causa libera, ut sub negatione præviæ qualitatis Physicè prædeterminantis, in sententia PP. Societatis, illam impediat; & tamen esse Physicè efficacem, idque infallibiliter ex suppositione concomitante, quòd de facto sequatur effectus; non quidem efficaciâ ipsius præmotionis, applicationis, &c. quia illa in effectum non agit; sed efficaciâ ipsius causæ secundæ; liberâ, si libera; necessariâ, si necessaria.

LXXXXII. Confirmatur Resolutio hæc ex rejecta, Resol. 1ª. qualitate illâ prævià per modum actus secundi ex se causam secundam ad agendum determinantis; & Resol. 2ª. concursu simultaneo præcisè, ergo, &c.

DVBIVM V.

An Deus Physicè præmoveat ad entitatem Physicam peccati, sive, ut alii, ad materiale peccati.

LXXXXIII. ANte Resolutionem Suppono 1°. *Deum esse authorem, sive causam moralem peccati* sonare hæresim; quia in Trid. sess. 6. can. 6°. definitur *Deum ad actum malum permissivè solùm* (puta prout opponitur *moraliter*, ut supra explicatum est) *se habere*: imò licèt id sine periculo hæresis sic explicari posset: *Deus est causa moralis peccati quà est actus Physicus, sive quà est entitas Physica*, cum difficulter satis (ut infra videbitur) discerni possit inter suadentem materiale peccati, cui videt annexam malitiam, & peccantem formaliter, sive causam formalis peccati; puto à simili locutione omnino cavendum; & abhorrendum, ut rectè notat D. Thomas in 2^um^ dist. 33. art. 2°. in corpore.

LXXXXIV. Suppono 2°. contra Durandum, à Dola, &c. quos Dub. 3°. refutavimus, Deum Physicè & immediatè concurrere ad materiale peccati, sive ad peccatum secundùm suam entitatem Physicam: docetque Zumel 1. 2. q. 79. art. 2°. *contrariam opinionem ut minimùm esse valdè periculosam in Fide, & fortè erroneam*; Malderus verò aliquando Antuerpiensis Episcopus, è contra de nostra sententia 1. 2. q. 76. ait, *reliqui omnes hanc nostram, tanquam dogma Catholicum, de quo dubitare non liceat, amplectuntur.*

LXXXXV. Suppono 3°. sine periculo erroris dici posse Deum esse causam Physicam peccati, quà est actus Physicus, sive quà est entitas Physica, id enim evidenter sequitur ex eo, quòd ad illud Physicè & immediatè concurrat; neque in eo est ullum rationabile periculum, ne inferatur, *ergo est causa Physica malitiæ formalis ipsius peccati; ergo* (cum causa Physica sit causa simpliciter) *est causa simpliciter malitiæ formalis ipsius peccati*; quia malitia formalis non est de objecto causæ Phys. sed causæ moralis tantùm; unde licèt suo materiali esset identificata, adhuc posset per causam efficientem attingi, absq; eo, quòd per moralem attingeretur, ut patet in dormiente, in Deum blasphemante, pejerante, &c. qui blasphemiæ & perjurii est causa efficiens; non verò moralis.

LXXXXVI. Suppono 4°. præmotionem Physicam esse duplicem, unam ex se inferentem actum per modum ultimæ determinationis, & illam dubio præcedenti Resol. 1ª. rejecimus: aliam ex suppositione concomitantis determinationis necessariæ, vel liberæ, causæ secundæ necessariæ, vel liberæ, sui ad actum, quæ plurimum differunt, ut considerranti patebit dicta Dub. præcedenti Resol. 11. & 3ª. His suppositis, sit

Resolutio I.

LXXXXVII. DIco 1°. Deus non præmovet Physicè ad peccatum formaliter, ut peccatum est. Hæc Resolutio est de fide.

LXXXXVIII. Probatur ex Scriptura. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Psalm. 56. *Nemini mandavit Deus impiè agere.* Ecclesiast. 15. *Deus autem intentator malorum est.* Iacobi 1°. Deinde hujus Resolutionis veritas satis patet ex præsuppositis, oppositamque, vel ipsi hæretici damnant & criminantur. *Crudelis* (inquit Melanchthon) *opinio est, quæ facit Deum authorem peccati*, quod ista faceret, *à qua auribus & animis abhorrere debemus*, ergo, &c.

Resolutio II.

LXXXXIX. DIco 2°. Deus non præmovet Physicè ad peccatum materialiter, sive ad entitatem Physicam peccati per qualitatem præviam ex se inferentem actum peccaminosum per modum ultimæ determinationis.

Probatur 1°. quia, ex dictis Dubio præcedenti Resol. 1ª. qualitas illa omnino superflua est, & contra mentem D. Thomæ, ergo, &c.

C. Probatur 2°. causa Physicè prædeterminans per præviam qualitatem ex se determinantem ad materiale peccati, cui malitia necessariò sit annexa, pejus facit, dum eam malitiâ materiali istius peccati necessariò esse annexam videat, quàm si suadeat, consulat, &c. materiale peccati, cui videt necessariò annexam esse malitiam: sed hic esset causa & author peccati formaliter, ergo à fortiori ille: minor & consequentia patent: Probatur major, quia ille Physicè & moraliter determinat ad id, ad quod suadens moraliter tantùm determinat, ergo pejus facit.

CI. Dices entitas & malitia peccati spectant ad diversum genus; entitas quidem ad effectum Physicum & causam Physicam; malitia verò ad effectum moralem & causam moralem; ergo Deus potest per dictam qualitatem Physicè præmovere ad entitatem peccati, absque eo, quòd simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati.

CII. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens, ergo Deus videns materiali peccati necessariò esse annexam malitiam, potest per qualitatem dictam Physicè præmovere ad entitatem peccati, absque eo, quòd simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati, nego consequentiam; sic ut simul moraliter præmoveat ad malitiam peccati, concedo consequentiam. Sed ut sic est au-

thor & causa moralis peccati formaliter: si enim nullus videns materiali peccati esse necessariò annexam malitiam, possit materiale peccati suadere, absque eo, quòd sit author & causa moralis peccati; multò magis nullus videns materiali peccati esse necessariò annexam malitiam poterit ad materiale peccati per præviam qualitatem præmovere, absque eo, quòd sit author & causa moralis peccati, ut satis supra ostendimus; & reverà non video, quomodo illo casu non præmoveat ad materiale peccati ut annexam habet malitiam, quo casu ipsum esse authorem peccati, inficiabitur nullus, estque expressa sententia D. Thomæ in 2um dist. 37. q. 2a. art. 2o. ad 2um *dicendum quòd illud dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem secundùm quod actio deformitati subsitat*, id est secundùm quod cognoscitur habere annexam deformitatem.

CIII. Nec dicas Deum ad præmovendum per dictam qualitatem necessitari ex conditione primæ causæ, Domini causæ & modi, quo effectum causat, &c. non verò ad id suadendum. Quia quod assumitur omninò falsum est ex præmissis dubio præcedenti Resol. 1a. & 3a. ex quo sequitur materiale peccati, cui Deus videt necessariò annexam esse malitiam, à Deo liberè poni; quis autem dicat hominem sic materiale peccati ponentem non esse authorem peccati & causam moralem illius? revera nullus (putem) rationabiliter.

CIV. Probatur 3o. Deus esset author & causa moralis bonorum operum, per hoc, quòd videns illis esse annexam bonitatem, ad illa causas secundas Physicè prædeterminaret; amplius enim nihil requiritur; ergo similiter per hoc, quòd videns operibus malis esse annexam malitiam, ad illa causas secundas Physicè prædeterminet, est author & causa moralis malorum operum, ac consequenter contra Trid. sess. 6. can. 6o. & D. Thom. in 2um dist. 37. q. 2a. art. 2o. ad 3um *Deus mala opera, ita ut bona, operatur; Deus eodem modo dicendus est author malarum actionum, sicut est author bonarum.* Sicuti enim Deus, ideo est causa entitatis harum ut conjunctæ perfectioni, quia talem conjunctionem videns, ad entitatem illarum causas secundas Physicè prædeterminat; ita est causa entitatis illarum, ut conjunctæ defectui, quia talem conjunctionem videns, ad entitatem illarum causas secundas Physicè prædeterminat.

CV. Adde præterea quòd id militet contra totam doctrinam Augustini, ut lib. 2o. de peccat. merit. cap. 19. *extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit, aut adjuvat Deus.* lib. 1o. ad Bonif. cap. 18. *Respondemus; nec ex Dei potentia, vel in malum, vel in bonum aliquem cogi: sed Deo deserente* (igitur non per præviam istam qualitatem confortante) *pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante* (nota discrimen) *sine meritis, converti ad bonum.* Tract. 3. in Ioan. *fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere.* Epist. 105. *nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non* (nota) *impertiendo misericordiam.* Sed ad rem nostram clarissimè in Epist. 47. *vias autem sinistras perversas, id est, vias impiorum, non utique novit, quia non eas ipse fecit in homine, sed homo sibi.*

CVI. Confirmatur, sit vel non sit Deus author & causa moralis peccati formaliter sumpti, ex eo, quòd, videns materiali peccati annexam esse malitiam, Physicè ad materiale peccati causas secundas prædeterminet; adhuc non potest Deus per qualitatem istam præviam ad materiale peccati, cui videt annexam esse malitiam, Physicè prædeterminare; alioqui similiter posset ad materiale prophetiæ falsæ, cui videt annexam esse falsitatem, prophetas Physicè prædeterminare; unde omnino nutaret fides nostra, nobisque Deus ad falsam fidem laqueos injiceret: deinde omnes pœnæ temporales, quæ contra hæreticos, & omnes alios, ob materialem transgressionem (nihil curando de formali) in foro externo imponuntur, non sine gravi injuria imponerentur, ut consideranti patebit, *injustè punit* (inquit Prosp. ad cap. Gal. lib. 1o. Object. 12.) *quod, ut fiat, impellit.* & ad Object. 10. Vincent. *judicium futurum omnino non esset; si homines Dei voluntate* (puta excitante, suadente, impellente, de qua ibi) *peccarent.* concordat Fulg. ad Mon. lib. 1. cap. 26. *quando autem peccanti servo iram justus Dominus intulisset, si servus ex Domini prædestinatione peccasset?*

Resolutio III.

CVII. Dico 3o. Deus præmovet Physicè ad peccatum materialiter, sive ad entitatem Physicam peccati, per aggregatum ex omni concursu Dei ad omne id, quod se tenet ex parte causæ causantis, prout causa causans præcisè à sua actione condistinguitur. Videtur expressissima sententia D. Thomæ: in 2um, sent. dist. 37. q. 2. art. 2o. ad 2um *Deus actionis illius causa est, in qua malum consistit, eo quòd influit agenti esse, posse, & agere*; ubi vides præmotionem declarari per aggregatum dictorum influxuum, sive concursuum, Dei.

CVIII. Probatur authoritate omnis scripturæ, SS. Patrum & Scholasticorum (exceptis Durando, à Dola, & paucis aliis supra refutatis) docentium Deum immediatè concurrere ut causam primam ad peccatum ut actus est; ad materiale peccati, sive ad entitatem peccati prout à tali causa causante est, haud secus, quàm ad actum bonum; ac proinde tam ad materiale peccati præmovere, quàm ad actum bonum, (ex parte & ratione Dei dominii & 1æ. causalitatis in res, actiones & agendi modos, præcisè,) ergo, &c.

CIX. Confirmatur refutatione secundæ sententiæ statim allatæ & simultanei concursus præcisè Dub. præcedenti Resol. 2a. item solutione argumentorum.

CX. Objicies 1o. *Deus intentator malorum est*, Iacob. 1o. *perditio tua ex te Israël*, Oseæ 3o. ergo Deus non præmovet Physicè ad materiale peccati.

CXI. Confirmatur: si Deus suaderet materiale peccati, cui videt necessariò esse annexam malitiam, esset author & causa moralis peccati formaliter; ergo à fortiori est talis, si videns ei esse annexam malitiam ad illud Physicè præmoveat.

CXII. Respondeo 1o. Retorquendo loca ista Scripturæ & argumenti confirmationem in concursum simultaneum; si enim dicas hunc concursum esse indifferentem, non salvas rationem primæ causæ & subordinationem causæ secundæ ad illam, uti Dub. præcedenti Resol. 2a. probatum est: si verò dicas esse determinatum & determinantem ad unum, nihil plus volumus.

CXIII. Respondeo 2o. Scripturam ibi agere de malis formaliter, & *perditione* quà peccatum est formaliter, ut omnes fatentur.

Ad Confirmationem autem, in qua tota ferè difficultas, quam contra præcedentem sententiam allegavimus,

Respon-

CXIV. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quòd Deus videns malitiam materiali peccati annexam, non aliter ad materiale peccati præmoveat Physicè, quàm Physicè simultaneè concurrat, videlicet necessariò & per modum causæ universalis & primæ; quod non negat Augustinus locis Resolutione præcedenti in fine citatis; sed tantùm, quòd præmoveat liberè & per modum causæ particularis, uti ad opera bona.

CXV. Instabis, Deus præmovet determinatus à creatura, vel non, sed sic tantùm ut sit determinatus & determinans ad unum? si primum, creatura erit causa prima, ejus determinatio ad præmotionem divinam erit à se, &c. si secundum, incidit in sententiam, quam Resolutione præcedenti impugnavimus, ergo, &c.

CXVI. Respondeo Deum præmovere causam secundam sic, ut sit ad eam præmovendam determinatus & determinans ad esse præmotam; ita tamen, ut determinatio causæ secundæ in effectum, non sit ab aliqua qualitate prævia ex se causam secundam determinante ob rationes Resol. præcedenti allatas; sed ab aggregato ex omni concursu Dei, &c. ut applicante, aptante, inclinante causam secundam, & isto sensu eam determinante ad agendum; & à causa secunda simul cum Deo, ex suppositione concomitante istius applicationis infallibiliter juxta conditionem suam, necessariò si necessaria, liberè si libera, efficienter agente: sic enim patet quòd per præmotionem Physicam nulla vis causæ secundæ inferatur; item quòd causæ secundæ, tam sint liberæ sub præmotione Physica, quàm sub sua productione & conservatione, quo sensu Augustinus ante Resol. 2ª. in fine citatus, præmotionem Physicam non respuit, nec ullus eam respuere potest, salvâ subordinatione causæ 2æ. prout talis effectus causæ, ad primam.

DUBIUM VI.

An determinatio necessaria ad individuum sit à Deo, an à creatura.

ANte Resolutionem

CXVII. Suppono 1°. determinare creaturam ad aliquid, esse ejus indifferentiam ab illa tollere: illa autem est triplex; prima ad speciem actus, ut ad amorem vel odium; secunda ad exercitium, ut ad agere vel non agere; tertia ad individuum, ut ad ponendum hunc vel illum amorem, hoc vel illud odium in individuo ex infinitis possibilibus: unde is determinare dicitur, qui eorum, ad quod est, indifferentiam ad utrumlibet tollit.

CXVIII. Suppono 2°. determinationem posse considerari quà exercitam, & quà exercibilem, tam quoad speciem, quàm quoad individuum: determinationem autem quoad speciem exercibilem non esse specialiter à Deo, sed fundari in natura ipsius creaturæ videtur certum; alioqui dicendum esset, quòd calor sit proprietas ignis, & non frigus, id esse à Deo specialiter, & non fundari in natura ignis, quod nullus dixerit: determinationem verò quà exercitam esse à Deo ut præmovente, id est, applicante, aptante, &c. constat ex dictis dub. 3°. & 4°. sed quod hîc quæritur, est, an dum ignis applicatur passo, calor A. qui producitur & exercetur, quà præ infinitis aliis possibilibus producitur & exercetur, sit specialiter à Dei decreto? an ex ipsa creatura, naturâ suâ ad illum præ cæteris determinata? sic nempe, ut creatura sic sit ex natura sua determinata, ut si aliquem hujus speciei effectum producat, hunc 1°. hujus individui, illum 2°. & ita de cæteris, producere debeat; sicuti si aliquam proprietatem hujus generis producere debeat, hanc hujus speciei v. g. calorem pro igne, & non illam v. g. frigus, producere debeat, ex intrinsecis & seipsâ ad id determinatâ. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

CXIX. DIco determinatio necessaria ad individuum, non quidem ut exerceatur, sed ut *hoc* præ cæteris ejusdem speciei infinitis ponatur, sic est à creatura, ut à Deo esse non possit, ex aliqua præmotione prævia ex se illam inferente, sive disjunctivè, sive determinatè.

CXX. Probatur prima pars 1°. quia determinatio Dei ad individuum ut sic, nullo modo est necessaria ad hoc, ut Deus sit causa prima illius secundùm se, & prout à tali causa, & sine absurdo salvatur in determinatione creaturæ ex natura sua ad hoc individuum 1°. illud 2°. &c. producendum, juxta explicationem factam in præsuppositio; ergo, &c. Probatur antecedens; quia Deus est causa prima illius secundùm se per hoc, quòd illud producat, licèt aliundè debeat secundùm istum ordinem produci; deinde etiam est causa illius, prout est à tali causa, in quantum talem causam ex se & natura sua determinatam ad illud individuum isto ordine producendum, ad illius productionem applicat, aptat, &c. ut Dub. præcedenti Resol. ultimâ vidimus, ergo, &c.

CXXI. Probatur 2°. non est ad Deum in puris naturalibus recurrendum sine necessitate; alioqui dicendum esset causas secundas nihil omnino Physicè producere, sed omnia à Deo ad earum præsentiam Physicè produci; quod non admittitur; sed, ut patet ex probatione 1ª. hîc nulla est ad Deum recurrendi necessitas, ergo, &c.

CXXII. Probatur 3°. in communi sententia, saltem PP. Societatis, causæ secundæ sunt determinatæ ad speciem, ergo & ad individuum: probatur consequentia, quia ex dictis in Logica Tract. 2°. *de Universalibus*, Species ab individuis objectivè non distinguitur, & multò minùs realiter, ergo, &c. atqui non sunt determinatæ ad omnia simul ponenda; ergo ad aliqua ponenda secundùm certum ordinem prioritatis & posterioritatis inter se.

CXXIII. Objicies, ille idem numero effectus, qui ab una causa producitur, potuit ab alia produci, ergo, &c. Probatur assumptum, quia idem calor v. g. in aqua productus ab igne A. potuit produci ab igne B. quod probabis, quia potest remoto igne A, conservari ab igne B admoto, & reipsa sæpè conservatur; ergo etiam potuit ab eo produci, ergo, &c.

CXXIV. Respondeo 1°. Retorquendo argumentum in speciem: ad eandem speciem ad quam una creatura est determinata, potest alia esse determinata, ut v. g. sol, uti ignis, ad calorem, cygnus, uti calx, ad albedinem: ergo nulla creatura est determinata ad speciem? negas hanc consequentiam cum cæteris, & meritò; igitur & tuam consequenter negare debes.

CXXV. Respondeo 2°. negando consequentiam; quia indifferentia passiva effectus in individuo, rectè stat cum determinatione activa causæ ad effectum in individuo; sicuti indifferentia passiva effectus

ctus in specie, rectè stat cum determinatione activa causæ ad effectum in specie; quia determinatio activa causæ utpote causa, ab indifferentia passiva effectus, utpote effectus, realiter distinguitur, sicuti causa ab effectu: sicut enim, licèt ignis sit alligatus ad calorem producendum & non frigus, non ideo statim rectè infertur calorem esse alligatum ad produci ab igne, & non à sole, etsi rectè inferatur calorem esse alligatum ad produci ab igne & non frigus: ita similiter, licèt ignis A. v.g. sit alligatus ad producendum hoc ordine calorem A. & non calorem B. non ideo statim rectè infertur calorem A. esse alligatum ad produci ab igne A. & non ab igne B. aut sole, etsi rectè inferatur calorem A. esse alligatũ ad produci hoc ordine ab igne A. & non calorẽ B. ista enim valde differũt, ut considerãti patebit.

CXXVI. Objicies 2°. duæ causæ totales sufficienter applicatæ possunt sæpe naturaliter actionibus totalibus eundem effectum producere, ut constat ex dictis Disp. præcedenti; ergo chimæricus est ille ordo effectuum producendorum: Probatur consequentia, quia eo casu non est ratio cur uni potius ordini, quàm alteri effectus ille annumeretur.

Confirmatur 1°. potest una causa potẽs successivè producere multos effectus, causare ad minùs duos simul; ergo fictitia est illa series effectuum. Consequẽtia patet: antecedens admisimus supra, ergo, &c.

CXXVII. Confirmatur 2°. multi homines nati sunt ex iis, præ aliis numero parentibus propter merita Christi, quod patet in B. Ioanne Bapt. & aliis, quòd si parentes non orassent, erant nihilominùs nascituri ex aliis parentibus; enimvero Christus non est meritus hominũ existentiam (ut suppono ex Theologia) sed hominum redemptionem; ergo Ioannes Baptista v.g. à Zacharia procreatus, fuisset procreandus ab alio, adeoque non potius alligatus huic, quàm illi ex natura rei.

CXXVIII. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam; ad ejus probationem Resp. eo casu, non quidem effectum illum exigere produci ab utraque illâ causa; sed utramq; causam illam exigere eo ordine, quo effectus ille ab utraque causa producitur, effectum illum producere: quid enim absurdi in eo, quòd duæ causæ exigant post hunc effectum à se productum, illum seorsim, vel cum alia causa producere, prout ab una seorsim, vel ab utraque conjunctim est producibilis?

Ad primam autem Confirmationem

CXXIX. Respondeo concesso antecedente in igne A. v.g. simul producente calorem A. ad dextram, & calorem B. ad sinistram, negando consequentiã; nam ille ignis A. sic simul producit calorem A. ad dextram, & calorem B. ad sinistram, ut sit naturâ suâ determinatus ad calorem A. ante calorẽ B. producendum, si seorsim à calore B. eum produceret; & ad calorem A. & B. ante calorem C. producendum, si simul, ut patet, seorsim à calore C. eos produceret, & sic de omni calore ab igne A. seorsim vel simul producibili; quid enim ibi chimærici naturalis ordinis? nam natura potest esse ex se determinata ad unum priùs alio producendum, sicuti in omnium sententia est ex se determinata ad unum in specie præ alio producendum.

Ad secundam Confirmationem

CXXX. Resp. generationes illas esse supra naturam aut naturæ exigentiam, ac proinde nobis impertinenter objici, quia sic dicimus causas secundas exigere hanc seriem effectuum, ut non negemus supernaturaliter posse aliam omnino seriem habere; sed hanc omnino posse infra probabimus.

CXXXI. Objicies 3°. ex ista parte Resol. sequitur, quòd omnes causæ secundæ sint specie distinctæ, ob diversos respectus essentiales ad diversas effectuum series; item quòd omnes effectus sint specie diversi; nam unus priùs, alter posteriùs petet produci, sicut causa, unum priùs, alterum posteriùs petit producere, ergo, &c.

CXXXII. Resp. negando primam sequelam, videlicet inde sequi omnes causas secundas fore specie distinctas; quia series erunt solo numero diversæ; nullus enim dicit visionem albedinis A. à visione albedinis B. cognitionem trium horum hominum à cognitione illorum trium hominum, specie distingui, quod inde sequeretur: vide dicta supra de distinctione specifica effectuum.

Ad secundam verò sequelam

CXXXIII. Resp. similiter negando omnes effectus fore specie distinctos; 1°. quia ille ordo non potest fundare differentiam specificam, ut constat ex instantibus in tempore: 2°. quia supponitur falsum videlicet effectus ex natura sua exigere unum post alium produci, sicut causæ secundæ exigunt unum post alium producere; non enim effectus sequuntur exigentiam causæ; nam ignis exigit producere calorem, calor tamen non exigit produci ab igne; quia produci potest à sole; deinde visio parietis petit videre parietem *ut quo*, paries tamen non exigit videri à visione, quâ videtur: quod clarius intelligitur in motu locali; quia, licèt causa movens petat producere ubi A. ante ubi B. & ubi B. ante ubi C. ubi A. tamẽ non petit produci ante ubi B. nec ubi C. ut patet, casu quo motus fuisset inceptus ab ubi C.

CXXXIV. Objicies 4°. causa secunda non ordinatur per se ad productionem hujus vel istius individui, sed solùm speciei, sicut nec intendit, ut declarant Conimbricenses ex Avicenna, perpetuitatem hujus vel istius individui, sed speciei, ergo, &c.

CXXXV. Confirmatur, causa secunda se determinare non potest ad id, quod non cognoscit; sed ex infinitis individuis possibilibus solo numero distinctis unum præ alio non cognoscit, ergo, &c.

CXXXVI. Resp. distinguendo antecedens; causa secunda non ordinatur per se ad productionem hujus vel istius individui tantùm, cõcedo antecedens, hujus & aliorum suæ seriei, nego antecedens, sicut enim causa secunda non potest interdere productionem & perpetuitatem speciei, nisi intendat productionem & perpetuitatem effectuum suæ seriei, quia ab illis species non distinguitur; ita non potest causa secunda ordinari per se ad productionem & perpetuitatem suæ speciei nisi ordinetur per se ad hujus & aliorum individuorum suæ seriei productionem & perpetuitatem.

Ad Confirmationem

CXXXVII. Resp. negando consequentiam, quia non volumus causam se debere determinare ad individuum ex prævia cognitione, prout facit potentia libera ad speciem; sed esse ex natura sua determinatam ad certam seriem individuorum, sicut ex natura sua, sine prævia cognitione, est determinata ad certam speciem effectus, uti omnes fatentur.

CXXXVIII. Probatur 2ª. pars Resol. si Deus determinaret ad individuũ, odii Dei v.g. esset autor peccati; sed hoc est blasphemũ & hæreticum, ergo, &c.

CXXXIX. Probatur sequela majoris; quia determinaret absolutè ad unũ vel disjunctivè ad hoc individuum

duum odii quod poneretur, vel ad hunc amorem qui poneretur; sic nempè ut Deus obtulisse dicatur concursum suum ad hoc numero odium tantùm, vel ad hunc numero amorem tantùm; sed neutrum dici potest, ergo, &c. non 1um quia sic magis esset author peccati, quàm ipsa creatura; nam creatura non aliter est author peccati, quàm quia se ad unum individuum, quod potest ponere, absolutè determinat: non etiam 2um 1o. quia sic indifferentia Dei concursus sub illa distinctione deberet ad alteram partem disjunctionis per hanc creaturæ determinationem in individuo determinari; de qua quæro, an Deus ad eam iterum sub disjunctione concurrat, nec ne? si 1um sequitur processus in infinitum: si 2um habemus intentum, & idem primò dicendum erat. 2o. vel hæc creaturæ determinatio, est independens ab omni concursu Dei ad unum absolutè determinato; vel dependens? si 1um est independens à Deo concurrente, ac proinde à creatura ut à se operante, & consequenter à creatura ut à prima causa *quà causa*, ex quo sequitur creaturam esse à se; quia illud est à se, quod à se operatur, ut Dub. 3o. vidimus: si 2um habemus iterum intentum. 3o. da Petrum suadere Paulo odiū Dei *hoc*, sub hac disjunctione, *odi Deum hoc odio*, vel *ama Deum hoc amore:* tunc peto, an si Paulus hoc odium ponat præ hoc amore, & Petrus illud præ amore ponendum viderit, uti videt Deus; Petrus non sit censendus causa moralis & particeps hujus peccati odii Pauli? negari non potest, quia quòd simul actum hunc amoris suadeat non magis impedit ne hunc actum odii suadeat, quàm si furando, Deo benediceret, benedictio impediret furtum; nec magis istius odii suasio excusaretur à peccato propter adjunctam hujus amoris suasionem, quàm hoc furtum excusaretur à peccato propter adjunctam Deo benedictionem: igitur à fortiori Deus determinando creaturam ad hoc sui odium sub disjunctione hac *odi me hoc odio*, vel *ama me hoc amore* (licèt cum indifferentia ad utriusque omissionem, quæ etiam in allato casu reperitur) si creatura hoc odium Dei poneret, Deus esset causa moralis & particeps istius odii: à fortiori, inquam, quia Petrus esset causa moralis tantùm istius odii, Deus verò causa Physica simul & moralis, ut consideranti patebit, ergo, &c.

CXL. Neque obtrudi potest, quòd nulla sit necessitas istius suasionis in Petro, sed ipsi sit omnino libera, ac ideò peccatum; è contra verò quòd sit necessitas istius determinationis à Deo tanquam causâ universali, tanquam causâ primâ, &c. quia satis contrarium patet, tum ex præsuppositio ad Resolutionem, tum ex probationibus pro prima parte. Vnde

CXLI. Colliges illos, qui negant præmotiones Physicas, & docent Deum determinare ad individuum, ut PP. Societatis communissimè, magnas, imo fortè majores difficultates pati, quàm illi, qui præmotiones Physicas ex se ad unum absolutè determinantes, agnoscunt, quod non parum addit authoritatis huic eorū sententiæ, licèt nobis falsæ.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Creatione.

DVBIVM I.

Quid sit, an possibilis, & lumine naturæ cognoscibilis.

Resolutio I.

I. DIco creatio latè sumpta, idem est quod quælibet productio cujuslibet rei, quæ non sit Deus; unde omnis res, quæ non est Deus, dicitur creata, seu creatura, & Deus, Cœli & terræ Creator: strictè verò juxta Divum Thomam prima parte quæstione 45. art. 1o. quem omnes Theologi & Philosophi sequuntur, *est productio rei ex nihilo, tam sui, quam subjecti*, sive *est productio rei independenter ab omni causâ materiali*, ex quo habes ly *ex nihilo*, positum in definitione, sumi negativè, ut idem sit ac *ex non se*, etiam partialiter, ut à creatione excludas filium & Spiritum S. in divinis, qui sunt ex præsuppositâ sua essentia: item hominem qui partialiter est ex materia sua, & *ex non subjecto*, puta sustentationis.

Resolutio II.

II. DIco 2o. creatio est possibilis: ita omnes Scholastici fideles contra Aristotelem, 1o. Phys. textu 51. ad 60um; Platon. & plerosq; hæreticos juxta hoc ipsorum axioma, *ex nihilo nihil fit.*

III. Probatur, quia, vel in Angelis, anima rationali & materia prima (si subsistentia non sit basis) datur de facto, nec est cur implicet, attendendo ad summam Dei potentiam; vel sunt à se? atqui hoc ultimum dici non potest, quia aseitas est Deo propria, ergo primum dicendum est.

IV. Confirmatur ex Scriptura Geneseos 1o. *In principio creavit Deus Cœlum & terram:* quomodo creavit? audi Spiritus sancti expositionem: *intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Machab. 2o. cap. 7o. unde non video quomodo è recentioribus Renat. Descartes 1a. p. Phys. n. 75. dicere potuit axioma hoc *ex nihilo nihil fit* esse *æternæ*, id est necessariæ infallibilis, &c. *veritatis*, & ideo consequenter creationem esse impossibilem.

V. Dices omni potentiæ activæ correspondet passiva: sed potentia passiva est subjectum, ergo omne quod fit, fit ex subjecto, sive ex potentia passiva: Prob. major, quia omni potentiæ passivæ correspōdet activa, ergo, & è contra, omni activæ passiva.

VI. Respondeo distinguendo minorem, sed potentia passiva correspondens omni potentiæ activæ est subjectum, nego minorem; est rei possibilitas, concedo minorem; verùm hinc non sequitur omne quod fit, fieri ex subjecto; sed ex nihilo quod fiunt in statu possibili, fieri aliquid, in statu reali.

Resolutio III.

VII. DIco 3o. non videtur Creatio actuata esse solo lumine naturali, certò agnoscibilis, hoc est citra fidem & revelationem, secundùm quam credimus mundum à Deo in tempore conditum, *In principio creavit Deus Cœlum & terram*, Gen. 1o. *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, Ioannis 1o. & Nicænum definivit, Deum, *factorem Cœli & terræ, visibilium & invisibilium*, &c.

VIII. Probatur 1o. quia non videtur ipse Deus esse solo lumine naturali certò cognoscibilis, ut probabimus in Metaphysica, ergo multò minùs creatio, quæ secundùm sanctos Patres est actio propria Dei, & ita propria secundùm omnes Phi-

losophos & Theologos, ut nulli creaturæ tanquam causæ principali communicari possit, quod nos examinabimus infra, ergo, &c.

IX. Probatur 2°. nulla ratio convincit mundum esse ab alio, & non à se, esse in tempore, & non ab æterno secundùm molem aliquam rudem & informem, quod videntur sensisse Aristoteles & plures antiqui, ut notat Tertull. lib. contra Hermog. c. 1°. Epiph. hæres. 7. Lact. de origine; sed hoc dato solo lumine naturali creatio non est certò cognoscibilis, ergo, &c. major patebit solutione argumentorum, quia ista moles non erit creata; & quidquid productū erit, mediatè vel immediatè dependenter ab ista mole tanquam subjecto & causa materiali productum erit, ac proinde per generationem, ergo, &c.

X. Objicies, mundus est conditus à Deo secundùm materiam primam; sed non per generationem, ergo per creationem, ergo, &c. Probatur major, in qua sola difficultas, quia materia 1ª. utpote imperfectissima, non potest esse producta & à se; 1°. quia improductio & aseitas est maxima perfectio & cæterarum omnium origo; nam omnis limitatio est à causa efficiente, quam non haberet: 2°. quia alioqui esset infinitè magna, vel finitè tantùm: non primum; quia sic non posset à Deo magis extendi, quod est absurdum: non etiam secundùm; quia non est ratio cur sit potius tantæ finitæ magnitudinis, quàm tantæ.

XI. Resp. negando majorem stando in solo lumine naturali; quia, ut dixi, secundùm solum lumē naturale præcisè non videtur certò cognosci, Deum realiter existere, & consequenter multò minùs mundum esse à Deo conditum secundùm materiam primam. Ad probationem majoris, Resp. aseitatem non plus addere perfectionis enti, alioqui ab alio, quam perseitas addat enti, alioqui in alio; perseitas verò non addit infinitam perfectionem enti, alioqui in alio, & materiæ primæ, quæ secundùm te est imperfectissima, convenire potest, ergo nec aseitas addit infinitam perfectionem enti, alioqui ab alio, & similiter materiæ primæ convenire potest: undè ens à se juxta lumen naturale per aseitatem præcisè, non magis distinguitur ab ente ab alio, quàm ens per se per perseitatem præcisè distinguatur ab ente in alio, scilicet uno gradu perfectionis: ac proinde improductio & aseitas, non est maxima perfectio & cæterarum origo.

XII. Quod verò additur omnem limitationem esse à causa efficiente: apertè falsum est; quia nequidem Deus ex principiis fidei agnitus facere potest creaturam perfectiorem, aut imperfectiorem, essentialiter, quàm sit ex natura sua; quia rerum essentiæ, etiam per ordinem ad Deum sunt indivisibiles & immutabiles; quamobrem à natura rei est omnis limitatio essentialis, & non à causa efficiente, quæ naturam rei producere debet secundùm quod in se est, talis, vel talis perfectionis; alioqui talem naturam humanam v.g. non producet, sed aliam omnino brutalem v.g. imò alioqui, quod nullus admiserit, inde sequitur Filium in divinis productum à Patre habere posse esse limitatum. Sic patet ad primam probationem hujus majoris: ad secundam verò, Respondeo materiam esse finitè vel infinitè magnam, prout experientia docuerit; per eam enim de natura cujusque discernimus, uti & de quantitate & aliis accidentibus.

XIII. Instabis, si materia fuerit à se ab æterno, dabitur processus in infinitum in generationibus ab æterno hucusque; sed est absurdus processus in infinitum in causis subordinatis, ergo, &c. Deinde, si materia esset infinitè magna (saltem in sententia communi negante materiam posse naturaliter existere sine omni forma) dabitur corpus infinitum, contra Aristotelem cap. 1°. ergo, &c.

XIV. Respondeo negando minorem; quia ille processus est omnino necessarius, dato quòd mundus fuerit ab æterno; unde priùs probandum stendo in solo lumine naturali mundum non fuisse ab æterno; deinde processus in infinitum in causis subordinatis, non propter aliam rationem potest esse absurdus, quàm quia, hôc admissô, solô lumine naturali venire non potest in cognitionem certam causæ primæ & Dei: verùm hæc ratio, mihi hîc est valdè infirma; tum quia docebimus in Metaphysica solô lumine naturali non videri posse veniri in certam Dei cognitionem; tum quia, etsi veniretur in cognitionē certam causæ primæ, non tamē ideo veniretur in cognitionem Dei, quia Deus plus dicit, quàm esse causam primam, quæ tantùm, cessante illo processu, cognosci potest. Quantùm ad Aristot. attinet, dum in solo lumine naturali sistimus, etiam ab ejus authoritate præscindimus; imò sicut errare potuit negando mundum creari potuisse, potuit & dicendo corpus infinitum dari non posse.

Resolvtio IV.

XV. Dico 4°. creatio actuata est, solo lumine naturali certò cognoscibilis.

XVI. Probatur: quia sicut per te (argumentum enim est ad hominem, contra Resolutionem præcedentem) non est solo lumine naturali certò cognoscibile creationem esse actuatam; ita etiam solo lumine naturali non est certò cognoscibile creationem non esse actuatam; ac proinde sistendo in solo lumine naturali, ut minùs dubium est, an creatio sit actuata, an non sit actuata: atquì in dubiis judiciū commune præferendum est privato (præsertim ubi tot rationes probabiliter suadent hoc esse falsum uti hîc) nisi aliundè aliquid obstet; sicut in dubiis bonum commune est præferendum bono privato, &c. ergo creatio actuata est solo lumine naturali certò cognoscibilis: probatur consequentia, quia nostra ratio est solius luminis naturalis, & judicium commune ferè omnium, præterquam Aristotelis, est, quòd creatio actuata sit talis.

Dvbivm II.

An Creatio sit quidpiam realiter distinctum à creante & re creatâ.

Resolutio.

XVII. Dico, tam creatio rerum, quæ ex natura sua exigunt creari; quàm rerum, quæ ex natura sua non exigunt creari, est quidpiam realiter distinctum ab illis. Ita sanctus Thomas 1ª. p. quæst. 45. art. 5°. & Theologi ac Philosophi communiter contra Nominales & fortè Scotum in secundum dist. 1. quæst. 2. paragraph. *ad quæstionem istam.* & Vasquez 1. parte disp. 73. cap. 3.

XVIII. Probatur, quia omnes res illæ sunt indifferentes supernaturaliter ad educi vel creari, ad creari à solo Deo, vel Deo simul & creaturâ, sed propter similem indifferentiam agnoscunt Philosophi nobiscum supra eductionem realiter distinctam ab educente & formâ eductâ, ergo, &c. major pro secunda parte patebit ex dubio sequenti; probatur pro prima parte ex lib. 1°. Disp. 3ª. Dub. 5.

XIX. Confirmatur, si creatio rerum, quæ exigunt ex natura sua creari, nihil esset realiter distinctum

ctum à creante & re creata, ideo esset, quia nec possent res illæ produci per eductionem, nec ab alio creari, quàm à solo Deo; sed hoc, etiam gratis duobus istis datis, non sufficit, ergo, &c. major sumitur ex Arriaga, qui hìc docet tales res non creari per creationem realiter distinctam: Probatur minor, quia ad creari (ut patet) præter non posse produci per eductionem, nec ab alio posse creari quàm à solo Deo, requiritur poni extra causas determinatè, per unam potiùs quàm per duas creationes Dei totales, vel potiùs, per unam, quàm per alteram ex creationibus his duabus & aliis possibilibus, ad quas creationes terminandas, res, quæ nec potest per eductionem produci, nec ab alio quàm solo Deo creari, potest habere indifferentiam (ut consideranti patebit) illa autem tolli non potest per aliud, quàm per creationem unam, vel plures Dei totales ab ea re realiter distinctas, ergo, &c.

xx. Nec respondere debes rem, quæ nec potest produci per eductionem, nec ab alio creari, quàm à solo Deo, non habere indifferentiam, ut unâ creatione totali, vel duabus Dei totalibus creetur; sed debere unâ creatione totali, non secus ac ipsa creatio totalis, cui identificatur, creari: id, inquam, respondere non potes, quia alius est conceptus formalis creationis, alius conceptus formalis talis rei; nam creatio ex conceptu suo formali est ultimò determinata ad esse creationem unam; res verò, quæ nec per eductionem produci potest, nec ab alio, quàm Deo solo, creari, non est ultimò determinata ad esse creationem unam; quia sine processu in infinitum stat, quòd nec per eductionem produci possit, nec ab alio quàm Deo solo creari, & sit indifferens ad terminandam unam, vel duas Dei creationes, ut consideranti patebit. Vnde

xxi. Colliges contra P. Comptonum, Physic. disp. 41. sect. 3. & alios, dari posse rem, quæ nec per eductionem produci possit, nec ab alio, quàm solo Deo creari; quæ tamen creari debeat per creationem realiter à se distinctam; licèt detur creatura, quæ nec per eductionem produci posset, nec ab aliò, quàm solo Deo creari *ut quo*, & tamen creari non debeat per creationem realiter à se distinctam; quia ista sunt longè diversa.

xxii. Objicies 1°. omnis creatura à Deo essentialiter pendet, & non accidentaliter, ergo per essentiam, & non medio accidente creationis.

xxiii. Respondeo distinguendo antecedens, omnis creatura à Deo essentialiter id est indispensabiliter (etiam per Deum) pendet, concedo antecedens; id est immediatè per essentiam, nego antecedens; stat enim indispensabiliter pendere, & pendere mediâ dependentiâ realiter distinctâ, sive illa proveniat ex necessario Dei in omnes creaturas dominio, sive ex limitatione ipsius creaturæ.

xxiv. Objicies 2°. res quæ exigunt creari, ut Angelus, anima rationalis, &c. seipsis habent effectum formalem creationis, videlicet esse independentes à subjecto, ergo non creantur creatione realiter distinctâ; probatur consequentia, quia illa esset superflua.

xxv. Respondeo distinguendo antecedens, res, &c. seipsis habent effectum formalem creationis inadæquatum, & pro ea parte, quâ est negativus, videlicet independentiam à subjecto, concedo antecedens; adæquatum & pro ea parte, quâ effectus ille est positivus, videlicet positio extra causas, communicatio existentiæ, &c. nego antecedens: illum enim debet necessariò habere ab actione positiva; nam illius effectus adæquatus, non est facere independens à subjecto, sed productum independenter à subjecto.

xxvi. Objicies 3°. vel illa actio realiter distincta à re exigente creari, esset accidens, vel substantia? non secundum; quia est de Prædicamento actionis, & non substantiæ; item est extra conceptum essentialem substantiæ, ut patet à fortiori ex dictis de unione inter extrema substantialia: non etiam primum, quia cum accidens debeat esse in subjecto, creatio deberet esse in termino suo tanquam subjecto, & sic daretur naturaliter mutua dependentia & prioritas, in genere causæ materialis & efficientis; nam terminus esset prior creatione, utpote illius causa materialis, & proinde ab ipso pendens: & creatio esset prior suo termino, utpote ipsius causalitas efficiens, & proinde ab ipsa pendens, ergo, &c.

xxvii. Respondeo concedendo antecedens pro prima parte, videlicet, quòd esset accidens; & ad ejus probationem distinguo, accidens debet esse in subjecto inhæsionis & tanquam causa materiali, nego antecedens: adhæsionis & tanquam termino intrinseco, ut patet ex dictis de unione, concedo antecedens: sicut enim proprium est creationis producere terminum suum extra subjectum inhæsionis, sive extra causam materialem; ita proprium est illius se ponere extra subjectum inhæsionis & causam materialem; nam modus existendi, quem habet & dat creatio, est esse extra causam materialem, ut consideranti patebit, & in eo distinguitur ab eductione; habet autem formaliter & *ut quo*, quod aliis dat materialiter & *ut quod*.

xxviii. Nec dicas materiam primam esse extra omne subjectũ, etiam adhæsionis; non propterea tamen ejus creationem esse extra omne subjectum: contra enim est, quòd esse extra omne subjectum, etiam adhæsionis, non habeatur à creatione præcisè; quia res potest esse creata, & esse in subjecto adhæsionis, ut patet in anima rationali; sed à creatione & negatione talis subjecti, quàm creatio annexam non habet, uti materia.

DVBIVM III.

An virtus creandi creaturæ ut causæ principali connaturaliter competere possit.

Ante Resolutionem

xxix. Suppono 1°. inter Catholicos, contra Manichæos & Albigenses, item Avicen. (qui putavit Angelos superiores creasse inferiores, & inferiores res corporeas) certum esse Deum creasse quidquid de facto creatum est, ut patet, tum ex Scriptura Genes. 1°. *in principio creavit Deus Cœlum & terram*. & Eccl. 1°. *unus est altissimus Creator omnipotens*. tum ex PP. Aug. lib. de Civit. Dei c. 24°. & tertio de Trinit. c. 8°. *Nec boni, nec Angeli mali, possunt esse creatores alicujus rei*, & c. 15. lib. 9. de Genes. ad litteram, *creare naturam nullus Angelus potest, neque seipsum*. item ex Athanas. contra Arianos serm. 3°. *administrare creaturam, & servorum est, condere autem & creare solius Dei, ejusque Verbi & sapientiæ*. Denique ex nostro Cyril. Alex. lib. 2°. contra Iulian. ubi dicit *producere ut Creatorem*, &c. *propria sunt solius, & omnium summæ substantiæ*. Hinc

xxx. Suppono 2°. nulli creaturæ de facto concessam esse creandi connaturaliter virtutem; quia cum sit Deo propria, sine sufficienti fundamento

& authoritate asseri non debet esse creaturæ communicatam; unde solùm esse potest dubium, an de possibili concedi non possit; v. g. an Deus non posset creare aliquod agens, quod connaturaliter posset creare, sicut pleraque possunt naturaliter generare.

XXXI. Suppono 3o. ex RR. PP. Vasquez 1. p. Disp. 77. c. 5. n. 18. Raynaudo Disp. 8a. Theologiæ moralis q. 5. art. 2o. num. 300. Erize tom. 4o. d. 40. n. 82. Fasol. 1. p. q. 7. a. 4. d. 12. n. 12. & q. 12. Mol. 1. p. q. 12. d. 1. concl. 4. Valentia tom. 4. d. 1. q. 3. p. 3. §. *ideo plenis*. Tanner. 1. p. d. 2. q. 11. d. 4. num. 4. Ripald. l. 1o. de ente supern. d. 11. s. 3. num. 12. Granado tr. de Potentia Dei d. 9. n. 14. Arriag. d. 11. Phys. s. 4. Oviedo cont. 9. Physicæ p. 7. §. 2. n. 7. & Comptono Phys. Disp. 27. sect. 1. qui illos & alios citat sufficere ut dicamus illud esse per Deum possibile, in quo contradictionem & repugnantiam, post debitum examen, non invenimus.

Resolutio I.

XXXII. Dico 1. attenta præcisè authoritate sanctorum Patrum, Theologorum, ac Philosophorum, vis creandi non est connaturaliter communicabilis creaturæ ut causæ principali, sic nempè ut possibilis dicatur creatura aliqua, cui cōnaturalis sit vis creandi, uti igni vis calefaciendi.

XXXIII. Probatur, quia illa est ferè omnium sententia, in eo fundata, 1o. quòd supponant virtutem connaturaliter creandi per modum causæ principalis involvere aliquam omnipotentiam, ac proinde ita esse Deo propriam, ut nulli creaturæ, etiam possibili, modo dicto communicari possit: 2o. in eo, quòd dicant verbum esse Deum, quia potest creare: quia tamen 1a ratio non est efficax, & pro 2a melius dicitur Verbum esse Deum, quia virtus creandi illi sicut Deo Patri tribuitur, puta sine limitatione: authoritatem hîc veneramur, rationes autem sequenti Resolutione examinamus.

Resolutio II.

XXXIV. Dico 2o. attentâ præcisè ratione naturali, vis creandi est connaturaliter communicabilis creaturæ ut causæ principali. est Durandi in 2um dist. 1. q. 4. Arriagæ Phys. dist. 11. sect. 5. contra alios communiter excepto Eximio P. nostro Bachone in 1um sent. dist. 43. ubi adstipulatur, *quidam tamen de suo sensu gloriantes, Dei potentiam sub mensura coarctare conati sunt: cum enim dicunt, hucusque potest Deus, & non amplius, quid hoc est aliud, quàm ejus potentiam, quæ infinita est, concludere, & restringere ad mensuram*, &c.

XXXV. Probatur 1o. sicut Deus qui dat esse, dare potest operari, ita Deus qui dat tali modo esse, videlicet ex nihilo sui & subjecti, dare potest tali modo operari, videlicet ex nihilo effectus & subjecti, ergo, &c.

XXXVI. Probatur sequela antecedentis, quia non aliter inter se differunt esse ex nihilo sui & subjecti, & operari ex nihilo effectus & subjecti, quàm esse & operari, nam ex parte modi nulla est distinctio, ut patet, ergo, &c.

XXXVII. Nec inferas: ergo sicut *esse* convenit operari naturaliter; ita *esse ex nihilo sui & subjecti* convenit operari naturaliter ex nihilo effectus & subjecti; quia id quidem negamus de *esse* rei, quæ extitit vel existit, propter authoritatem Scripturæ & sanctorum Patrum supra; concedimus tamen de *esse* rei alicujus possibilis; alicujus (inquam) quia nequidem omni rei, cui convenit esse, convenit operari; ac proinde nec omnis res possibilis, cui conveniet esse ex nihilo sui & subjecti, conveniet operari ex nihilo effectus & subjecti.

XXXVIII. Probatur 2o. Creationi, quæ est creatura, de facto convenit esse ex nihilo sui & subjecti, & operari, saltem *ut quo*, ex nihilo effectus & subjecti, ergo & alteri creaturæ possibili convenire potest esse ex nihilo sui & subjecti, & operari *ut quod* ex nihilo effectus & subjecti; probatur consequentia, quia operari *ut quod* & *ut quo* non nisi finitè differunt, ut patet in calore & calefactione.

XXXIX. Probatur 3o. Creatio causæ principalis præsupponit potentiam, vel finitam in causa principali, vel infinitam? si primum habemus intentum, quia (ut fatentur) quælibet potentia finita, connaturaliter alicui creaturæ convenire potest: non secundum, 1o. quia effectus finitus & à fortiori creatio effectus finiti, sunt finiti; finitum verò non præsupponit potentiam infinitam: 2o. absente subjecto, omnis productio est creatio; atqui causalitas materialis sive præsentia passiva subjecti, aut necessitas ejus, non se tenet ex parte agentis, sed ex parte effectus exigentis in illo produci; ergo omnis actio agentis ex parte agentis est creatio; & per consequens quodlibet agens ex parte sua haberet vires ad creandum, si effectus ex parte sua non exigerent produci in subjecto; ergo creatio non præsupponit potentiam infinitam. Ex his

XL. Confirmatur 1o. causalitas materialis, sive præsentia passiva subjecti, non auget vires agentis creati principalis; ergo hoc quantùm est ex parte sua, agere potest illo absente: sed si ageret absente subjecto, crearet per modū causæ principalis creatæ, dum si esset aliundè æquè perfectū ac effectus, ergo, &c. probatur antecedens, quia ut lib. 1o. Phys. Disp. 3a. dub. 4o. vidimus, subjectum nullum habet influxum realem à se egredientem in effectum, necessitasque subjecti tenet se ex parte effectus, non ex parte agentis, ut statim diximus: unde si constaret, quòd effectus connaturalis alicujus creaturæ non exigeret produci in subjecto, constaret creaturam creare posse connaturaliter, ergo, &c.

XLI. Confirmatur 2o. ad creationem, &c. ut sūmùm requiri potest omnipotentia: sed omnipotentia creata & cum dependentia à Deo, videtur communicari posse connaturaliter creaturæ, ergo, &c. Probatur minor (quæ fortè alicui videbitur exotica, sed immeritò, si attendat nos rationem naturalem hîc præcisè spectare, & eam secundū authoritatem omnino improbare) quia omne attributum & perfectio Dei, creaturæ connaturaliter communicari potest, exceptâ independentiâ limitationis in aliquo genere, quam Deus in omni genere includit, & per illam præcisè distinguitur ab omni creatura existente & possibili, ut consideranti patebit, ergo, &c. hoc assumptum ex professo probatur Disp. sequenti Dub. 5o.

XLII. Confirmatur 3o. ex non repugnantia, ut solutione argumentorum patebit, in qua sola fundat hanc sententiam Arriaga, &c.

XLIII. Mirum quantùm contra hanc Confirmationem Adversarii urgeant sequens argumentum: *etiam in oppositō non apparet repugnantia, ergo oppositum fit*: in similibus autem dubiis facti (inquiunt) est suspendendū judicium, ne temere pro utravis parte judi-

judicetur. Sed fruſtra urgent; quia licèt concedam non ſtatim non eſſe rei repugnantiam à parte rei (maximè ſi captioni noſtræ non ſatis proportionata ſit, uti eſt peccatum originale de quo Auguſtinus contra Iulianum diſputans, *Quid autem*, ait, *horum ſit verum, lubentiùs diſco, quàm dico; ne videar docere, quod neſcio*,) hoc ipſo, quòd intellectui (præſertim rudis ruſtici) non appareat: item licèt conſequenter concedam ruſticum rudem (de quo Suarez, dum Metaph. Diſp. 30ª. ſect. 17. n. 26. ait, ubi in hujuſmodi rebus (puta fidei) impoſſibilitas, ſe ejus menti ingerit, meritò ſuſpendit judicium) imprudenter moveri ad judicandum repugnantiam non eſſe, ex eo quòd illi non appareat, præſertim ſi viri docti & oculatiores, quòd ſit, judicent: nego tamen, & id ab omnibus negandum puto, virum doctum improbabiliter, & imprudenter judicaturum, ſi diſcuſſis, pro parte oppoſita, Theologorum & Philoſophorum argumentis, & probabiliter ſolutis, judicet (quod hîc facit doctiſſimus P. Arriaga, & nos poſt illum) & inferat idipſum fieri, quod ſententia oppoſita renuit; & revera alioqui vix video quis eſſe poſſet prudens probabilium arbiter & judex. Vnde R. P. Suarez (præter ſupra citatos) lib. 1°. de Angelis cap. 15°. n. 3. *contentus ero brevi Reſponſione fundamentorum; quia eo ipſo quòd ex parte rei non oſtenditur, neque oſtendi poteſt implicantia, probatur id fieri poſſe à Deo*: & Vaſquez 1. p. Diſp. 77. cont. 5. n. 18. *hoc autem manifeſtum erit, ſi ſolverimus rationes, quæ huic ſententiæ ſolent opponi*. Profectò quis uſum Scholæ novit, & negat in ea uſum horum, aut ſimilium argumentorum, *nihil obſtat, ergo ita eſt: nulla apparet diſparitas, ergo nulla eſt*; conſequentiamq; cenſeri legitimam, quamdiu adferri non poteſt obſtaculum, aut diſparitas; quia reſponderi debet, *obſtat, eſt diſparitas, &c.* ut patet: unde ad hoc Nominalium Axioma: *non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate*, Reſpondens eſſe neceſſitatem, ordinariè obligatur ad eam adferendam.

XLIV. Objicies 1°. effectus univerſaliſſimi ſunt cauſæ univerſaliſſimæ; ſed effectus per creationem, utpote ens ut ens, eſt univerſaliſſimus; ergo Dei cauſæ univerſaliſſimæ.

XLV. Reſp. 1°. conceſſa majore, tranſeat minor; nego conſequentiam; nam ut ſummum debet eſſe entis dependenter à Deo omnipotentis ut patet, quod non neceſſariò eſt Deus, ut diximus, ſed poteſt eſſe creatura. Vide dicta numero 39.

XLVI. Reſp. 2°. negando minorem, quia per ens ut ens, vel intelligitur ens in communi & in abſtracto? & hoc non; quia illud nullo modo eſt realiter producibile, ut patet; vel quidlibet ens particulare? & hoc etiam non; quia nec generationes ſunt effectus per creationem; nec effectus per creationem ſunt cujuſlibet creatoris, magis quàm effectus per generationem ſint cujuſlibet genitoris; ſicut enim hic ad certa generabilia eſſe poteſt determinatus, & non ad plura; ita ille ad certa creabilia, & non ad plura, determinatus eſſe poteſt.

XLVII. Objicies 2°. iſta creatura eſſet corporea, vel incorporea? non corporea; quia cum haberet materiam, non poſſet extra illam operari: non incorporea, quia hæc debet agere mediantibus accidentibus, ſcilicet intellectione & volitione; accidentia autem non ſunt ſufficientia ad creandum, ergo, &c.

XLVIII. Reſp. 1°. eſſe corpoream, poſſe tamen operari extra materiam, ſive non materiale producere, ſicut ſubſtantia poteſt operari non ſubſtantiam, ſive accidens; licèt enim creatura corporea includat materiam; non tamen neceſſariò operatur in materia; ſiquidem materia non determinat illam ad opus, hoc, vel illo modo, extra ſe ponendum, ſed tantùm ad eſſe ſubſtantiam compoſitam materialem; illa autem determinatio à ſola forma provenit, cum hæc ſola, ſit activa ad extra.

XLIX. Reſp. 2°. poſſe etiam eſſe incorpoream, & operari immediatè ut principium *quo* per creationem, tam ſubſtantias, quàm accidentia; nam ſubſtantiæ ſunt immediatè ut principia *quo* operativæ ad extra: ſi verò debeat eſſe intellectiva, volitiva, &c. (quod gratis dicitur) dicendum eſt non operari mediâ intellectione, volitione, &c. tanquam principiis efficientibus, ſed tanquam principiis dirigentibus. Ex his duabus ſolutionibus

L. Colliges Axioma, quo fundatur ſententia Scoti, videlicet *modus operandi, ſequitur modum eſſendi*, non poſſe contra nos urgeri; quod etiam patet ex Angelo, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis indiviſibilis & permanens, operatur tamen accidens materiale, diviſibile & ſucceſſivum: unde iſtius Axiomatis poteſt eſſe hic ſenſus, *modus operandi*, id eſt exiſtentia operationis *ſequitur modum eſſendi*, id eſt exiſtentiam eſſentiæ, ſive cauſæ à quâ egreditur.

LI. Objicies 3°. virtus creandi eſt infinita, ergo, &c. Probatur antecedens, quia quo magis diſtat terminus à ſubjecto, eò majorem virtutem requirit; ſed in creatione diſtat infinitè tanquam ens à non ente, quia eſt ex nihilo; ergo virtus creandi eſt infinita.

LII. Reſpondeo 1°. tranſeat antecedens, juxta confirmationem ſecundam, nego conſequentiam.

LIII. Reſp. 2°. negando antecedens, 1°. quia, ut patet ex probatione tertiâ, non eſt ex parte ſua major virtute generandi: 2°. quia illius terminus eſt finitus, ergo ipſa non debet eſſe infinita, ſive inter ipſum & nihil ſit diſtantia infinita, ſive non: 3°. ens à non ente non diſtat infinitè, tum quia inter ens & non ens nihil mediat, tum quia ens tantùm excedit non ens ſecundùm ſuam entitatem, quæ eſt finita.

LIV. Objicies 4°. illa creatura eſſet perfectior Angelo, vel non? non primum, quia Angeli dicuntur conſtituere ſupremum ordinem creaturarum; neque etiam ſecundum, quia creare poſſet, quod Angeli non poſſunt, ergo, &c.

LV. Reſp. fore perfectiorem, vel imperfectiorem, ut vis; perfectiorem quidem in modo operandi, & imperfectiorem in ſubſtantiâ, ſi velis Angelos tot partibus eſſentialibus ipſam excedere, ut compenſent & ſuperent perfectionem modi operandi iſtius creaturæ: adde tamen poſſe dici etiam in ſubſtantiâ perfectiorem; quia Angeli ut ſummum reſpectu creaturarum exiſtentium conſtituunt ſupremum ordinem, ne dixeris tamen propterea debere de facto dari, quia non omnes rerum poſſibilium ordines debent de facto dari, ut malè vult Suarez, & parum conformiter ad ſua principia, quibus docet eſſe poſſibile corpus completum ſimplex, & tamen de facto non dari.

LVI. Objicies 5°. Creatio eſt actio cauſæ efficientis, quæ operari poteſt independenter à concurſu cauſæ materialis, & à concurſu alterius cauſæ efficientis; ſed creatura non eſt cauſa efficiens, quæ operari poteſt independenter à concurſu alterius cauſæ efficientis, videlicet Dei, ergo, &c.

Reſpondeo

LVII. Respondeo negando majorem, quia idipsum est, quod quæritur hîc: an creatio, scilicet, sit talis actio; & talem esse, gratis (attentâ solâ ratione) fingitur; deinde creatio est actio Patris in Divinis, qui tamen ad extra operari non potest independenter à concursu Filii & Spiritus sancti causarum efficientium ab ipso distinctarum: denique, casu quo Angelus à Deo ad producendum Angelum, aut animam rationalem, assumeretur, sequitur illum, nec creatum iri, quia ejus productio non est actio causæ efficientis, quæ operari possit independenter à concursu Dei causæ efficientis: nec generatum, quia ipsius productio erit independens à subjecto, sive causa materiali; non datur verò actio media inter generativam & creativam, quam isti Recentiores fingere debent, si consequenter loqui velint.

LVIII. Objicies 6°. ex P. Oviedo ideo creatura non potest operari immanenter, nisi per actionem receptam in ipsa; quia operatio immanens à creaturâ procedit, ergo nec potest dari creatura, quæ operetur transeunter, nisi per operationem in subjecto extraneo receptam; quia operatio talis transiens à creatura procedit.

LIX. Respondeo negando antecedens, 1°. quia falsum est creaturam non posse per modum principii inadæquati operari immanenter per actionem receptam immanenter in alio, uti Deus nobiscum operatur actiones immanentes: 2°. operatio immanens, non ideo in ipsa creatura operante immanenter recipitur, quia procedit à creaturâ; alioqui & transiens deberet in ipsa creatura immanenter operante recipi; sed ab eo, quòd ordinariè, in ipsa creatura immanenter operante recipiatur.

LX. Objicies 7°. non potest actio aliqua naturalis habere perfectiorem modum essendi, quàm principium adæquatum & totale à quo profluit, quod hîc contingeret; quia principium illud includit, aut substantiam, aut accidentia dependentia à subjecto, ergo, &c.

LXI. Respondeo argumentum illud omnibus debere esse falsum; quia generatio semper habet simpliciorem modum essendi, quàm suum principium totale, ut patet; si hunc possit, quidni & alium: deinde actio principium suum non respicit quatenus talem modum essendi habet, sed quia ipsam principiat, quod secundùm se facit, & non quatenus talem modum essendi habet concomitantem, ut consideranti patebit. Ex his

LXII. Colliges à fortiori posse creaturam de facto existentem & possibilem assumi à Deo ad creandum per modum causæ instrumentalis, sive aliquid, aut se nobilius, aut supra vires suæ activitatis materialis, producentis: est contra Thomistas, Scotistas, Vasquez, Oviedum, &c. quòd enim aliqui dicunt causam instrumentalem esse virtutem subordinatam alteri ad agendum, illamque alteram causam recipere tanquam ultimum suum complementum in ordine ad operandum, falsum est; quia calor secundùm omnes est instrumentum ignis in ordine ad producendum alium ignem; ignem tamen non respicit tanquam ultimum illius complementum in ordine ad producendum alium ignem; nam si abesset, adhuc alium ignem produceret, ut constat ex præmissis Disp. 6ª. de causâ efficiente creatâ dubio 2°. adde causam instrumentalem hîc non debere sumi in isto rigore, sed paulò latius, juxta illius definitionem à nobis traditam Disp. 5ª. dubio 1°.

LXIII. Miraberis fortè, quòd rationum objectarum authores non citârim; sed mirari desines, si attendas nos rationes istas sic secundùm se præcisè considerare velle, ut ab omni authoritate præscindant; quia si authoritas attendatur, omnino dicendum putamus vim creandi per modum causæ connaturalis & principalis, creaturæ communicari non posse.

DVBIVM IV.

Quid Potentia obedientialis; & an sit in quolibet ad recipiendum & producendum quodlibet.

RESOLUTIO I.

LXIV. DIco 1°. Potentia obedientialis est intrinseca cujusque rei entitas conjuncta cum qualitate intrinsecâ indebitâ, vel concursu Dei extraordinario, ad effectum, quem alioqui non posset, producendum. Ex hâc definitione, quæ in re debet esse communis.

LXV. Colliges potentiam obedientialem remotam & materialem esse ipsammet cujusque rei entitatem; proximam verò & in concreto esse cujusque rei entitatem in recto, & qualitatem intrinsecam indebitam, vel concursum Dei extraordinarium, cui conjungitur, & quem connotat in obliquo: unde potentia naturalis ab obedientiali in eo distinguitur, quòd sit completa secundùm entitatem rei, cujus est potentia, vel per causas secundas complebilis independenter à concursu Dei extraordinario: obedientialis verò incompleta secundùm entitatem, & non nisi complebilis dependenter à concursu Dei extraordinario, quo producit dictam qualitatem intrinsecâ, vel quo immediatè cum creaturâ concurrit ad effectum indebitum.

RESOLUTIO II.

LXVI. DIco 2°. in quolibet subjecto datur potentia passiva obedientialis ad recipiendam quamlibet formam non alligatam essentialiter determinato subjecto, uti est modus v.g. videtur esse authorum pro Resolutione sequenti citandorum, & *videtur mihi* (inquit P. Poncius hîc) *communissima contra Magistrium.*

LXVII. Probatur 1°. quia majus obstaculum, quod adferri potest, est, quòd forma spiritualis de subjecto materiali, materialis de subjecto spirituali educi non possit; sed contrarium probatum est Physic. lib. 1°. Disp. 3ª. dub. 5°. ergo, &c.

LXVIII. Probatur 2°. in humanitate datur potentia passiva obedientialis ad recipiendam unionem hypostaticam, imò, & in lapide, albedine, &c. ut ostendemus 3ª. parte & supra lib. 1°. Disp. 4. dub. 8°.; ergo à fortiori ad recipiendas alias formas, quæ ad esse tam nobile ac divinum, subjectum non evehunt.

LXIX. Confirmatur, potentiæ cujuslibet passivæ duplex est capacitas, una naturalis, supernaturalis alia: naturalis solâ experientiâ dignoscitur, (ut omnes fatentur:) supernaturalis autem ex non repugnantiâ extensionis ad illas & illas formas, intelligi debet, sed non repugnat dari in quolibet subjecto potentiam passivam obedientialem ad recipiendam quamlibet formam, ergo, &c. Probatur major pro 2ª. parte; in qua tantùm difficultas; quia apud omnes certum est majorem esse capacitatem supernaturalem passivam, quàm naturalem; & cum illa per experientiam cognosci non possit, non est

unde

unde melius cognoscatur, quàm ex non repugnantiâ extensionis, &c.

LXX. Objicies 1°. ex subtili Doctore Scoto in quartum dist. 1ª. quæst. 3ª. nec lapis secundùm potentiam obedientialem potest recipere sapientiam, nec Angelus albedinem; nec intellectus amorem, ut alii, ergo, &c. Probabis antecedens, quia alioqui lapis esset sapiens, Angelus albus, intellectus amans, &c. sed hæc sunt absurda, ergo, &c.

LXXI. Respondeo 1°. probabiliter (quidquid sit de mente Scoti) lapidem posse secundùm potentiam obedientialem recipere sapientiam, Angelum albedinem, &c. sed lapidem non posse denominari sapientem à sapientiâ, quam recipit; & Angelum album ab albedine, quam recipit; quia fortè sapientia solam potentiam, quæ agere potest sapienter denominat sapientem, & albedo solum subjectum, in quo ponitur extenso modo denominat album; nec lapis verò habet talem potentiam; nec Angelus est tale subjectum: unde dici potest concretum sapiens, album, &c. essentialiter requirere determinatũ subjectum, sicut quodlibet compositum essentiale determinatas partes essentiales requirit; ex albedine enim loco materiæ & animâ rationali, etiam secundùm potentiam obedientialem, non haberetur homo.

LXXII. Respondeo 2°. probabilius (licèt mirabilius) negando antecedens; potest enim secundùm potentiam obedientialem lapis denominari sapiens à sapientiâ, quam recipit; Angelus albus ab albedine, quam recipit; & intellectus amans, ab amore, quem recipit: nam, sicut si illas formas secundùm potentiam naturalem reciperent, secundùm potentiam naturalem denominarentur tales; ita, si illas formas secundùm potentiam obedientialem recipiant, debent secundùm potentiam obedientialem denominari tales: deinde verum quidem est sapientiam, attendendo ad solam potentiam naturalem, solùm denominare posse sapientem, potentiam illam, quæ agere potest sapienter (& idem est de albedine respectu subjecti, in quo ponitur modo extenso;) falsum verò, ut contendimus, & rationem in contrarium petimus, attendendo ad potentiam obedientialem; quia alioqui potentia obedientialis, non se extenderet ad plura, quàm naturalis; vel si ad plura se extendat, dic cur ad illa subjecta non se extendat.

Dicere autem, quòd alia subjecta sint de essentiâ istarum creaturarum, sicut materia est de essentiâ concreti hominis; nihil ad rem: quia de homine, sicut de cæteris, & è contra, Philosophandum, casu quo v.g. forma lapidis secundùm potentiam obedientialem recipiat formam hominis, forma lapidis denominabitur animata animâ rationali, sicut lapis recipiens sapientiam denominaretur sapiens: non tamen forma lapidis erit homo; quia denominationes totius essentialis sunt à singulis partibus collectivè sumptis, cum sint totius, & non subjecti tantùm, quæ secundùm omnes sunt determinatæ, materia scilicet, forma & unio, & denominationes concretorum accidentalium à solis formis: denominantia verò sola debent esse certa & determinata; nam, sicut à sola sapientia fit sapiens, quia forma denominans; ita à sola materia, anima rationali, & unione fit homo, quia partes denominantes hominem; & hinc patet cur homo (& sic de aliis compositis essentialibus) dicat omnes partes certas & determinatas, etiam secundùm potentiam obedientialem; non verò concreta ex subjecto & formâ denominante, certa & determinata subjecta.

LXXIII. Instabis ex P. Compt. Phys. Disp. 27. sect. 6ª. si denominationes concretorum accidentalium sint à solis formis, sic, ut formæ eorum in quocumq; subjecto sint; illud denominent naturaliter, si naturaliter in eo sint supernaturaliter, si supernaturaliter, sequitur brutum, lapidem, imò & albedinem à personalitate divinâ personam divinam & Filium Dei, à gratiâ sanctificante gratum Deo, amicum & Filium Dei adoptativum supernaturaliter dici posse: quod est perabsurdum, ergo, &c.

LXXIV. Respondeo ad instantiam istam primo intuitu difficillimam, & quæ multos fefellit: distinguendo sequelam; sequitur brutum, lapidem, imò & albedinem à personalitate divinâ personam divinam & Filium Dei, à gratiâ sanctificante gratum Deo amicum & Filium Dei adoptativum supernaturaliter dici posse, si denominationes illæ supernaturales sint à sola formâ, concedo assumptum; neque in eo puto esse ullum absurdum; quia tunc æquivalenter erunt esse informatum personalitate divinâ, esse informatum gratiâ sanctificante, &c. quòd æquivalet esse recipiens personalitatem divinam: esse recipiens gratiam sanctificantem, &c. quas denominationes sine absurdo admittit P. Comptonus, ibidem aiens, *licèt brutum elevari possit ad efficiendum & recipiendum actum intellectus aut voluntatis, &c.* & alii supra citati similiter; si denominationes illæ supernaturales sumantur ut mixtæ ex partiali denominatione subjecti & partiali formæ, quomodo ab omnibus Theologis sumuntur; quia omnes dicunt personam esse naturam rationalem informatam subsistentiâ, ubi subsistentia à natura rationali accipit quòd sit personalitas; & idem est de esse filium adoptativum, quia ille est natura rationalis informata gratiâ sanctificante, ubi gratia sanctificans à natura rationali accipit, quòd sit filiatio adoptativa: idem dic consequenter de amico; concedo assumptum; sed nego denominationes illas esse adæquatè à forma, licèt ab ea adæquatè, sit informare illa subjecta, quod solum, & præcisè, ex nostra resolutione sequitur: aliud enim est quodlibet recipere & denominari à quolibet, & simplices denominationes esse à simplici forma, ut contendimus; aliud denominationes mixtas esse à qualibet simplici forma; quod ex nostra resolutione malè infertur, imò non habentur denominationes illæ, nisi à forma mixta: unde in his & similibus, semper attendere debes, quam velint Theologi esse denominationem supernaturalem mixtam, quam simplicem; & simplex in quolibet subjecto, per quamlibet formam admitti debet, mixta, neutiquam. Sed pro complemento,

LXXV. Petes quænam denominationes supernaturales sint mixtæ, & quæ simplices, sive quænam sint à forma præcisè, & quæ à forma & subjecto simul.

LXXVI. Respondeo 1°. esse difficile quidem in eo certam regulam statuere; sed similis difficultas omnino adversarios nostros urget v.g. quænam proportio requiratur ut forma effectum suum formalem & denominationem tribuat subjecto: ad id Respondet P. Comptonus loco citato, requiri, ut forma petat tale subjectum: sed ni fallor, id est omnes formas supernaturales facere naturales; quod

malè

malè audit; quia illa forma est naturalis, quæ à suo subjecto exigitur & exigit esse in subjecto isto; omnes autem formæ supernaturales, quæ habent proportionem requisitam ad hoc, ut suum effectum formalem & denominationem tribuant subjecto, exigunt tale subjectum; & exigere tale subjectum, & exigi à tali subjecto realiter unum sunt, sicut actio & passio; nec tamen apparet quid solidius respondere possit: quare ad quæstionem nostram aliter

LXXVII. Respondeo 2°. denominationes illas supernaturales esse essentialiter mixtas, quibus naturales correspondentes, in naturalibus mixtæ censentur, & quibus minùs proportionata naturalis à Philosophis & Theologis non agnoscitur: simplex autè essentialiter, quibus minùs proportionata naturalis à Philosophis agnoscitur: Ratio est, quia ista ad cõmunè loquendi modũ & authoritatem spectant; nec est ratio negandi denominationem aliquam supernaturalem simplicem, si simplex naturalis minùs proportionata agnoscatur; quia perfectio, quæ imperfectiori, & naturali tribuitur, à fortiori supernaturali tribui potest, ut supra ostensum est: è contra autem non est ratio, dum communis reluctatur Theologorum & Philosophorum authoritas, dicendi denominationem aliquam supernaturalem esse simplicem, si naturalis simplex minùs proportionata non agnoscatur. Hinc autem

LXXVIII. Sequitur 1°. lapidem à gratia rectè dici supernaturaliter gratum Deo; à visione supernaturaliter videntem Deum; quia lapis ob qualitates corporeas naturales rectè dicitur gratus homini, & amatus ab homine: si sic, à fortiori ob gratiam supernaturalem in eo intrinsecè receptam, quod fieri posse admittunt omnes Authores supra citati, dici potest gratus homini, amatus ab homine, &c. & idem est de Deo: deinde, quod ad esse videntem Deum attinet, sicut materia prima lapidis, rectè, post mutationem, dicitur animata animâ spirituali ob animam rationalem, quam intrinsecè recipit; ita à fortiori lapis ob visionem supernaturalem in eo intrinsecè receptam, quod fieri posse etiam admittunt, dici potest videns supernaturaliter Deum. Et hinc loquere proportionaliter de aliis imperfectioribus denominationibus; quia, dum vis imperfectionis esse, denominare subjectum improportionatum, imperfectio ista imperfectioribus tribui potest, si perfectiori tribuatur: unde si illæ denominationes in naturalibus sunt essentialiter simplices, ut omnes fatentur, igitur & in supernaturalibus hæ à fortiori erũt simplices, sensu n. 74. dato.

LXXIX. Sequitur 2°. lapidem à gratia, aut charitate, in se intrinsecè recepta; à personalitate vel potiùs subsistentia, quam terminaret, non rectè dici amicum Deo, Filium Dei adoptativum, &c. quia lapis ob nullas qualitates naturaliter dicitur amicus homini, filius adoptativus hominis, &c. eò quòd in rigore ly *amicus*, *filius*, &c. in naturalibus, juxta communem consensum Philosophorum & Theologorum, personas supponat; persona autem, juxta eundem consensum, est natura rationalis subsistens; unde hæ denominationes in naturalibus sunt essentialiter mixtæ, igitur & in supernaturalibus.

LXXX. Objicies 2°. *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*, ergo forma debet esse proportionata subjecto in quo recipitur.

LXXXI. Respondeo illud Axioma non posse contra nos urgeri: quia alioqui, neque materiale in partiali subjecto spirituali, neque spirituale in materiali, ut anima rationalis in corpore; neque accidens in substantia recipi posset; unde hujus Axiomatis est similis sensus, sensui hujus Axiomatis, *modus operandi sequitur modum essendi* (de quo præcedente Dubio) videlicet, *quidquid recipitur ad modum*, id est, ad existentiam *recipientis*, saltem concomitanter positam, *recipitur*.

Resolutio III.

LXXXII. Dico 3°. in quâlibet causâ efficiente datur potentia activa obedientialis ad producendum quemlibet effectum, non alligatum essentialiter determinatæ causæ efficienti: ita cum D. Thom. Suarez tom. in 3. p. ad q. 13. Dis. 31. sect. 5. tom. 3°. in 3. p. Disp. 9. sect. 1. Metap. Disp. 43. sect. 4ª. Molina. Valentia. Rup. Præpos. Hurtad. in Phys. è Societate. ex aliis autem Cajet. Sotus, Paludanus, Capreolus, Hervæus, Ferrar. &c. contra alios Thomistas, & Scotistas, communius, Vasquez & plures alios è Societate, ut Ragusam, Alarcon, &c.

LXXXIII. Probatur 1°. quia majus obstaculum, quod adferri potest, est, quòd effectus spiritualis à causa efficiente materiali, & effectus materialis à causa efficiente spirituali produci non possit: sed contrarium est verum, ergo, &c. Probatur minor, phantasma materiale simul cum anima intellectionem spiritualem, & anima spiritualis simul cum sensibus sensationes materiales, naturaliter & secundùm potentiam naturalem producunt, ergo à fortiori supernaturaliter & secundùm potentiam obedientialem, etiam se solis, alios effectus materiales & spirituales non vitales producere possunt.

LXXXIV. Probatur 2°. in intellectu datur potentia activa obedientialis ad producendam visionem beatificam; in Sacramentis novæ legis, quæ sunt materialia, ad producendam gratiam sanctificantem, quæ est spiritualis; ergo à fortiori ad producendos alios effectus ignobiliores.

LXXXV. Confirmatur 1° Conclusio, potentiæ cujuslibet activæ duplex est capacitas; una naturalis; supernaturalis alia; naturalis solâ experientiâ dignoscitur, ut omnes fatentur; supernaturalis autem ex non repugnantia ad illos vel illos effectus colligi debet: sed non repugnat dari in qualibet causa efficiente potentiam activam obedientialem ad producendum quemlibet effectum: ergo, &c. Probatur major pro secundâ parte; quia certum est apud omnes majorem esse capacitatem supernaturalem activam, quàm naturalem; & cum illa per experientiam cognosci non possit; non est unde melius cognoscatur, quàm ex non repugnantia extensionis, &c. quæ cum sit in possessione, sive cum constet esse in rebus, ad omnes extendi debet, in quibus positivo argumento non ostenditur extensio repugnare; ac proinde ad omnes non alligatas, &c. in quarum nullis positivo argumento ostenditur extensio repugnare, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 2°. in quolibet subjecto datur potentia passiva obedientialis ad recipiendam quamlibet formam non alligatam essentialiter determinato subjecto, ergo & in qualibet causa efficiente datur potentia activa obedientialis ad producendum quemlibet effectum non alligatum essentialiter determinatæ causæ efficienti.

Objicies

LXXXVII. Objicies 1°, non datur potentia obedientialis activa, nisi ad illos effectus, ad quos causa efficiens habet aliquam inchoatam proportionem; sed in qualibet causa efficiente non est inchoata proportio ad quemlibet effectum, ergo, &c. Probatur minor; quia ideo intellectus assumi potest secundùm potentiam obedientialem ad videndum Deum, & non lapis; quia habet proportionem inchoatâ ad videndum Deum, & non lapis; ergo, &c.

LXXXVIII. Resp. 1° negando minorem; nam dicimus potentiam obedientialem inadæquatè & secundùm quod dicit in recto identificari cuilibet causæ efficienti; ac proinde quamlibet causam efficientem habere aliquam inchoatam proportionem ad quemlibet effectum. Ad probationem minoris, Resp. tam lapidem, quàm intellectum habere proportionē inchoatā ad videndum Deum; ac proinde tam posse secundùm potentiā obedientialē assumi ad videndum Deum, quàm intellectū; vel assignetur ratio quarè intellectus habeat proportionem inchoatam ad videndum Deum, & non lapis: assignari enim non potest 1°, quòd intellectus sit potentia vitaliter operativa, & lapis talis non sit, nec talem habeat; quia gustus, auditus, tactus, &c. sunt potentiæ vitaliter operativæ, & secundùm adversarios non habent proportionem inchoatam ad videndum Deum: assignari non potest 2°, quòd intellectus sit potentia visiva intellectualiter, & lapis talis non sit, nec talē habeat; quia inprimis intellectus secundùm potentiam naturalem fortè non est potentia visiva intellectualiter, nisi mediis sensibus, qui secundùm adversarios non habent proportionem inchoatam ad videndum Deum; deinde intellectus solùm est potentia visiva intellectualiter secundùm potentiam naturalem, solùm per visionem intellectivam naturalem, &c. visio verò intellectiva supernaturalis in substantia, utpote ens unū & objectivè indivisibile supernaturale, nihil habet intrinsecum commune (ut probatum est Disput. 2ª. Log. Tract. 1°. Dub. 5°.) cū visione intellectivâ naturali in substantiâ; unde intellectus spectatus secundùm potentiam naturalem, tam est ad illam improportionatus, quàm lapis: deniq; licèt intellectus sit potentia visiva intellectualiter secundùm potentiā naturalē; hæc tamen non magis requiritur ad producendam visionem beatificam secundùm potentiam obedientialem, quàm requiratur potentia visus generativa secundùm potentiam naturalem ad restituendum visum cæco nato, quem Christus in probabiliori sententia restituit per lutum.

LXXXIX. Adde revera non esse minorem inchoatam proportionem in lapide ad visionem beatificam, quàm sit in aqua ad gratiam sanctificantem producendam; sed in aqua est sufficiens proportio, ut ipsa secundùm potentiam obedientialem producat efficienter Physicè gratiam sanctificantem, in probabiliori sententia; ergo & in lapide, ut producat visionem beatificam. Ex his

XC. Colliges 1° supernaturaliter lapidem posse assumi ad vitam & beatitudinem, non secùs ac homo potest, licèt hoc inter utrumq; semper intersit discriminis, quòd homo habeat esse naturale vivens sensitivum rationale, ac proinde secundùm naturā omnino nobilius, quàm lapis; nam sicut omnino fit, ut duo secundùm gratiam inæqualiter elevantur, & quòd ignobilius magis elevetur à Deo, quàm nobilius, ut aqua baptismalis ad producendam gratiam, præ brutis; ita fieri potest, ut lapis secundùm gratiam & potentiam obedientialem à Deo supra hominem elevetur; vitam supernaturalem habeat, ubi homo naturalem tantùm; gratiam sanctificantem aut visionem beatificam recipiat, &c. ubi homo illis caret. Quòd verò Deus elegerit hominem secundùm potentiam obedientialem suam ad gloriā, & non lapidem, beneficium est gratiæ, & non naturæ, prout omnes tenentur respondere ad id quòd absque prævisis meritis unum hominem prædestinārit ad gloriam, alterum non: sicut enim potest Deus sinè ullo absurdo hominem non creare & creare creaturam inanimatam, licèt ignobiliorem; ita & sine absurdō potest hominem secundùm potentiam obedientialem ad vitam supernaturalem & gloriam non assumere, & lapidem creaturam inanimatam, licèt ignobiliorem, secundùm potentiam obedientialem ad vitam supernaturalem & gloriam recipiendam assumere.

XCI. Colliges 1° contra Theologos communius, oculum corporeum posse secundùm potentiam obedientialem à Deo assumi ad videndum Deum; de quo nos in Theologia ex professo.

XCII. Instabis ex P. Vasquez 1ª. p. Disp. 176ª. c. 4°. si quælibet causa efficiens haberet aliquam inchoatam proportionem & virtutem inadæquatam ad quemlibet effectum, posset illi conjungi causa alia secunda naturalis v. g. ignis aquæ, ex cujus conjunctione naturaliter posset aqua in se producere calorem; imò & formam ignis, & sic de aliis effectibus in substantia naturalibus; sed hoc est absurdum, ergo, &c. major patet, quia ignis absque conjunctione cum aqua potest calorē, aut formā ignis, in aqua producere, igitur & simul cum virtute, quam habet aqua ad similem productionem: probatur minor, quia aqua (& sic de aliis) haberet virtutem innatam sui destructivam, ergo, &c.

XCIII. Resp. distinguendo majorem, (quam P. Oviedus Physicæ contr. 9ª. puncto 7°, dicit magni momenti sibi visam, utpote à tanto magistro excogitam:) si quælibet causa, &c. posset illi conjungi causa alia secundùm potentiam naturalem, ita ut cū illa faceret potentiam obedientialem, nego majorē; quia potentia obedientialis non est entitas rei, sive rei innata virtus conjuncta cum qualibet causa, sed conjuncta cum sola concausa naturaliter, & citra concursum Dei indebitum, illi non conjungibili; quia concausæ naturaliter conjungibiles, nō faciunt potentiam obedientialem & supernaturalem, ut omnes fateri tenentur, sed naturalem tantùm: ita ut cum illa faceret potentiam naturalem tantùm, quia illa esset ipsi conjungibilis naturaliter, concedo majorem: ad minorē, quæ cum suâ probatione est juxta mentem P. Poncii, nego id esse absurdum; ad ejus probationem verò Resp. non esse absurdius aquam habere inchoatam virtutem innatam sui destructivam, quàm hominem habere completam, uti reverà habet, cum possit variis modis se corrumpere & destruere: deinde, numquid calor naturalis eā-dem virtutem habet, cum agendo in alimentū fortius destruitur? denique, numquid quodlibet ens habet virtutem corruptibilitatis completam passivam? igitur & inchoatam activam habere potest.

XCIV. Adde eādam ratione, quā admittunt Vasquez, Oviedus, Ponciùs, &c. inchoatam & innatam virtutem in intellectu ad visionem beatificam, & in voluntate ad amorem in substantia supernaturalem; debere admitti consequenter inchoatam & innatam virtutem in aqua, imò & in frigore, ad

Producendum calorem & ignem; quia eadem est improportio intellectus ad istam visionem, voluntatis ad istum amorem, &c. quæ aquæ & frigoris ad calorem: nam naturale, quale sunt intellectus & voluntas; & supernaturale indivisibiliter objectivè, quale sunt visio beata, amor, &c. nō minùs inter se in ratione principii & effectus improportionantur secundùm potentiā naturalem, quàm aqua & ignis, aut calor & frigus, imò magìs improportionantur; quia hæc possunt in gradu remisso esse ab eadem causa passiva naturali; non autem visio beata, amor, &c. deinde quæ major est intrinseca proportio caloris cum forma substantiali ignis, quàm formæ aquæ aut frigoris cum eadem forma? sicut enim forma ignis se totā distinguitur à frigore, ita & à calore; in calore tamen respectu formæ ignis ferè omnes cognoscunt inchoatam & innatam virtutem, quidni igitur consequenter & in frigore respectu formæ ignis? licèt minor sit, eò quòd per sibi simile passum ad formam ignis non disponat, uti calor, propter quod calori tamquam instrumento attribuitur productio formæ ignis, non verò aliis accidentibus. Ex his corruunt duæ primæ probationes P. Poncii. Et

XCV. Patet ad fundamentum, quo unico P. Oviedus contra nos suam conclusionem probat; videlicèt, nullum esse fundamentum ad concedendum aquæ virtutem inchoatam & innatam ad producendū Angelū: quæro enim an sit major in aqua ad gratiam sanctificantem; in luto ad producendum visum in cæco nato; in intellectu ad visionē beatificā; in semine ad animā nostram, quod Fromondus de An. l. 4. c. 3. a. 1°. Ad probationem verò, quā id probat post Vasquez, videlicèt, quòd in effectibus ita producendis nullum sit prædicatum, ratione cujus exigant contineri in virtute obedientiali cujuslibet creaturæ, sicut est in actu supernaturali vitali vitalitas, ob quam exigit produci à vita in actu primo. Peto mihi assignari prædicatum in visu correspondens luto; in gratia correspondens aquæ; in semine correspondens animæ nostræ; imò & in visione beatifica correspondens intellectui; quod enim dicit in visione beatifica & similibus actibus supernaturalibus esse vitalitatem, ob quam correspondeant intellectui, & exigant produci à vita in actu primo; verum est, si intellectus & vita in actu primo considerentur secundùm potentiam obedientialem; falsum si considerentur secundùm potentiam naturalem; quia intellectus & vita in actu 1° utpote entia intrinsecè indivisibiliter naturalia, nihil habent intrinsecū simile entibus indivisibiliter supernaturalibus; unde actus vitalis in substantia supernaturalis non exigit produci nisi à causa efficiente secundùm potentiā obedientialē vitaliter operāte, à vita in actu primo potentiæ obedientialis, &c. qualia sunt omnia entia conjuncta cum qualitate intrinseca indebita ad id ipsa elevante, aut cum auxilio Dei extraordinario & indebito; quomodo quodlibet ens non solùm eis secundùm unum prædicatum, aut formalitatē unam, sed secundùm se totum, terminativè & efficienter respondet.

XCVI. Objicies 2°, ex P. Poncio post alios, non repugnat quòd Deus creet aliquam creaturam, quæ sit ita limitatæ virtutis, ut non possit omnes effectus producere; & id videtur cedere in majorem perfectionem Dei; ergo, &c.

XCVII. Difficilis objectio (inquit Arriaga,) in qua contra nostram sententiam forma nostri argumenti retorquetur; sicuti enim ego argumentor: *Possunt omnia entia elevari; quia ex eo quòd eleventur non sequuntur duo contradictoria*; sic retorquetur argumentum: *Non sequuntur duo contradictoria, ex eo quòd producatur una creatura, cui hoc repugnet*: Respondeo tamen (inquit) hic esse duas quasi contrarias partes, quarum una dicit, *Non sequuntur duo contradictoria, ex eo quòd non possit Deus elevare*: altera dicit, *Non sequuntur duo contradictoria ex eo quòd Deus possit*, &c. in hac enim (subdit) controversia, quamdiu nobis non constiterit de repugnantia, tenemur inclinare ad partē, quæ auget omnipotentiā Dei, & dicere, si neque in eo, quòd non possit, video duo cōtradictoria, neq; etiā video in eo quòd possit, dico Deum posse, quia hoc est magìs dilatare omnipotētiam Dei. Ita ille Physic. Disp. 11ª. Sect. 4ª. Sed

XCVIII. Contra, Arriaga hic supponit falsum, videlicet augeri omnipotentiam, ex eo quòd non repugnet omnia elevari; minui verò ex eo quòd repugnet omnia elevari, sic ut aliqua tantùm possint, aliqua non possint; quod est apertè falsum, 1°, quia hôc casu omnipotentia Dei habet idem objectum, quod illō, scilicet omne possibile elevari. 2°, quia juxta secundum casum omnipotentia Dei extendi poterit ad creaturas secundùm potentiam obedientialem elevabiles, & non, ad non elevabiles, juxta 2^um^ non nisi ad elevabiles, quæ non sunt plures, nec diversi generis, sicut illæ: 3°, prius judicandum de possibilitate & non repugnantia, impossibilitate & repugnantia objecti, &c. quàm de augmento & diminutione omnipotentiæ Dei; nam illa extendi non potest ad impossibilia & repugnantia: & non extendi ad possibilia, & non repugnantia, admittit igitur non repugnare aliquam creaturam non elevabilem, &c. si dicat omnem esse elevabilem, ergo non auget omnipotentiam, sed minuit, quia de objecto omnipotentiæ illam creaturam non elevabilem, tollit. Quare aliter

XCIX. Respondeo negando antecedens, intellectum de effectibus non alligatis essentialiter determinatæ causæ, pro prima parte; ratio autem repugnantiæ sumitur ex eo, quòd illi effectus essent ens non alligatum essentialiter determinatæ tantùm causæ, & non essent; possent produci secundùm potentiam obedientialem à qualibet causa, &c. & non possent: essent quidem ens non alligatum, &c. ut supponitur, & non essent ens non alligatum, &c. quia non possent secundùm potentiam obedientialem produci à qualibet causa, &c. quod tamen omninò pro ea parte qua potentia obedientialis est intrinseca rei, est innatum cuilibet enti nō alligato essentialiter determinatæ causæ, ut constat ex omnis generis entibus, quæ cognoscimus; potest enim substantia elevari ad producendum accidens & è contra; corpus ad producendum spiritum & è contra: naturale ad producendum supernaturale in substantia & è contra, & sic de aliis; vel dent nobis rationem, cur ad hæc extendatur potentia obedientialis, non autem ad alia plerumque magìs proportionata: ex illis autem manifestè deducimus quodlibet ens non alligatum essentialiter determinatæ causæ posse secundùm potentiam obedientialem, produci à qualibet causa; si enim ab istis, quidni ab aliis.

C. Adde ex dictis supra Dub. 3°. quādiu dubium est an res aliqua sit possibilis an impossibilis, dici debere esse possibilē, si post debitū & prudens examen rationes oppositæ solvi possint (quod hic fit.)

DVBIVM

DVBIVM V.

Quid Conservatio, & à quo Substantia & accidentia conserventur.

Resolutio I.

CI. Dico 1°, conservatio est *continuata rei productio*, sive *permanentia rei in esse*: unde qui rem in esse continuat, rem conservare dicitur: sed cum res in esse dupliciter continuari possit: 1°, directè per veram continuatam productionem: 2°, indirectè per remotionem impedimentorum ad continuandam veram productionem; fit ut conservatio assignetur duplex, directa scilicet & indirecta: indirectè conservat, qui removet dicta impedimenta & causas corruptionis, ut qui ventum impedit, indirectè lumen candelæ conservare dicitur; directè verò conservat, qui per veram actionem rem in esse continuat, sic ignis suum calorem, anima suos actus directè conservare dicitur.

Resolutio II.

CII. Dico 2°, tam substantiæ, ut animalia, plantæ, &c. quàm accidentia, ut qualitates, ubicationes, &c. toto tempore quo durant directè & substantificè conservantur ab illis omnibus causis, à quibus primò productæ sunt.

CIII. Probatur 1°, tam substantiæ, quàm accidentia, toto tempore quo durant, directè & substantificè conservantur per suam conservationem; sed conservatio non distinguitur realiter à prima rei productione, ergo, &c. major patet: Probatur minor; quia est realiter idem effectus conservatus & primo productus, ergo & realiter eadem actio conservativa, & primò productiva; ac proinde conservatio non distinguitur realiter à prima rei productione: antecedens hoc patet: Probatur consequentia; quia actio, tam est permanens, quàm effectus, nec est major necessitas multiplicandi actiones, quàm effectus; ergo, &c.

CIV. Nec dicas esse majorem necessitatem multiplicandi actiones, quàm effectus; quia effectus remanent pereuntibus causis primò producentibus, eò quòd illis, uti actiones, non alligentur essentialiter, nec se habeant ad illas, ut modi ad modificata: ne id dicas (inquam,) quia actiones, ita quidem alligantur essentialiter causis primò producentibus, ut ab aliis esse non possint, quia sunt illarum ultima & actualis determinatio ad agendum; non ita tamen illis alligantur essentialiter, quin sinè illis, toto tempore quo durant existentibus, in esse permanere possint uti effectus: quòd verò ad illas se habeant ut modi ad modificata (puta extrinseca) nihil refert; quia modus potest existere sinè modificato extrinseco; ac proinde actio sine causa primò producente; pro quo vide supra Disp. 30. Dubium primum.

CV. Nec instes, hinc fore ut principium *quo* non existens, sit producens; sed hoc est absurdum, ergo, &c. probabis minorem; quia absurdum est effectum non existentem esse productum, ergo & principium *quo* non existens esse producens.

CVI. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; est enim disparitas, quòd productio sit ultima & actualis determinatio ad existentiam effectus, pro toto tempore, quo est; alioqui ad esse conservationem effectus quoad existentiam, deberet per aliud determinari, quod esset ultima & actualis determinatio ad existentiam effectus pro toto tempore quo est, vel non? si sic, quidni idem dicitur de productione; si non, ergo ad esse ulteriorem effectus quoad existentiam conservationem, deberet per aliud determinari, de quo idem quærerem, & sic in infinitum: non est verò ultima & actualis determinatio ad existentiam causæ, sed illam priorem natura supponit, potestque conservari sine illa; quia supposito, quòd jam sit determinata ad existere per primum esse, à causa existente acceptum, est consequenter determinata ad conservari, quamdiu durat effectus ad quem terminatur, utpotè hujus & suiipsius permanens conservatio: cur enim potiùs debeat effectus conservatio esse successiva, quàm ipse effectus, & non permanens? non apparet.

CVII. Nec urgeas, unio non potest existere sinè duobus extremis, ergo nec actio sinè causa & effectu.

CVIII. Respondeo negando consequentiam; est etiam disparitas, 1° quòd unio sit intrinseca utrique extremo, saltem tamquam termino intrinseco; non ita verò actio (puta transiens) suæ causæ. 2° quòd unio sit duorum extremorum existentium ultima determinatio ad uniri, alioqui ad hoc ut duo extrema existentia uniret, deberet per aliud determinari, ex quo sequeretur processus in infinitum, ut manifestum est. Dixi duorum, cur enim unius, potius quàm alterius? revera si unio sinè alterutro extremorum existere posset, posset sinè utroque, quod nullus admiserit.

CIX. Confirmatur, 1° Resolutio, alioqui ubi causa, etiam partialis, primò producens, aut alia similis virtutis, est absens, aut desiit, continuò ad Deum recurrendum est pro conservatione effectus; sed nulla est istius recursus necessitas, & Physicum non est ad Deum sinè necessitate recurrere, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte, quia tota necessitas, quæ adferri potest, consistit in argumentis jam solutis.

CX. Confirmatur 2°, sint contigua duo calida ut quatuor: vel se mutuò eodem indivisibili instanti conservabunt quoad tres gradus, prout habent virtutem producendi tres gradus, & illos primò producerent, si non essent primò producti, imò non est ratio cur unum conservet aliud, & non aliud ipsum: vel (ut vult P. Oviedus Physicæ Disp. 12ª. puncto 4o) debebit Deus alterum ad id determinare: vel utrumque conservare solus: sed hæc duo postrema, utpote in naturalibus currentia ad Deum sine necessitate, non sunt Physica; & primum admittit naturaliter mutuam causalitatem effectus & causæ efficientis in eodem indivisibili instanti, contra omnes, ergo, &c. Ex his

CXI. Colliges productionem & conservationem entitativè non differre, sed solo connotato; eò quòd prima productio respiciat primum esse, conservatio illud præsupponat, & secundum respiciat; non ideo tamen conservatio est reproductio; quia, hæc ex communi acceptione præsupponit 1um esse destructum; nisi supponatur alibi, per miraculũ aut eo concomitante remanere, ut in corpore Christi contingit; conservatio primũ esse permanens. His

CXII. Adde tamẽ Deũ res omnes immediate conservare ut causam universalẽ, sicut eas immediatè 1° producit; imò licet omnes causæ res omnes 1° producentes, res omnes non conservarent immediatè, adhuc Deum debere illas immediatè conser-

vare; quia præterquam quòd alioqui eas verè & propriè non conservaret, perfectissimum dominium, quod habet in creaturas, exigit, ut eas omnes immediatè possit destruere, quando vult, sicut eas immediatè producit; quod alioqui non posset; quia immediata destructio intelligi non potest aliter fieri, quàm per substractionem & negationem immediatam productionis, sive concursus; nam concursus, sive productio cujuslibet rei, etiam contrariæ, non habet non esse rei, pro termino immediato; sed esse, ut patet; ad quod nunquam sequitur non esse, sive destructio rei, nisi per immediatam substractionem & negationem productionis rei, sive concursus ad illam, ut dictum est.

DISPVTATIO NONA.

De Fortuna, Casu, Fato & Monstro.

DVBIVM VNICVM.

Quid sint.

Resolutio I.

I. Dico 1°, Fortuna est *effectus causæ agentis ex electione, per accidens, & omnino contingenter eveniens*, ut lucrum respectu ludentis, inventio thesauri respectu fodientis.

II. Adde hominem solùm absolutè dici fortunatum, propter effectum dictum alicujus momenti, & bonum: loco *contingenter* ponunt alii rarò, sed sic non apparet, quomodo aliquis dici possit fortunatus in lucrando ex lusu, quia ludendo lucrari, non ratò contingit; &, qui frequentius lucrantur magis fortunati dicuntur.

Resolutio II.

III. Dico 2°, Casus, ut opponitur fortunæ, est *effectus causæ non agentis ex electione, per accidens, & omnino contingenter eveniens:* ut læsio capitis ex casu tegulæ.

IV. Adde respectu Dei nihil esse fortuitum aut casuale, quia omnia, priusquam eveniant, determinatè cognoscit.

Resolutio III.

V. Dico 3°, Fatum à Catholicis rectè definitur, *ordo seu series causarum secundarum inevitabiliter & infallibiliter fortiturarum effectum, prout subsunt Divinæ providentiæ:* ab Ethnicis verò, *Ordo causarum secundarum inevitabiliter & infallibiliter fortiturarum effectum, vi suâ & independenter à dispositione Divina:* hoc acriter reprehendunt Sancti Patres, ob quam rationem, neque inter indoctos & simplices nominis fati (etiam Catholicorum sensu) usus esse debet; ut vel ex Augustino lib. 5°. de Civitate Dei cap. 1°. patet, *si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem sui nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.*

Resolutio IV.

VI. Dico 4°, Monstrum est *Individuum animatum à solita dispositione secundùm speciem degenerans*, ut homo habens duo capita, unum tantùm pedem, &c.

VII. Adde, monstri causas frequenter esse, 1°, vehementem aliquam matris imaginationem: 2° defectum, vel nimiam materiæ abundantiam: 3° secundinæ, quæ est pellicula in qua continetur fœtus, indispositionem, &c.



TRACTA-

TRACTATVS III.

In Cæteros Libros

PHYSICORVM;

Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, Septimum & Octavum.

1. LIbro 3° agit Aristoteles de motu in genere & infinito ; 4° de loco, vacuo & tempore ; 5° de motu in specie : 6° de Continuo, eò quòd motus sit ex continuis : 7° de nonnullis ad agendum prærequisitis & motu projectorum : 8° iterum de motu, mundi æternitate, primo motore, &c. hos verò ne toties motum interrumpamus, ad majorem claritatem, & confusionem tollendam, disputabimus; 1° de infinito : 2° de continuo, moti utriusque materiæ difficultatum affinitate : 3° de loco & vacuo : 4° de motu & tempore. De conditionibus verò ad agendum prærequisitis aliquid lib. 2° diximus, & plura in libris de generatione dicemus. De cæteris denique, partim in libris de Cœlo, partim in Metaphysica. Itaque sit

DISPVTATIO PRIMA

De Infinito.

DVBIVM I.

Quid sit & quomodo dividatur.

11. DE infinito in infinitum disputant Philosophi, & quò plus naturam infiniti movent, eò minùs eam percipiunt, quia quidquid intellectus concipit, utpote finitus, finito modo concipit: unde illud explicabimus ad instar incomprehensibilium, dicendo potius quid non sit, quàm quid sit. Pro quo, sit

RESOLUTIO I.

111. DIco 1°, infinitum propriè (quidquid sit de impropriè dicto, quomodo *longum tempus* dicitur æternum, *Dominus regnabit in æternum & ultra* Exodi 15°. *ingens* dicitur immensum, *Vt immensum pelagus:* quod est magno numero existens dicitur infinitum, *Sanctorum infinitus numerus* Eccles. 1°.) est *quod non habet finem*, sive, *quod caret fine:* unde liquet opponi finito; quia finitum est, *quod habet finem:* definitiones autem infiniti ab Aristotele allatæ cum illa coincidunt; sed advertere debes, ly *non, quod non habet finem,* in definitione infiniti positum, non esse sumendum negativè, id est, præcisè pro ipsa negatione finis in quacumque re existente, alioqui punctum & quodlibet indivisibile Mathematicum dici deberet infinitum ; sed positivè pro re in qua sit negatio finis, ob tantam partium intensionem vel extensionem, ut nullus sit earum finis.

RESOLUTIO II.

IV. DIco 2°, ordinariè dividitur infinitum in Cathegorematicum & Syncathegorematicum:

ticum: Cathegorematicum est, *Quod in partibus actu non habet finem*; unde communiter dicitur infinitum actu: Syncathegorematicum est, *Quod quidem in partibus actu habet finem, sed in partibus in potentia non habet finem*; unde communiter dicitur infinitum potentiâ, & exempli gratiâ, quia numero hominum existentium addi possunt plures & plures in infinitum, numerus hominum existentium dicitur infinitus potentiâ.

v. Adde infinitum Cathegorematicum communiter assignari quadruplex: primum in essentia, & est infinitum simpliciter, sive illud *quod est infinitum in omni genere entis & perfectionis*: secundum in intensione, & est *quod quidem in essentia finitum est, continet tamen gradus entis intensi uni certo æquales infinitos*: tertium in extensione, & est *quod secundùm suas partes in infinitum protenditur*, vel secundùm longitudinem tantùm, ut *linea*, vel secundùm longitudinem & latitudinem, ut *superficies*, vel secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem, ut *corpus*: quartum in multitudine, *ut numerus* infinitus: tria autem hæc ultima sunt tantùm infinita in certo genere & secundùm quid, ut patet.

DVBIVM II.

An dari possit Infinitum Cathegorematicum sive actu.

vi. NEgant è Realibus Thomistæ communiter, Soto, Toletus, Ioannes à S. Thoma, nostri Complutenses, Aversa, Connimbricenses, &c. affirmant verò Nominales post Gregorium Ariminensem, Okam & Alensem: item Commentarii Parisienses, Vasquez, Hurtadus, Arriaga, Comptonus, & fusissimè Fasolus; cum quibus, sit

Resolutio I.

vii. DIco 1°, Divinâ saltem virtute, dari potest infinitum actu, etiam in entibus completis. Ita Authores supra citati & Bacho noster in 2. Dist. 1ª. q. 6. art. 2°.

viii. Probatur, simpliciter dari potest infinitum potentiâ, sive Syncathegorematicum, ergo & actu, sive Cathegorematicum: Probatur antecedens, quia sunt infiniti homines, & sic de aliis, possibiles; cur enim unus potius, quàm alius eorum numerus assignaretur, cui alius major addi non posset? præsertim cum objectum omnipotentiæ tantum augeri debeat, quantum prudenter potest, & prudenter augeatur, sicuti prudenter possibile dicitur, ubi in ente repugnantia, post debitum examen, non apparet, quæ, ut postea patebit, in tali hominum, & sic de aliis, infinito non apparet: unde in Concilio Constantiensi Sessione 15. damnatur Ioannes Huss-dicens, *Deum ad certum tantum numerum posse animas producere*. Et Sanctus Augustinus lib. 12°. de Civitate cap. 18. *eos quippe* (ait) *infinitos esse certissimum est, quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed quantumlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione, atque scientiâ numerorum, non solùm duplicari, verùm etiam multiplicari*. Ergo & actu, consequentia hæc n. 10. probabitur. Sed ante

ix. Nota contra hanc probationem difficultatem magnâ objici posse: nempe, quòd, sicut genus ex se est ad certum numerum specierum possibilium limitatum; ita species ad certum numerum individuorum possibilium limitata esse debeat. Sed id, non ita nos, qui in Porphyrio negavimus dari differentias per se & secundùm se atomas, uti alios, urget: quia consequenter negandum putamus genus esse ex se ad certum numerum generum possibilium limitatum, magìs quàm sit species ad certum numerum individuorum limitata.

x. Probatur consequentia, quia omne infinitum potentiâ est infinitum actu, si redigatur ad actum, & si omnes ejus partes sumantur collectivè, faciunt infinitum actu: sed per Divinam potentiam ad actum redigi potest, & omnes ejus partes collectivè sumi, ergo, &c.

xi. Probatur hæc minor pro prima parte; quia ex parte omnipotentiæ inprimis non est repugnantia, nisi sit ex parte objecti, ut patet; sed ex parte objecti nulla est, ergo, &c. Probatur minor, quia inter partes infiniti Syncathegorematici, si rerum permanentium, v. g. hominum, vel partium continui permanentis; nulla incompossibilitas; siquidem una non destruit aliam; nam homo hominem, & pars una lineæ alteram compatitur, ut patet, ergo, &c.

xii. Confirmatur, infinitum potentiâ, sive Syncathegorematicum, potest adæquatè simul rediqi ad actum omniscientiæ Dei, ergo & adæquatè simul ad actum omnipotentiæ, cum supponatur esse entium possibilium infinitum: consequentia tenet à pari, & ulterius probatur; vel numerus entium infiniti Syncathegorematici, quæ adæquatè simul rediqi possunt ad actum omnipotentiæ, est finitus & determinatus, vel infinitus & indeterminatus? si infinitus, sequitur intentum: si finitus, vel supra illum per omniscientiam videt Deus aliqua entia possibilia, vel non? si sic, ergo videt Deus aliqua possibilia, quæ non posset per omnipotentiam ponere, in quo est repugnantia in terminis; si non, ergo objectum omniscientiæ Dei non est infinitum, ita ut Deus semper plura & plura videre possit; sed finitum, ita ut plura super finita videre non possit, contra omnes: ergo, &c.

xiii. Probatur minor pro secunda parte; omnes partes infiniti Syncathegorematicè sumpti quoad numerū majorem & majorem in infinitum possunt distributivè sumi, ergo, & collectivè: antecedens admittitur ab omnibus; probatur consequentia; quia, cum eadem sint entia & non plura in collectione, quàm in distributione, tota repugnantia, si quæ sit, sumi debet ex parte modi, videlicet, colligendi; sed ex parte illius modi nulla major repugnantia adferri potest, quàm ex parte modi distribuendi, ergo, &c.

xiv. Confirmatur 1°, negationes hominum possibilium, linearum infinitarum, &c. sunt actu, ut omnes fatentur; & sunt infinitæ, eo modo, quo negatio materiæ dicitur materialis, ergo sunt infinitæ actu: consequentia videtur legitima: major pro secunda parte patet: probatur pro prima; quia alterum contradictoriorum semper, & necessariò, existit; ergo, &c.

xv. Confirmatur 2° Conclusio: nullus effectus debet denegari omnipotentiæ Dei, nisi ostendatur aliqua repugnantia se tenens, vel ex parte potentiæ agentis, vel modi agendi, vel ipsiusmet effectus; sed nulla potest ostendi ex parte alicujus istorum, ergo, &c. major est certa apud omnes orthodoxos, & probatur ex Disputatione præcedenti Dub. 3°. minor probatur solutione objectionum;

num ; consequentia patet.

XVI. Objicies 1° ex Arriaga Physicæ Disp. 13. Sect. 4ª. num. 45°. argumentum, quo probat omnes creaturas possibiles esse finitas tantùm : omnis longitudo finita, aut multitudo, potest successivè percurri, aut numerari, alioqui esset infinita: ergo si incipiamus numerare omnes homines, tandem sciemus omnem multitudinem finitam illorum, ita, ut supra illam, non posset alius homo componens cum præcedentibus numerum finitum, restare numerandus: ergo addito jam præcisè uno (si plures possibiles) supra præcedentes, resultabit multitudo infinita ; quia præcedens erat maxima omnium finitarum, & hæc est major illâ; ergo erit infinita: & non erit infinita ; quia finitum additum finito, non facit infinitum.

XVII. Addit autem præfatus author num. 46°. quid autem sit ei (videlicet argumento) Respondendum; nec mihi occurrit ; nec vidi in aliis; quia hoc argumentum non vidi propositum ; malo autem fateri me non videre solutionem, quàm dare aliquam, quam nec ego, nec ullus alius, intelligat. Verùm

XVIII. Respondeo 1°, retorquendo hoc argumentum in æternitatem à parte post, quam argumentum illud convincit (si quid convincit) percurri posse, & sic esse finitam & infinitam, ac proinde repugnare, ut consideranti patebit, quod est hæreticum: 2°, in homines possibiles & negationes infinitorum hominum existentium, pro quorum Infinito numero eadem difficultas.


XIX. Respondeo 2°, distinguendo antecedens, omnis longitudo finita aut multitudo, secundùm se & ut præcisa ab Infinito quod conflet per modum partis, sive distributivè sumpta separatim à cæteris, potest successivè percurri, aut numerari, concedo antecedens; sumpta in infinitum, & ut conflat infinitum per modum partis, sive collectivè cum cæteris sumpta, nego antecedens: notandum enim est omnem longitudinem & multitudinem finitam, diverso sensu, posse esse finitam & infinitam.

XX. Instabis, omnis longitudo finita, aut multitudo distributivè sumpta percurri potest, ergo & omnis collectivè ; consequentia hæc est bona ; vel non stat nostra probatio minoris ad conclusionem pro secunda parte.

XXI. Respondeo 1°, iterum retorquendo argumentum in æternitatem à parte post, homines possibiles, &c.

XXII. Respondeo 2°, distinguendo antecedens, omnis longitudo finita aut multitudo secundùm se, & ut præcisa ab Infinito, quod conflat per modum partis distributivè sumpta, percurri potest, ergo & omnis collectivè eodem modo sumpta, concedo antecedens: sumpta in infinitum & ut conflat infinitum per modum partis distributivè sumpta percurri potest, ergo & collectivè, ut sic nego antecedens: quia nequidem illo modo distributivè percurri potest, eò quòd ut sic, habeat infinitam longitudinem & multitudinem sibi conjunctam, licèt materialiter & in se sit finita. Revera tam multùm distinguũtur finitum secundùm se seu ut præcisum ab infinito percurri posse, & finitum in infinitum seu ut conflat infinitum percurri non posse; quantum distinguantur, finitum ut finitum percurri posse, & infinitum ut infinitum percurri non posse ; quia finitum ut præcisum ab infinito est finitum, & finitum ut conflat infinitum est infinitum, ut infra probabitur. Quare de hac difficultate paulò latiùs infra.


XXIII. Objicies 2°, ponamus duas lineas esse puncto A. correspondentes, & utramque in infinitum protendi instar Pyramidis, sic ut lineæ costales magìs & magìs inter se distent; tandem distabunt inter se infinitè : tunc Deus pro basi à costa ad costam, lineam trahat, hæc erit infinita, ut supponitur ; & non erit, quia claudetur duobus pũctis, ergo, &c.



XXIV. Respondeo 1°, argumentum illud retorqueri in talem Pyramidem possibilem aut negationes similis Pyramidis existentis, quæ suo modo similem habent negativam protensionem, ut patebit attentè consideranti negativam Pyramidem loco realis.

XXV. Resp. 2°, admisso casu, distinguendo assumptum ; tunc linea à costa ad costam tracta erit infinita, si consideretur quatenus correspondet finitæ parti lineæ costalis secundùm se, sive distributivè & ut præcisæ à linea costali infinita, quam conflat, nego assumptum : & Ratio est, quia ut sic non distat nisi finitè à simili sibi correspondente parte alterius costæ, prout non distat nisi finitè à prima parte finita, quæ puncto A. correspondet: si consideretur quatenus correspondet parti lineæ costalis, sumpta in infinitum, sive collectivè cum cæteris sumpta, & ut lineam costalem infinitam conflat, concedo assumptum; sed sicut ut sic, non est una finita, sed plures, & infinita collectivè; ita linea per modum basis ab una parte unius costæ ut sic sumpta, ad aliam alterius costæ ut sic sumptam, una tantùm esse non potest, sed plures & infinita collectivè: eodem modo solves argumentum, quod difficilius putat, & hôc modô proponit P. Comptonus Physicæ Disp. 46ª. Sect. 5ª.

XXVI. *Objicies 6°, & difficilius: quia hujusmodi Pyramidali figurâ in infinitum protensâ, cujus cuspis sit hîc, ducatur linea intra unum palmum cuspidis, linea erit unius palmi ; post intervallum alterius palmi ducatur alia linea, illa erit duorum palmorum ; & hoc modo in infinitum duci possunt lineæ, quæ se invicem excedent per unum palmum ; ergo linea transversa terminativa, seu basis erit infinita, & non erit: erit, quia cum lineæ illæ protendantur in infinitum, & consequenter infinitè distent, linea illa necessariò erit infinita: quòd autem non sit infinita, inde videtur clarè ostendi, quia uno tantùm palmo excedit li-*



neam sibi proximam finitam, finitum *autem additum* finito *secundùm omnes* non facit infinitum. *Quòd autem sequatur aliquam ibi lineam necessariò fore finitam & infinitam, ulterius probatur; nam linea aliqua transversa infinita necessariò sequitur immediatè aliquam finitam, cùm non sint interruptæ lineæ, ut supponimus. Deinde in ipsis lineis finitis, vel assignari potest ultima, vel non? si non, ergo sunt infinitæ lineæ finitæ invicem se uno palmo excedentes in longitudine; ergo aliquæ ex lineis illis sunt infinitæ, cum infinities excedant primam, quæ solùm est unius palmi.*

XXVII. Ad ista argumenta subdit P. Comptonus: *Hæc est præcipua difficultas in hac materia, cui docti quidam recentiores admittentes nobiscum Infinitum fatentur omnino responderi non posse, nec aliam adhibent solutionem. Respondeo tamen primò hoc argumentum solvi ab omnibus debere in negationibus, quæ, cum undique sint in immensum diffusæ, habent suo modo puncta, lineas, & superficies; ergo inter duas hujusmodi lineas in iis assignabiles, sunt aliæ transversæ, modo in argumento proposito. Secundò urget eodem modo in lineis hujusmodi, quas Deus videt possibiles. Tertiò, in æternitate à parte ante, & in tempore imaginario, quòd jam inde ab æternitate paulatim fluxit: nulla enim est hora longior aliâ, & tamen tandem faciunt infinitum tempus imaginarium, & idem fuisset, si tempus etiam verum infinitum à parte ante fuisset transactum.*

XXVIII. *Resp. ergo nullam esse assignabilem lineam finitam cui proxima sit infinita excedens illam tantùm uno palmo, nec videri potest à Deo, quod non est, sed quâcumque finitâ assignatâ, non potest dici determinatè quot lineæ interjaceant inter illam & lineam aliquam infinitam: sicut ergo in tempore imaginario elapso non possunt, ita certò assignari dies, vel horæ sibi invicem succedentes, ut omnes fateri debent; ita nec hîc lineæ aut numeri; sed modo longè confusissimo componitur, tam unum infinitum, quàm aliud, nec eadem claritas spectanda est in re aliqua infinita, atque finita.* Ita verbotenus ille.

XXIX. Sed contra: hæ P. Comptoni solutiones vix etiam ullæ videntur: quia, quod quæritur est, quomodo tempus imaginarium sit infinitum, sic, ut non componatur ex duobus finitis tantùm? quomodo linea sit infinita, sic ut quatenùs infinita non excedat nisi uno palmo finitam, aut concludatur duobus extremis? ac proinde sint & non sint infinita: Ad hoc non Respondet P. Comptonus, nisi, quòd in tempore imaginario elapso non possint certò assignari dies, vel horæ sibi invicem succedentes: quod vix est aliquid; quia si tantùm sit infinitum per additionem diei ad dies finitos, non apparet cur ab Angelo, vel saltem Deo certò illius assignari non possint dies; id autem contendunt ista argumenta: deinde ratio quæritur, cur certò assignari non possint dies, vel horæ in tempore imaginario elapso sibi invicem succedentes, cum infinitũ videatur debere esse infinitũ per additionem finiti ad finitum, ut videntur argumenta ista convincere? eo usque non se extendit solutio ista; prudentiusque, nisi aliter argumenta solvantur, Responsum videretur intellectum hominum hîc esse in obsequium æternitatis & fidei captivandum; quia pro utraque parte videntur sequi contradictoria; hæc quidem contra negativam; alia autem contra affirmativam, videlicet Dei omnipotentiam, omniscientiam, &c. esse infinitam & non esse, ut supra vidimus; quæ intellectũ pro utrâq; parte suspensum relinquere debent, nisi probabiliter ostẽdatur nõ sequi, quod, an n. 24. fecerimus, tuo judicio relinquo.

XXX. Objicies 3°, non potest dari, quantitas infinitè parva actu; ergo nec infinitè magna actu: probatur antecedens, quia, cum sit essentialiter divisibilis, esset tandem indivisibilis, ac proinde quantitas & non quantitas: probatur consequentia, quia eodem modo se habet *parum* ad *multum*, quo *multum* cujus multiplicatione fit infinitum, ad *parum*.

XXXI. Respondeo negando assumptum; eo enim sensu, quo potest dari quantitas infinitè magna, potest dari quantitas infinitè parva; quia sicut quantitas potest secundùm partes proportionaliter majores in infinitum crescere; ita & secundùm partes proportionaliter minores, potest in infinitum decrescere. An autem hodie deveniri possit ad unam quantitatem actu in parvitate infinitam, sicut inde devenitur ad unam actu in magnitudine infinitam? videtur omnino quòd non, & est disparitas, in eo, quòd continuo non repugnet divisibilitas magni, bene autem indivisibilitas parvi, ad quam tandem deventum esset, uti ad infinitam illius parvitatem.

DVBIVM III.

An dari possit infinitum actu, in duratione, magnitudine, multitudine & intensione.

Resolutio I.

XXXII. Dico 1°, virtute Divinâ dari potest infinitum actu in duratione.

XXXIII. Probatur, dies totâ æternitate à parte post futuri collectivè sumpti possunt dici infiniti actu in duratione; & idem est de cogitationibus angelorum & beatorum, singulis momentis, vel horis æternitatis futuris collectivè sumptis; ergo, &c. probatur antecedens, quia illi dies, & hæ cogitationes, collectivè sumpti non sunt finiti; quia omne finitum sumptione finitorum pertransiri potest, illi non possunt; ergo sunt infiniti; non Syncathegorematicè; quia omnes collectiones & distributiones infiniti Syncathegorematicè sumpti actu & simul sumptæ faciunt infinitum actu & Cathegorematicum, ut patet ex dubio præcedenti; ergo, &c.

XXXIV. Objicies tamen: non potest unquam fieri una totalis & adæquata collectio omnium dierum æternitatis, vel cogitationum angelorum, &c. totâ æternitate futurarum, ergo, &c. probatur antecedens; quia nunquam sunt extituri omnes, & quilibet ultra se habebit alium, ergo, &c.

XXXV. Respondeo distinguendo antecedens, non potest unquam fieri, &c. si ly *unquam* sumatur pro tempore aliquo finito secundùm se determinatè & distributivè sumpto, concedo antecedens; si sumatur pro tempore Infinito & conflato ex finitis temporibus pluribus in infinitum collectivè, nego antecedens; ad probationem verò antecedentis similiter distingue ly *nunquam sunt extituri omnes*; & adde aliquando verum fore dicere *jam existunt omnes dies æternitatis*, quando v. g. erit verum dicere *jam existit tempus infinitum* sive *tempus conflatum ex omnibus temporibus finitis possibilibus*; quia de quocũq; verũ est dicere *futurũ est*, aliquãdo verũ erit dicere, *jam est*, sumendo ly *jam*, pro instanti, si futurũ, sit in instanti adæquatè futurum; pro tempore infinito, si futurum, sit solo tempore infinito adæquatè futurum: quod omnes Adversarii admittere debent in diebus æternitatis à parte ante; non quidem uno instanti ut patet, sed tempore infinito & conflato ex

omnibus

omnibus temporibus finitis à parte ante possibilibus, quod transiit. Ex hâc Responsione

XXXVI. Colliges quomodo respondere debeas ad diversas instantias quibus Adversarii probare conantur dies illos & cogitationes non posse facere unam collectionem adæquatam & totalem; ut cum dicunt, *Omnes dies illi numquam possunt exuere omnem potentialitatem; semper retinent aliquam inadæquationem*, &c. ubi distingues ly *numquam* & ly *semper*, ut statim; & advertes insuper illos terminos esse mixtos ex ente & non ente, & proinde mirum non esse, quòd, unâ illius parte finitâ secundùm se determinatè & distributivè sumptâ non existente, alia ut sic existat.

Resolutio II.

XXXVII. Dico 2°, virtute Divinâ dari potest infinitum actu in magnitudine, multitudine & intensione.

XXXVIII. Probatur 1°, dari potest in duratione; ergo à fortiori, &c.

XXXIX. Probatur 2°, probatione & confirmatione Resolutionis Dubii 2i.

XL. Confirmatur solutione objectionum. Ante illam tamen, sit

Explicatio

Modorum quibus considerari possit infinitum actu.

XLI. Hæc Explicatio admodum subserviet solvendis objectionibus difficillimis, quæ magno numero contra nostram sententiam proponuntur, quas ut solvant, qui in hâc de infinito sententia, nobiscum adstipulantur, duo in infinito actu distinguunt, materiale scilicet & formale: materiale (inquiunt) sunt res sive partes in infinito contentæ; formale est ipsa infinitudo seu carentia finis: tum dicunt, unum infinitum posse esse majus alio materialiter, & secundùm continentiam, ut est numerus infinitus capillorum, respectu numeri infiniti hominum, quibus insunt; non tamen formaliter, quia una carentia finis, non est major aliâ. Sed

XLII. Contra est, quòd sicut in infinito capillorum sunt materialiter infinitæ capillorũ myriades, ita & in infinito hominũ sunt materialiter infinitæ hominum myriades; atque adeo (ut sic loquar) tot in uno, quot in alio; ac proinde numerus infinitus capillorum non potest esse major materialiter numero infinito hominum: deinde sicut, plerisque eorum confitentibus materiale ternarii, v. g. tres unitates, non distinguitur realiter ab ipso formali, sive trinitate, sed illud materiale est per seipsum ternarius; ita nec materiale infiniti, vel res finitæ infinities multiplicatæ distinguuntur realiter ab ipso formali, videlicet infinitudine (præsertim cum hæc non sit pura negatio, ut patet ex dubio primo) sed illud per seipsum est formaliter infinitum.

XLIII. Paulò aliter alii, duo in infinito distinguunt, majus latè, scilicet, & majus strictè; qui etiam minus in eodem proportionaliter distinguunt: majus latè (inquiunt) est *quod continet quidquid alterum, quo dicitur majus continet & insuper aliquid aliud*: majus verò strictè est *id quod termino quantitatis alterum excedit*, sive *quod plura quanta continet, quàm alterum*: similiter distinguunt in infinito, totum & partes: totum latè (inquiunt) est, *quod includit alterum & insuper aliud, quod id, quod est pars, non includit*: pars verò latè est, *quæ includitur in alio, aliud insuper includente*: totum strictè est, *quod includit alterum non habens tot quanta, quot habet ipsum includens*: pars strictè verò est, *Quæ includitur in alio & non habet tot quanta ac ipsum*: tum dicunt unum infinitum posse esse majus altero; item totum posse esse totum vel partem, si hæc omnia sumantur latè; non verò, si hæc sumantur strictè.

XLIV. Contra, non apparet quomodo unum infinitum possit continere alterum infinitum, & insuper aliud: 1°, quia sicut in infinito omnium capillorum, imò & simul omnium hominum, non sunt plures myriades, quàm in infinito hominum tantùm; ita nec unum infinitum potest continere alterum infinitum, & insuper aliud: 2° illud *aliud*, quod insuper includet, erit procul dubio plura quanta, ac proinde faciet ipsum strictè majus, strictè totum, &c. sed inter infinita non datur strictè majus, strictè totum, pars strictè, &c. ut fatentur. Vnde pro alia explicatione

XLV. Advertе 1°, diligenter, infinitum posse dupliciter considerari: 1° in ratione totius: 2° in ratione partium, ex quibus componitur.

XLVI. Adverte 2°, infinitum in ratione totius, sive totum infinitum, posse etiam dupliciter considerari: nam 1° considerari potest pro ea parte, quâ est infinitum, & versus illam partem v. g. orientem vel occidentem, quâ dicitur esse infinitum; quomodo versus illam partem respondet immensitati Dei: 2° considerari potest pro ea parte quâ est finitum, quomodo est simpliciter finitum, licèt versus aliam partem sit simpliciter infinitum.

XLVII. Adverte 3°, infinitum in ratione partium, sive partes infiniti, posse etiam dupliciter considerari: 1° quatenus conflant infinitum pro ea parte quâ finitum est, quomodo possunt esse plures in uno, quàm in alio; sic sunt plures unitates in infinito ex capillis & omnium creaturarum, quàm in infinito hominum; plures pedes in una ex duabus lineis hinc in infinitum extensis, quàm in alia, si ab una tollas mille pedes, non ab alia: cave tamen dixeris unum infinitum esse majus alio; quia infinitum per respectum ad partem versùs quam finitum est, est simpliciter finitum; ad illam autem ly *majus* dicit respectum; & solùm est infinitum per ordinem ad partem, versùs quam est infinitum, & ad illam ly *majus* non dicit respectum: 2° quatenùs conflant infinitum pro ea parte quâ infinitum est, quomodo non sunt plures in uno quàm alio, sed sunt infinitæ, sive (ut alii) finitæ infinities positæ; quia multa finita finities tantùm posita, non faciunt infinitum simpliciter, sed finitum; nec plures quoad numerum, etiam materialiter, in collectione omnium infinitorum, quàm in uno solo, licèt possint esse plures quoad diversitatem specificam entium, quia ut sic esse possunt finitæ, ut suppono, licèt sint secundùm numerum infinitæ.

XLVIII. Dices, si Deus producat infinitum in quolibet genere entis, plura producet, quàm si infinitum hominum tantùm, ergo in collectione omnium infinitorum sunt plures partes finitæ (saltem materialiter) quàm in uno infinito tantùm.

XLIX. Respondeo distinguendo antecedens, si Deus

Deus producat infinitum in quolibet genere entis, plura producet, quàm si infinitum hominum tantùm; si infinitum hominum spectetur versùs illam partem, quâ finitum est, concedo antecedens: si spectetur versùs illam partem, quâ infinitum est, nego antecedens; ratio est, quia versùs illam partem continet omnes numeros à Deo imaginabiles; ac proinde omnes numeros, quibus omnia entia possibilia numerari possunt; quia continet numeros sine fine, ut patet; ac proinde infinities infinitos, ut consideranti patebit, in eoque maximè consistit difficultas cognoscendi naturam infiniti actu. Hinc

L. Colliges, quòd si Deus postquam creavit infinitos homines, alios infinitos creet, non creaturum plures spectato primo infinito pro ea parte, quâ infinitum est, sed tantùm spectato infinito pro ea parte, quâ finitum est, vel prout est unum infinitum numero, & facit cum alio numerum finitum, videlicet binarium infinitorum, in quo est comparatio unius ad duplum, ac proinde finiti ad finitum in ratione numeri.

LI. Instabis; inde sequeretur totum non esse majus suâ parte, contra hoc Axioma communiter receptum, *Omne totum est majus suâ parte*, ergo solutio nulla.

LII. Respondent Doctissimi PP. Connimbricenses lib. 3°. Physicæ cap. 8°. q. 2. art. 4°. Axioma illud in numero tantùm finito locum habere, non in infinito. Eos impugnat P. Comptonus Physicæ Disputat. 46. Sect. 6ª. ajens: *At sanè hoc apertè videtur falsum: totum enim tam in numero infinito, quàm finito, partem includit, & aliud ei superaddit. Et, si Deus lineam produceret hinc protractam in infinitum versùs Orientem; deinde aliam ei uniret hinc productam in infinitum versùs Occidentem, evidens est utramque simul esse longiorem alterâ, cum in infinitum ab utraque parte extendatur, quod neutri parti sigillatim sumptæ competit. Unde satius esset millies negare infinitum, quàm ex illius concessione in eas angustias redigi, ut cogatur quis principio tam manifesto, ipsoque lumine naturæ noto, refragari.*

LIII. Sed mihi omnino verum dicunt PP. Citati; & contra impugnationem P. Comptoni est: 1° quòd totum in numero infinito nihil addat supra partem, quâ parte infinita est; quia ut sic est partes sine numero innumerabiles; sed tantùm supra partem, quâ parte finita est, quod omnino facit pro PP. Conimbricensium explicatione. Unde si Deus lineam produceret hinc protractam in infinitum versùs Orientem; deinde aliam ei uniret hinc productam in infinitum versùs Occidentem, utraque considerata, quâ parte finita est, simul esset pro ea parte longior, quàm quælibet antea pro ea parte fuisset; non verò pro ea parte quâ infinita; quia pro ea parte non unirentur, ut manifestum est, nec aliæ sunt angustiæ (quidquid P. Comptonus) ad quas redigamur, principio isti refragando. Quare consequenter ad Instantiam allatam

LIV. Respondeo distinguendo assumptum, sequeretur totum non esse majus suâ parte, consideratâ, quâ parte infinita est, concedo assumptum, idque fateri tenetur P. Comptonus, quandoquidem infra numer. 7°. admittat in infinito numero aureorum esse infinities infinitos aureos, & consequenter in infinito numero numeros infinities infinitos: consideratâ, quâ parte finita est, nego assumptum; Axioma autem illud intelligitur de toto & parte consideratâ, quâ parte finita sunt.

Solutio Objectionum.

Contra Infinitum in magnitudine.

LV. Objicies 1°, infinita magnitudo est immensitas; sed illa est propria Dei, ergo, &c.

LVI. Respondeo transeat major, distinguo minorem, immensitas imparticipata, independens & essentialis suo fundamento est propria Dei, concedo minorem; participata, dependens & accidentalis, qualis est infinita magnitudo, de qua hîc, nego minorem.

LVII. Dixi transeat major, quia non omnis infinita magnitudo, ut v. g. illa quæ solùm versùs Orientem est infinita, est immensitas, nisi fortè velis illam esse immensitatem versùs Orientem tantùm, secundùm aliquam dimensionem, ac proinde secundùm quid.

LVIII. Objicies 2°, implicat partem esse æqualem toti; atqui talem fore sequitur ex infinito Cathegorematico; ergo, &c. Probatur minor, sit linea infinita versùs Orientem, ex qua Deus annihilet mille pedes; vel quòd residuum est, etiam occupabit locum pedum annihilatorum, & consequenter æqualem toti, vel non? si prius, ergo pars est æqualis toti: si posterius, ergo residuum est infinitum, & non est; est, quia infinitum ablatione finiti non fit finitum; & non est, quia alioqui unum infinitum esset majus alio, v. g. totum majus hoc residuo, ergo, &c.

LIX. Multi fatentur hoc argumentum sibi negotium facessere: Respondentque concessâ majore de parte & toto propriè sumptis; negando sequelam, dicentes residuum, si bene applicetur, occupaturum quidem locum totiùs, imò & fore infinitum ex omni parte: negant tamen occupaturum locum æqualem toti: Ratio ipsorum est; quia sicut infiniti non datur mensura; ita nec æqualitas, vel inæqualitas, quæ mensuram sequitur. Sed

LX. Contra 1°, illas partes propriè & impropriè dictas (& idem est de toto) rejecimus supra: 2° inter infinita datur æqualitas, ut patet ex Symbolo Athanasii *totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*, ac proinde infiniti mensura infinita: 3° quid confert illa bona facta applicatio? pedes enim annihilatos non restituit magis quàm ablata per impossibile à Deo Patre vel unicâ perfectione, illam ulla possibilis applicatio restituere posset: unde sicut Pater postea nunquam contineret omnem perfectionem aliarum personarum; ita nec residuum post quamlibet applicationem unquam contineret totum, quod ante annihilatos pedes continebat.

LXI. Respondeo concessâ majore, negando minorem; ad probationem admisso casu, Respondeo residuum pro ea parte, quâ infinitum est, non occupaturum locum æqualem toti, sed inæqualem mille pedibus; licèt maneat infinitum versùs Orientem, quâ parte infinitum erat; quia, ut bene probatum est, infinitum ablatione finiti, non fit finitum, etsi pro eâ parte, quâ finitum est, fiat minus alio sibi æquali.


Instabis

LXII. Instabis, cum residuum sit infinitum versùs Orientem, poterit saltem à Deo retrahi ad locum totius, & sic pars poterit occupare locum æqualem toti, quà parte finitum est, ergo, &c.

LXIII. Respondeo distinguendo antecedens hujus argumenti, quod omnes fatentur esse ex difficillimis hujus materiæ: cum residuum sit infinitum versùs Orientem; secundùm quod infinitum est versùs Orientem, sive secundùm partes collectivè, quatenus infinitum conflant, sumptas, & infinitè versùs Orientem sumibiles, poterit saltem à Deo retrahi ad locum totius, concedo antecedens; nec mirum, quia ut sic unum infinitum est materialiter æquale omnibus infinitis collectivè sumptis, ut supra ostensum est: secundùm quod finitum est versùs Occidentem, sive secundùm partes finitas secundùm se & distributivè finitè tantùm versùs Occidentem sumibiles, nego antecedens; quia, cum ut sic se habeat instar ligni pedalis ad bipedale, quod sine rarefactione aut replicatione non potest occupare locum adæquatum ligni bipedalis, ut omnes fateri tenentur, non potest sic retrahi, quin priorem locum deserat. Hinc

LXIV. Colliges 1°, quòd si Deus produceret duas lineas utrimque infinitas, puta versùs Orientem & Occidentem, tot habituras ulnas, quot palmos versùs Orientem & Occidentem, ubicumque fiat divisio; quia ut sic sumuntur secundùm quod sunt infinitæ, sive secundùm partes finitas in infinitum sumibiles; non verò si fiat divisio in medio, & postmodum sumatur initium mensuræ à quacumque determinata parte versùs illam partem, in qua facta est divisio; quia ut sic sumuntur secundùm quod sunt finitæ, sive secundùm partes finitas finitè tantùm, & usque ad partem illam finitam & ultimam, sumibiles; in finito verò non sunt tot ulnæ, quot palmi, ut patet.

LXV. Colliges 2°, quòd si crearet Deus lapides infinitos alternatim albos & nigros, quos disponeret in longum, deinde annihilatis nigris, conjungeret albos; solos albos, quâ parte infiniti, & quâ parte respondent mensuræ infinitæ occupaturos tantum loci, quantum albi & nigri simul ante occupabant; non verò, quâ parte finiti respondent mensuræ finitæ, sive locis annihilatorum secundùm se & distributivè consideratorum; quia autem omnes communiter hoc modo illos considerant, hoc argumento confunduntur.




LXVI. Objicies 3°, creet Deus infinitos lapides, qui omnes se invicem excedant uno palmo: tunc quæro, an in tota illa multitudine, futurus sit lapis aliquis infinitè magnus, an non? non primum, quia videtur incomprehensibile, quòd detur lapis aliquis infinitè magnus, qui tamen alium finitâ tantùm proportione unius palmi excedat: non etiam secundum; quia cum tota illa multitudo lapidum se excedentium sit actu infinita, debet constituere magnitudinem aliquam infinitam, & consequenter includere lapidem aliquem infinitè magnum, qui infinitis palmis minimum omnium excedat, ergo erit infinitus, & non erit.

LXVII. Respondeo admisso casu (qui tamen est impossibilis, quia in infinito non datur ultima pars, quæ ibi datur; nec in infinito ex majoribus & majoribus partibus in infinitum assignari potest una major infinitis collectivè, uno tamen pede tantùm excedens majorem ex infinitis; nec datur pars maxima in infinito magnitudinis, quæ ibi daretur) ex tali multitudine nullum determinatum lapidem fore infinitè magnum; quia ibi semper fit respectus finiti, utpote uno tantùm pede finitum excedentis, ad finitum: sed totam collectionem futuram infinitam magnitudinem.

LXVIII. Instabis, unus lapis determinatus istius magnitudinis erit uno palmo major infinitis facientibus infinitam magnitudinem, ac proinde major infinitâ magnitudine; ergo unus erit infinitè magnus.


LXIX. Respondeo distinguendo antecedens, unus lapis, &c. erit uno palmo major infinitis, &c. distributivè sumptis, quomodo omnes sunt finiti in magnitudine, concedo antecedens; infinitis collectivè sumptis, quomodo tantùm faciunt infinitam magnitudinem, nego antecedens.

LXX. Vrgebis, ille lapis erit uno palmo major infinitis facientibus infinitam magnitudinem, collectivè sumptis, ergo erit infinitus; probatur antecedens; sicut ex infinitis circulis concentricis se uno pede excedentibus (quos Deus producere potest) erit unus determinatus uno pede major infinitis facientibus infinitos circulos concentricos, collectivè sumptis; ita ille lapis erit uno palmo major infinitis facientibus infinitam magnitudinem, collectivè sumptis.



LXXI. Respondeo negando assumptum, ad ejus probationem, Respondeo esse fallaciam in argumento isto: vel enim agnoscis primum circulum concentricum, qui ab infinitis aliis uno semper pede excedatur, vel non? si sic, in infinitis circulis sese circulantibus non magis habebis unum determinatum circulum circulantem infinitos alios, quàm ex finitis partibus uni determinato pedi æqualibus infinitè extensis habeas unam partem determinatam terminantem infinitas alias: sed novos & novos sine fine circulantes habebis, sicuti in hoc casu novas & novas sine fine alias terminantes, habes: si primum circulum concentricum non agnoscas, sed intra circulum excentricum infinitum, supponas infinitos concentricos uno semper pede minores factos, falsum & impossibile supponis, videlicet dari posse unum determinatum circulum infinitum, qui uno tantùm pede sit major alio finito concentrico, quod tam est impossibile, quàm quòd, in infinitis partibus æqualibus uni determinato pedi infinitè extensis, dari possit ultima pars, sive pars, quæ aliquam præponat, nullam postponat, quod est infinitum in longitudine inter duo determinata puncta claudere.

Adde



LXXII. Adde circulum infinitum repugnare, haud secus quàm finitum, quâ parte finitas partes respicit, esse infinitum, repugnet; quia quamdiu circulum concipis, semper terminos lineæ transversæ, quæ in circulo infinito infinita esse deberet, concipis.

Solutio Objectionum.

Contra Infinitum in multitudine.

LXXIII. Objicies 1°, omnis multitudo est numerus: atqui omnis numerus est numerabilis, ergo dari non potest infinitum in multitudine: Probatur consequentia, quia illud esset numerus non numerabilis.

LXXIV. Respondeo distinguendo minorem; atqui omnis numerus est numerabilis numeratione finitâ, si finitus, infinitâ, si infinitus (nam si sol in æternum moveretur adhuc esset tempus extrinsecum, sive numerus & mensura omnium motuum successivorum particularium) concedo minorem; finitâ tantũ, nego minor. unde nego consequentiã.

LXXV. Objicies 2°, secundùm te, si posset Deus producere infinitum in multitudine, posset simul & semel omnia possibilia producere: sed hoc dici non potest, ergo, &c. probatur minor, quia exhauriretur Dei Omnipotentia.

LXXVI. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in Omniscientiam Dei; si posset Deus scire infinitum in multitudine, posset simul & semel omnia possibilia scire: hoc dici non potest, ergo, &c. minor probatur, quia exhauriretur Omniscientia Dei, ergo, &c.

LXXVII. Respondeo 2°, negando minorem, intellectâ majore de entibus non essentialiter successivis; ad ejus probationem nego assumptum, quia non exhauriretur Omnipotentia, magis quàm Omniscientia, sed objectum: vel, si vis, aliter distinguo antecedens, exhauriretur Omnipotentia defectu se tenente ex parte ipsius omnipotentiæ, nego antecedens: defectu se tenente ex parte objecti, videlicèt quòd aliud insuper non esset possibile, concedo antecedens; sed hoc non magis est respectu Omnipotentiæ Dei absurdum, quàm illam non posse producere non possibile, sive impossibibile.

LXXVIII. Objicies 3°, producat Deus infinitos homines, quorum singuli habeant unum panem, vel potius aureum unum, cui sit nomen cujusque proprium inscriptum; & tum istos in cumulum projiciant: si unus centum accipiat &, Deus velit postea cuilibet unum ex illis reddere, centum erunt sinè ut patet: si verò Deus, illis nunc primum in cumulum projectis, adjiciat centum, & cuilibet reddat unum ut ante, centum erunt superflui, ergo unum infinitum, etiam quâ parte infinitum, est majus altero, saltem materialiter.

LXXIX. Respondeo admisso casu, homines & aureos attendi, aut quatenus se se singuli reciprocè respiciunt? & sic sunt finiti, nec infinitum conflant; unde mirum non est, si, illis consideratis ut sic, in primo casu centum essent sine aureo, & in secundo centum superabundantes: aut quatenus tam homines, quàm aurei conflant infinitum quâ parte infinitum est? & sic consequenter non debet fieri comparatio finiti ad finitum, unius ad unum, in quo plures decipiuntur, sed infinitorum ad infinitos; & dicere oportet quòd quilibet homo potest infinitos aureos recipere, prout sunt infinities infiniti homines, quorum nomina sunt in aureis illis scripta: unde tota fallacia provenit ex defectu penetrationis naturæ infiniti.

Solutio Objectionum.

Contra Infinitum in intensione.

LXXX. Objicies 1°, si posset dari infinitum in intensione, posset dari vis intelligendi infinita, & lumen gloriæ infinitum, ac per consequens posset Deus comprehendi; sed hoc implicat, ergo, &c.

LXXXI. Respondeo negando sequelam (quamquam fortè secundùm potentiam absolutam admitti possit, quod, Deo dante, examinabimus in Theologia) quia inde tantùm sequitur, quòd possent in Deo cognosci infinitæ perfectiones; non verò quòd Deus posset cognosci quantum cognoscibilis est, quia est infinitè infinities cognoscibilis ab intellectu Divino, qui creaturæ non convenit.

LXXXII. Objicies 2°, posset dari actus charitatis per quem creatura amaret tantum Deum, quantum amari potest; sed hoc implicat, ergo, &c.

LXXXIII. Respondeo distinguendo majorem, posset dari actus charitatis per quem creatura amaret Deum tantum, quantum amari potest voluntate creatâ & participativè, concedo majorem; voluntate increatâ, imparticipativè & essentialiter, nego majorem: de quo iterum in Theologia.

LXXXIV. Objicies 3°, posset dari gravitas infinitè intensa, atque adeo lapis infinitè gravis moveri in instanti; sed hoc implicat, cum in motu fiat transitus à termino à quo ad terminum ad quem, qui non potest haberi in instanti, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo 1°, argumentum nimium probare, scilicet virtutem Dei motivam implicare; quia infinitè gravi activior est; non potest tamen in instanti movere quidquam localiter, prout motus dicit successionem, de quo in Objectione.

LXXXVI. Respondeo 2°, negando majorem, nam posset quidem moveri celeriùs & celeriùs in infinitum, quàm moveatur finitè tantùm grave; non tamen in instanti; quia implicat motum localem fieri in instanti prout dicit successionem, de quo in Objectione, ut dictum est.

Mirandæ Sequelæ.

Ex natura infiniti pro ea parte, quâ infinitum est.

LXXXVII. Dixi *pro ea parte, quâ infinitum est*, quod est valde distinguendum, quia planè aliter est de eo Philosophandum pro ea parte, quâ finitum est. Itaque

LXXXVIII. Sequitur 1°, in infinito hominum, quâ parte infinitum est, non esse plures capillos, quàm homines: 2° in infinito doliorum vini, non esse plures guttas, quàm dolia; imò quòd si Deus ex infinitis doliis sumeret infinitas guttas, & reliquum in quolibet dolio annihilaret, per infinitas illas guttas iterum posse repleri infinita dolia: 3° in infinita linea versùs Orientem non esse plu-

res

res palmos quam ulnas ; in spatio infinito non esse plures passus quàm milliaria : 4° in æternitate Dei à parte ante aut creaturarum à parte post, non esse plures horas, quàm annos ; plures annos, quàm sæcula ; sanctum unum mille & pluribus annis post alium non pauciores eliciturum cogitationes per totam æternitatem, quàm alium, etiamsi hic singulis momentis unam eliceret, alter verò nonnisi unam singulis centum annis : 5° in infinito unitatum non esse plures unitates, quàm in infinito Myriadum : 6° infinita grana arenæ non occupatura minorem locum, quàm infiniti montes.

LXXXIX. Fateor hæc primo intuitu videri incomprehensibilia ; sed hoc fit ex eo, quòd tot capillos per ordinem ad unum hominem ; guttam per ordinem ad dolium ; palmum per ordinem ad ulnam ; horam per ordinem ad annum ; & sic de cæteris, quomodo finita sunt, concipiamus : si verò omnia per ordinem ad ulteriora & ulteriora in infinitum, & collective, concipiamus, fiunt comprehensibilia, per hoc quòd appareant infinita, & infiniti dari non possit excessus ; quia ubi daretur, finiretur infinitum, ac proinde esset infinitum & non esset, ut patet ; quarè dicendum est illa convenire infinito essentialiter, nec Deum excessum in uno super aliud videre pro ea parte, quâ infinitum est.

LXXXX. Nec dicas, ex præmissis Deum tantum honorandum & glorificandum ab uno beato, quantum ab omnibus simul ; quia quâ parte æternitas finita est, & quâ parte illi actus finiti sunt, longe magis ab omnibus, quàm ab uno est Deus honorandus & glorificandus ; nam uno instanti unus unum actum tantùm elicit ; omnes verò, myriades simul eliciunt ; Deus autem non attendit ad æternitatem suam, quæ est tota simul, sed ad æternitatem beatorum, à quibus honoratur & glorificatur, quæ est per tempora finita in infinitum & successive ; deinde non attendit ad omnes cogitationes beatorum tota æternitate futuras collectivè, sed distributivè, eo modo quo illas singulis momentis eliciunt, volens singulis momentis ab uno magis, ab alio minùs, in mercedem meritorum suorum, glorificari, quod alioqui non posset.

QVÆSTIVNCVLA.

LXXXXI. QVæres 1°. An corpus infinitum, quâ parte infinitum est, posset moveri localiter.

LXXXXII. Respondeo non posse per lineam rectam ; quia deberet aliquid spatii recti deserere, ut patet, & novum rectum acquirere, quod repugnat infinito : posset supra & infra, ad dexteram & sinistram ; quia hîc cessat illa ratio : quid si infinitum ex omni parte ? admittunt omnes communiter post Gregorium Arimínensem posse moveri circulariter ; sed, id videtur omnino negandum ; quia si posset moveri circulariter posset circumdari circulo, ac proinde infinitum utrumque in magnitudine, posset terminari duobus punctis illius circuli ; quod admitti non debet ; quia non apparet quomodo infinita magnitudo duobus terminis concludi possit (quidquid dixerint Arriaga, Poncius, & alii plures) si enim posset infinitum ita concludi, posset consequenter habere figuram ; quia tantùm negatur posse habere figuram, eò quòd figura est terminus quantitatis ; non video autem qualem figuram res infinita habere possit.

LXXXXII. Quæres 2° an infinitum, si quod daretur, esset determinatum.

LXXXXIII. Respondeo affirmativè ; quia à Deo produceretur ; quidquid verò à Deo producitur non potest habere existentiam vagam & indeterminatam : licèt autem infinitum non constaret certâ parte finiente & ipsum terminante, quo sensu posset dici indeterminatum, vel potiùs interminatum, constaret tamen his potiùs partibus, quàm illis ; quod sufficit ut dicatur habere existentiam determinatam, & non vagam. Hinc

LXXXXIV. Patet quo sensu loquatur S. Thomas dicens Deum volentem producere infinitum, non posse se determinare quantum producat, quia infinitum non potest cadere sub certam intentionem & cognitionem : id enim verum est, si loquatur de infinito quoad certam intentionem & cognitionem partis finientis ac terminantis, falsum quoad intentionem & cognitionem aliquarum partium præ cæteris componentium infinitum : hinc dic contra P. Poncium Disput. de infinito num. 23°. Deum non posse ita numerare partes omnes infiniti, easque tam distinctè cognoscere, ut nobis significare possit, quot sunt ; quia sic deberet partem finientem & terminantem distinctè cognoscere, quæ non est in infinito, pro cujus clariori intelligentiâ, sit

DVBIVM IV.

An possit Deus producere Infinitum habens finem & terminum.

LXXXXV. ANte Resolutionem Suppono finem sive terminum hîc posse esse duplicem : intrinsecum scilicet, & extrinsecum ; intrinsecus est, qui est aliquid rei, & rem terminat, sic tertius pes est terminus intrinsecus ligni trepidalis ; terminus extrinsecus est, qui nihil est rei, ultra quem tamen res extendi non potest, sic pes quartus est terminus extrinsecus lineæ trepidalis, & hora secunda terminus extrinsecus partium horæ primæ. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO I.

LXXXXVI. DIco 1°. infinitum in multitudine potest habere terminum extrinsecum suæ multitudinis, & intrinsecum, tam extensionis localis, quàm temporalis.

LXXXXVII. Probatur prima pars ; quia partes proportionales lineæ tripedalis pro termino extrinseco habent quartum pedem, & partes proportionales horæ primæ habent pro termino extrinseco horam secundam, & tamen sunt infinitæ numero, sive multitudine, ergo, &c.

LXXXXVIII. Confirmatur communiter admittunt Philosophi intra quascumque duas species assignabiles, v. g. inter hominem & bovem posse dari infinitas species perfectiores, earum imperfectiore, exempli gratia, bove ; sed illæ includuntur inter duos terminos extrinsecos, ergo, &c.

LXXXXIX. Nec putet hinc fore ut homo sit infinitè perfectus in quantum erit perfectior infinitis; quia non erit perfectior infinitis collectivè sumptis, quomodò faciunt perfectionem entium intra illas duas species conclusorum numero infinitam, sed distributivè tantùm, pro quo vide solutionem ad objectionem secundam contra infinitum in magnitudine.

Resolutio II.

C. Dico 2°. nullum in extensione infinitum, permanens aut successivum, potest habere terminum, sive intrinsecum, sive extrinsecum suæ extensionis.

CI. Probatur; quia, vel ille terminus à prima parte illius infiniti versùs illam partem quâ finitum est, distaret finitè, vel infinitè? non primum, quia alioqui infinitum in extensione contineretur intra duos terminos in extensione finitos, sive finitè tantum distantes, ac proinde non esset infinitum: non etiam secundùm; quia si ab illa infinitè distat, quomodo illam terminare potest? terminus enim non potest infinitè distare à terminato, ut patet.

CII. Dices fortè ex P. Poncio, illam non terminare immediatè, sed mediantibus aliis partibus infinitis in extensione, quas immediatè terminat sed contra quomodo illas infinitas partes in extensione immediate terminat, si infinitè in extensione & interminabiles? Hoc priùs ostendendum est. Hinc sit

Resolutio III.

CIII. Dico 3°. nullum infinitum potest habere terminum intrinsecum in eo genere in quo est infinitum.

CIV. Probatur, quia alioqui esset infinitum in illo genere, & non esset; esset ut supponitur; non esset, quia esset terminatum in suo genere, sive haberet terminum; ergo, &c.

Dvbivm II.

An divinâ virtute produci possit creatura aliqua particularis essentialiter infinitæ perfectionis citra independentiam.

CV. Sensus dubii est: an Deus possit producere creaturam omnium possibilium perfectissimam, sive tam perfectam ut perfectiorem producere non posset: negant Thomistæ communiter, Suarez, Conimbricenses, Complutenses nostri, Fasolus, Poncius, Mastrius, Hurtadus, Oviedus, Comptonus, &c. affirmant noster Bacho in primum distinct. 44ª. quæst. 1ª. art. 2°, Durandus, Ockam, Henricus, Aureolus, Arriaga, &c.

Resolutio.

CVI. Dico, potest Deus virtute sua absoluta producere creaturam omnium possibilium perfectissimam, sive tam perfectam ut perfectiorem producere non possit.

CVII. Probatur 1°. potest Deus virtute suâ absolutâ producere lineam omnium linearum longissimam, infinitam v. g. versus Orientem & Occidentem, & corpus ab omni parte in magnitudine infinitum, ac proinde illi communicare suam extensionem localem & immensitatem citra independentiam, quidni & alteri creaturæ suam omniscientiam, omnipotentiam, &c. citra independentiam? sed illa creatura esset essentialiter omnium creaturarum possibilium perfectissima, ergo, &c.

CVIII. Dices ex P. Poncio, si Deus posset ulli creaturæ communicare suam immensitatem, omniscientiam, omnipotentiam, &c. posset & suam independentiam, sed hoc dato (quod tamen impossibile omnino est) illa creatura non esset omnium possibilium perfectissima; ergo, &c. minor patet; Probatur major à pari.

CIX. Respondeo negando sequelam majoris; quia in independentia limitationis fundatur tota distantia & distinctio Dei à creatura; non verò in immensitate, omniscientiâ, omnipotentiâ, &c. participatis, & si posset Deus communicare suam independentiam possent esse plures dii, vel posset cessare esse positivè perfectissimus in omni genere perfectionis, v. g. in genere perfectissimi Domini omnium entium, quæ non sunt Deus, quod tamen est conceptus Deo essentialis; per hoc verò quòd communicet suam immensitatem, omnipotentiam, omniscientiam, &c. citra independentiam, non cessat esse positivè perfectissimus in omni genere perfectionis; quia retinet omnes suas perfectiones independentes independentiâ limitationis à quocumque alio, & non communicat nisi dependentes.

CX. Probatur 2°, si daretur creatura cui Deus se communicaret, quantùm est communicabilis ad extra, ea esset omnium possibilium perfectissima; atqui hæc prudenter dicitur possibilis, si ex eo quòd in actu ponatur non sequantur duo contradictoria, ergo, &c. major patet; Probatur minor, quia in eo nulla apparet repugnantia.

CXI. Respondet P. Oviedo probationem hanc habere fallaciam latentem valde; se tamen uno verbo illam aperire & argumentum dissolvere, negando suppositum; quia (inquit) cum dicitur, Deum posse producere creaturam perfectissimam, quam potest producere, supponitur inter creaturas, quas potest Deus producere, esse aliquam perfectissimam, quæ dicitur posse à Deo produci: quæ suppositio est falsa. Sed

CXII. Contra, quæro quare illa suppositio est falsa; possum enim elicere visionem perfectissimam omnium visionum, quas elicere possum, quidni & Deus producere posset perfectissimam omnium creaturarum, quas producere potest? ad hoc enim ut falsitas suppositionis prudenter allegetur, videndum priùs, an re bene perpensâ, judicetur duo contradictoria sequi ex eo quòd possibilis dicatur, an non potius oppositum, uti hic.

CXIII. Nec dicas Deum non posse ponere numerum maximum numerorum partium continui divisarum, quos ponere potest; quia alioqui continuum remaneret indivisibile; eò quòd Deus non posset majorem numerum divisionum ponere. Nam posset adhuc multos minores numeros ponere, imò & multos æquales, sicut creatâ unâ omnium creaturarum possibilium perfectissimâ citra independentiam posset adhuc multas imperfectiores producere, imò & multas æquales, quod non obstaret quo-

minus

minus produxisset perfectissimam negativè, de quâ tantùm procedit Resolutio, & non de perfectissima positivè; quidni enim positâ unâ perfectissimâ possibili, altera similis esset etiam possibilis; ex quo patet, quòd continuum non remaneret indivisibile.

CXIV. Confirmatur 1°. sicut potest Deus hoc instanti creare omnia creabilia hoc instanti, ita potest hoc instanti creare creaturam omnium creabilium hoc instanti perfectissimam; ac proinde, sicut potest hoc instanti creare creaturam omnium creabilium hoc instanti perfectissimam, ità absolutè potest creare creaturam absolutè perfectissimam; ergo, &c.

CXV. Confirmatur 2°, ad prudenter judicandum de rei possibilitate, videndum, an post doctum & maturum examen; ex eo quòd saltem per potentiam Dei absolutam res poneretur in actu, sequerentur duo contradictoria, ut supra Disput. 8. Dub. 3. ostendimus ab authoritate & ratione: atqui ex tali creatura in actu posita non sequerentur, ergo, &c.

CXVI. Objicies 1° ex P. Comptono Disput. 46. Physic. sect. 7. hæc Resolutio convinceret 1° dari ultimam durationem à parte post: 2° dari ultimum numerum omnium finitorum: 3° dari ultimam divisionem continui: juxtà hoc argumentum, potest Deus designare durationem Angeli ab hac hora remotissimam, quam potest: potest producere ultimum numerum, quem potest; potest ponere ultimam divisionem continui, quam potest, &c. sed hæc sunt evidenter falsa, ergò & Resolutio.

CXVII. Confirmatur, si quæ creatura esset talis, maximè esset aggregatum ex omnibus creaturis possibilibus; sed illa non est talis, ergo, &c. Probatur minor, quia sicut aggregatum ex omnibus numeris finitis possibilibus non est numerus omnium finitorum perfectissimus; alioqui vel unâ unitate additâ fieret infinitus, & sic *finitum additum finito faceret infinitum*, ita nec aggregatum ex omnibus creaturis possibilibus est creatura omnium possibilium perfectissima.

CXVIII. Respondeo negando assumptum: quia ex illis post doctum & prudens examen omnino videntur sequi duo contradictoria: ex primo quidem æternitatem esse finitam & infinitam, ex secundo autem, ex duobus numeris finitis fieri numerum infinitum; ex tertio denique continuum constare ex puris punctis: quæ, ut suis locis ostendimus, contradictoriè repugnant: at ex creatura omnium omnino, sive finitarum, sive infinitarum perfectissima, nullo modo post debitum examen judicamus talia, aut similia contradictoria sequi; & ex oppositâ sententia talem creaturam negante, contradictoria non obscurè inferimus, videlicet, Deum posse & non posse producere creaturam infinitam in magnitudine, duratione & intensione; posse quidem ob argumenta dubiis præcedentibus præmissa; non posse verò, quia per te non posset in aliis generibus infinitam, sicut in illis, producere; si sic, infero à pari, ergo nec in his; unde poterit, & non poterit talem creaturam producere.

Ad Confirmationem

CXIX. Respondeo non tantùm aggregatum illud esse tale; sed & esse possibilem unam simplicem istius aggregati perfectiones continentem; quia, *quæ sunt in imperfectioribus dispersa, in perfectiori reperiuntur unita*: ulterius autem nego minorem; & ad ejus probationem, Respondeo, quandoquidem idem numerus sit finitus, & infinitum conflet, aggregatum ex omnibus numeris finitis possibilibus, considerari posse dupliciter: 1° quâ parte numeri sunt finiti: 2° quâ parte sunt infiniti, sive quâ parte infinitum conflant: si 1ò modo, quandoquidem suprà omnem numerum finitum, sit aliquis infinitus, qui ex infinitis unitatibus conflatur, clarum est assignari non posse numerum omnium finitorum perfectissimum; quia semper restabunt plurimæ unitates ex numero infinito illi addibiles & illius perfectivæ: si secundò modò, aggregatum ex omnibus numeris finitis possibilibus procul dubio est numerus omnium omnino numerorum, & finitorum, & infinitorum perfectissimus, quia omnes numeros possibiles involvit, ex quo conficio argumentum pro nostra sententia, potest dari numerus omnium omnino numerorum perfectissimus, ergo potest dari creatura omnium creaturarum perfectissima, consequentia tenet à pari.

CXX. Objicies 2° authoritatem S. Dionysii de divinis nominibus cap. 8, *Dicamus, &c. quodque possit* (scilicet Deus) *etiam infinitè alias infinitas potentias, præter eas, quæ sunt, in lucem proferre; neque umquam potentiæ infinitæ & infinitæ in lucem probatæ, effectionem potentiarum effectricis ejus potentiæ, quæ omnem infinitatem superat, obscurare & obruere possunt.*

CXXI. Confirmatur ratione Divi Thomæ, quæcumque creatura supponatur producta, quantumvis perfecta sit, infinitè distat à Deo, ergo potest aliqua perfectior excogitari, media inter illam creaturam & Deum, quæ creaturam jam productam perfectione exsuperet, & maneat longè inferior Deo, ergo, &c.

CXXII. Respondeo S. Dionysium solùm velle Deum præter potentias, quæ sunt in lucem de facto positæ, posse infinitas alias proferre; nec Deum umquam positurum tam multas, ut obscurare & obruere possint ejus effectricem potentiam; quia scilicet nullam umquam producet à se non dependentem, & à se non infinities producibilem (si nimirum non sit essentialiter alligata tempori) prout est potentia Dei effectrix à creatura non dependens, & à creatura nequidem semel producibilis.

Ad Confirmationem

CXXIII. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; quia creaturæ infinita distantia à Deo non consistit in eo, quòd inter illam & Deum sit alia perfectior ipsâ & Deo imperfectior, sed in eo, quòd Deus habeat infinitas perfectiones, & creatura nullam ex illis; quia omnis perfectio Dei dicit independentiam ab alio, quod est, non Deus; & omnis perfectio creaturæ dicit dependentiam ab alio, quod est Deus: sic patet ad totum fundamentum P. Oviedi.

CXXIV. Objicies 3°. in numeris oportet in infinitum ire, nec ullus assignari potest, quò non possit assignari perfectior; ergo similiter in creaturis potest in infinitum iri, nec ulla assignari potest, quâ non possit assignari perfectior.

CXXV. Respond. distinguendo antecedens, in numeris rerum permanentium oportet in infinitum ire, nego antecedens; possunt enim simul & semel omnes poni; successivarum, ad quos attendit S. Augustinus 12. de Civit. cap. 8. dum dicit *numeros sine fine posse augeri*, concedo antecedens; sed hoc non impedit quominus detur creatura om-

nium possibilium perfectissima; quia non est necessarium quòd contineat formaliter perfectiones entium essentialiter successivorum; sed satis est, quòd illas contineat eminenter: deinde in infinito in multitudine rerum possibilium continentur omnes numeri rerum omnium successivarum, ut patet ex dictis supra: unde licèt in numeris rerum successivarum oporteat ire in infinitum; id tamen non obstat quominus detur unus absolutè omnium numerorum negativè perfectissimus, ita ut Deus non possit positivè perfectiorem producere, prout contendit nostra Resolutio.

CXXVI. Objicies 4°. saltem ex Resolutione istâ sequitur illam creaturam habere perfectionem simpliciter infinitam, quandoquidem infra illam sint creaturæ illâ imperfectiores, infinitæ possibiles.

CXXVII. Respondeo negando sequelam; quia cum vix assignari possit species, quæ sub se infinitas imperfectiores geometricè & secundùm aliquam proportionem non contineat, omnes etiam valde imperfectæ species, haberent perfectionem simpliciter infinitam, quam tamen Theologi soli Deo, sive enti habenti perfectionem simpliciter simplicem, seu nullam includenti imperfectionem, concedunt: unde calculatio ista omnino fallit, nec vera est, nisi secundùm proportionem, secundùm quam fit accretio; sic nempe, ut sit geometricè & proportionaliter perfectior, & istâ, quæ est finitæ perfectionis, & istâ hâc imperfectiore, & istâ hâc iterum imperfectiore, & sic in infinitum; non verò sic, ut sit arithmeticè & simpliciter perfectior unâ vel pluribus creaturis simpliciter infinitè perfectis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Continuo & ejus Continuatione.

I. COntinui difficultas continua est, utì & infiniti infinita; tantumque Philosophos hucusq; torsit, ut nullus sanæ mentis sit, qui sibi ex integro satisfactum asserat; unde meritò eximius Dominus Fromondus Doctor Lovanienſis materiam de Continuo Labyrinthum vocat, quem plures intrent, sed nullus, alioqui etiam longè eruditissimus, exeat. Vt tamen aliorum more de Continuo aliquid disputemus, sit

DVBIVM I.

Quid & quotuplex Continuum.

RESOLVTIO I.

II. DIco 1°. Continuum hîc juxta Aristotelem lib. 6°. cap. 1°. *est cujus partes loco immediatæ sunt unum*, puta unitate morali; quia non datur continui, ut infra ostendemus, continuatio realis: contiguum autem juxta eundem, est, *cujus partes loco immediatæ sunt multa*, id est, non unum unitate morali, sed multa multitudine oppositâ uni unitate morali; inter quæ autem loco immediata reperiatur unitas moralis, & inter quæ multitudo moralis, infra patebit.

RESOLVTIO II.

III. DIco 2°. continuum, aliud permanens, & est *cujus partes simul existunt*, ut materia prima: aliud successivum, & est *cujus partes fluxu quodam aliæ aliis succedunt*, ut tempus.

DVBIVM II.

An Continuum componatur ex puris indivisibilibus mathematicis.

IV. ANte Resolutionem Suppono indivisibilia mathematica, ut opponuntur Physicis, esse illa, quæ omni omnino parte destituuntur, sic ut nec ab ipso Deo dividi possint: Physica verò ut opponuntur mathematicis, quæ quidem absolutè habent partes, sed sic, ut naturaliter dividi non possint; vel ob exiguitatem; vel ob qualitates divisioni repugnantes: tamen divinitus à Deo dividi possunt. Hoc suppositò, sit

RESOLVTIO.

V. DIco contra Zenonem & alios ex antiquioribus Stoicis, è recentioribus verò Gregorium Ariminensem, Cornelium de Sancto Patricio, Arriagam, Tellez, & alios, quos hic magno numero Physicæ Disput. 35ª. sect. 1ª citat: continuum permanens non componitur ex puris indivisibilibus mathematicis. ita D. Fromondus in suo Labyrintho cap. 25. Suarez, Conim, Hurtadus, &c.

PROBATIO I.

Ex hoc Axiomate *Indivisibile additum indivisibili non facit majus.*

VI. PRobatur 1° ratione Physicâ desumptâ ex Aristotele lib. 6°. cap. 1°: evidens est continuum aliquod integrum esse majus & magis extensum, quàm sit quælibet ejus pars; item ex additione novarum partium, ex quibus componitur fieri majus & extensius; atqui *indivisibile additum indivisibili non facit majus*, ergo continuum non componitur ex puris indivisibilibus mathematicis: minor probatur, & confirmatur improbatione rationum, quibus, Arriaga, Oviedus, Tellez, & alii hanc minorem rejiciunt.

VII. Respondet 1°, P. Tellez ad minorem, solemne illud Axioma non transire cancellos nostræ opinionis, ac proinde in sua opinione non admittendum: 2°, unitas numerica in ratione numeri indivisibilis, addita unitati numericæ, facit plus quoad numerum, ergo indivisibile additum indivisibili facit etiam majus, quoad locum: 3°, puncta indivisibilia loco immediatè contigua, non se penetrant, quia ad hoc ut se non penetrent, sufficit, quod

quòd utrique puncto respondeant in spatio extrinseco diversa puncta, uti revera correspondent; siquidem est unum punctum immediatè positum post aliud, atque adeo in diversis locis: quod declarat in puncto terminativo linearum in centro circumferentiæ, quod quamvis tangat secundùm se totum omnes lineas deductas ad centrum, non est tamen intrinsecè in lineis deductis ab ipso puncto centri; alioqui sequeretur quòd esset intrinsecè in infinitis lineis realiter distinctis, & consequenter quòd esset simul naturaliter in pluribus locis, quod repugnat: sed contra

VIII. Respondeo, ad 1^um inprimis solemne illud axioma debere esse absolutè, & in omnium sententia, verum, sic ut non solùm cancellos nostrę Opinionis transeat, sed & Patris Tellez, ac aliorum ipsius sententiæ fautorum scrinia penetret: sint igitur tria puncta prima spatii continui . . . vel secundum punctum recedit à primo, vel non? si recedat, vel recedit secundùm se totum, vel secundùm partem? non secundùm partem; quia per te est mathematicè indivisibile: neque secundùm se totum; quia alioqui non faceret continuum contra suppositum: si non recedat, neque recedet tertium, neque quartum, &c. ac proinde nulla erit extensio continua; sed non est quid aliud dicat; ergo in omnium sententia hoc solemne Axioma, *in divisibile additum indivisibili non facit majus*, debet esse verum, sic, &c.

IX. Corroboratur solutio ista: sint duo puncta loci indistantia, & trahat Deus lineam indivisibilem per ista puncta; vel linea transibit per utrumque punctum adæquatè, vel per utrumque inadæquatè, sic, ut eorum aliquod sit extra lineam illam transversam indivisibilem? si primum, sicut à puncto lineæ tranversæ non recedunt, sed sunt in eodem loco penetrativè cum illo, ita nec ab invicem recedunt, sed sunt in eodem loco inter se: non secundùm, quia supponuntur esse mathematicè indivisibilia; deinde cum se tangant adæquatè haud minùs, quàm ubi formæ & ubi materiæ, velim scire, cur potius ab invicem adæquatè recedant, quàm ubi formæ & ubi materiæ; unde liquet non posse dari indivisibilia se adæquatè tangentia, & tamen non penetrata; secus fit in inadæquatè sese tangentibus; quia semper habent aliquid extra id iu quo se tangunt: ex quo ulterius sequitur duo puncta non posse adæquatè à se recedere, & non esse loco discreta, sed loco continua.

X. Responderi fortè posset, hoc sensu secundum punctum recedere secundùm se totum à primo, quòd sit locus indivisibilis secundùm se totum extra primum.

XI. Sed contra, quæro quomodo secundùm se totum sit extrà primum? quandoquidem, si essent extra invicem immediata, nec plus, nec minùs sed eâdem correspondentiâ intrinsecâ ad invicem, se tangerent. Deinde, cum dico punctum secundum spatii continui non posse recedere à primo, & remanere continuum, contendo non posse esse extra primum, & remanere continuum (& posse non probatur;) quòd autem extra primum esse nō possit, à nobis jam ostensum est: hîc enim continuò decipitur adversariorum intellectus, Continuum ex duobus indivisibilibus apprehendens, per modum continui ex divisibilibus: divisibilia enim continua semper sunt extra invicem, quia quodlibet divisibile secundùm quodlibet sui, semper habet partem extra partem; unde quodlibet divisibile secundùm omnem partem in ipso assignabilem semper est extra aliud divisibile: è contra verò indivisibilia continua semper sunt intra invicem, saltem negativè; quia cum non habeant partes, non satis intelligitur quomodo intra invicem esse possint positivè, aut se invicem penetrare (attende ad indivisibilia loca, quia alia indivisibilia iterum fallunt adversarios, dum putant illa posse esse extra invicem continua per existentiam in duobus locis indivisibilibus continuis, vel contiguis, quæ jam impugnamus) quia sunt secundùm se totum intra se, & secundùm nihil sui, habent aliquid extra se: oppositorum enim opposita est ratio.

XII. Respondeo ad 2^um, quod adfert, esse disparitatem, in eo, quòd *plus* quoad numerum, minùs dicat in suo conceptu formali, quàm *majus*: *plus* enim solùm dicit duo entia, sive continua, sive contigua tantùm, sive conjuncta, sive non; *majus* verò dicit duo entia continua extra invicem, quomodo esse non possunt si sint indivisibilia mathematica, ut ostendimus, licèt esse possint extra invicem discontinua, & discontinua facere *plus* sive numerum.

XIII. Respondeo ad 3^um (præterquam quòd supponatur falsum videlicet duo puncta indivisibilia posse esse loco immediatè contigua, & se non penetrare ut vidimus ante) distinguendo assumptum; ad hoc ut duo puncta, &c. se non penetrent, sufficit quòd utrique puncto respondeant in spatio extrinseco diversa puncta intra invicem existentia, uti tantùm revera respondent, si indivisibilia, nego assumptum: extra invicem, quomodo revera non respondent, si indivisibilia, concedo assumptum; sed indivisibilia hoc modo non respondent; unum enim punctum indivisibile, si cum altero continuum, non potest esse positum post aliud, ut vult P. Tellez; nec infra, nec supra; nec ad dexteram, nec ad sinistram ut vult P. Oviedus; sed intra aliud esse debet, propter rationem à nobis supra datam: declaratio autem, quam adfert præfatus P. Tellez, nulla est, quia inprimis supponit falsum videlicet à puncto centri circumferentiæ posse deduci lineas puris indivisibilibus constantes, quas terminet: hoc tamen gratis dato, illud erit intrinsecè in singulis lineis, & non erit; erit, quia continuum cum illis, continuum verò ex puris punctis indivisibilibus non habet ullam extensionem localem; non erit, quia in summitate illæ lineæ recederent ab invicem, ac proinde deberet esse in pluribus locis adæquatis naturaliter, sicut lineæ sunt in summitate, quod naturaliter repugnat.

XIV. Respondet 2^o. P. Oviedus, illud Axioma etiam habere vim contra sententiam Aristotelis & nostram; quod ita probat: partes divisibiles se tangũt secundùm aliquid divisibile, quod habet prius & posterius; ergo ut se tangant secundùm prius & posterius debent se penetrare secundùm prius ipsarum; ergo ut se tangant secundùm illud posterius debent se etiam penetrare secundùm illius prius & posterius, & sic de aliis; ac proinde debent se totaliter penetrare, ut se tangant; & consequenter, sive indivisibile additum indivisibili, sive divisibile additum divisibili (cum etiam illud tangere debeat) non facit majus.

XV. Respondeo divisibilia sic se tangere, ut

sint tantùm indistantia secundùm partem divisibilem indivisibiliter sumptam, modo infra explicando; argumentum autem illud supponit falsum, videlicet dari adæquatè prius, prout condistinguitur contra posterius, in quo fit contactus; omne enim prius, utpote divisibile, semper prius & posterius involvit: si autem petas, an, casu quò Deus traheret lineam indivisibilem mathematicè per id præcisè, in quo partes se tangunt, quod ad utramque partem spectat, esset in eodem loco cum linea, necne? Respondeo omnino negandum talem lineam esse possibilem; quia alioqui deberet in loco continuo habere ubi divisibile sibi respondens; ac proinde continuum componi deberet ex partibus & punctis infinitis, quod infra impugnabimus.

XVI. Instare posset, si duo indivisibilia se tangentia dicantur esse intra invicem, se penetrare, &c. duo divisibilia se tangentia secundùm id præcisè & indivisibiliter, quo se tangent, non dicentur facere majus, dicentur esse intra invicem, se penetrare, &c. sequela tenet à pari.

XVII. Respondeo negando sequelam, quia apertè supponit falsum, videlicet dari partes determinatas (saltem respectu Dei) secundùm quas præcisè & indivisibiliter duo divisibilia se tangant; quod tam falsum est, quàm quòd sint in continuo diviso partes determinatæ (saltem respectu Dei) secundùm quas præcisè & indivisibiliter continuum divisum initietur & terminetur: Deus enim tales partes non videt; quia, cum quælibet pars continui, sive initians, sive medians, sive finiens, sit in infinitum divisibilis, ut contendimus; habet partes plures & plures in infinitum divisibiles, ita ut Deus nullam videat, quæ non sit ex essentia sua in infinitum divisibilis: unde sicut Deus non videt unam continui partem, quam ulterius in minorem dividere non possit; quia quælibet (utpote ex essentia sua divisibilis) est ex essentia sua ulterius divisibilis: sic Deus non videt unam partem, quæ in minori aliam tangere non possit; quia quælibet (utpote ex natura sua tangibilis) est ex natura sua ulterius tangibilis; tactus autem de facto fit in minima parte, in qua fieri potest; ac proinde in minori & minori in infinitum, quia alia minima non datur; & consequenter Deus non videt in qua parte determinata fiat, licèt omnes partes videat se tangentes & tangibiles; quia fit in parte minori & minori in infinitum.

XVIII. Vrgeri posset; contactus ille est determinatus, adeoque in parte determinata, & non in minori & minori in infinitum.

XIX. Respondeo contactum illum esse determinatum; non quòd sit in parte determinata adæquatè tacta, sed inadæquatè tacta secundùm partem sui minorem & minorem in infinitum: sic proportionaliter etiam quælibet divisio continui est determinata & quilibet finis continui determinatus; non quòd sit in parte adæquatè terminante, sed inadæquatè terminante secundùm partem sui minorem & minorem in infinitum.

PROBATIO II.

Ex velocitate & tarditate motus.

XX. PRobatur 2°. si continuum componatur ex puris indivisibilibus mathematicis, mobile velocissimum & tardissimum æquali motu necessariò movebuntur, neutrum tardius aut celerius moveri poterit; sed hoc est contra manifestam experientiam; ergò, &c. Probatur major, quia si moveantur supra lineam quinque punctorum v.g. tardius non poterit primo instanti, minùs quàm unum punctum loci acquirere, & velocius non plusquam unum, & sic de aliis instantibus: unde, vel tardius debebit interquiescere; vel velocius eodem indivisibili instanti esse in pluribus locis punctualibus adæquatis; vel movendo se plura puncta loci saltare: sed primum est contra suppositum; quia supponitur, & experientiâ probatur, continuò moveri, licèt tardè; & alioqui continuò interquiescere deberet lapis molaris è cœlo cadens, quod est ridiculum, cum habeat semper causam motus æque expeditam, & medium idem, & sanè quis credet tormenti glandem velocissimè per aëra volantem millies amplius interquiescere, quàm moveatur? quod negari non poterit comparatione factâ ad motum solis aut primæ sphæræ millies & amplius celerius se moventis: deinde nullus motus naturalis esset continuus; quia per Deum semper potest dari celerior: secundum est contra experientiam & communem Philosophorum doctrinam.

XXI. Adde idem esse de tertio, quis enim umquam expertus est nos posse transire de extremo ad extremum naturaliter non existendo in medio.

XXII. Respondent 1° Galenus, Valesius, Arriaga, Oviedus, &c. mobile tardius interquiescere, nec sinè fundamento (inquit P. Oviedus) quia lapis molaris de cœlo cadens non movetur, nisi producat impulsum in aërem; mobile autem motum non movetur eo instanti, quo impulsum recipit, nec mobile movens moveri potest, nisi illud moveatur; unde motus mobilis moventis est tardior, aut velocior pro remissione, aut intensione impulsus, quem in mobile alterum imprimit: sed

XXIII. Contra, non aliter mobile motum impulsum recipit, quàm quia movetur; nam impulsum non agnoscimus distinctum à movente, motione & corpore moto; movens enim per seipsum immediatè movet, uti Libro secundo supra Disp. 3ª. Resol. 4ª. & infra lib. 8. Disput. 6. Dub. 1°. diximus; ac proinde, cum dicit P. Oviedus mobile non moveri eo instanti, quo impulsum recipit (præterquam quòd id videatur gratis dictum) sensus est, mobile non movetur eo instanti, quo movetur, in quo est aliqua in terminis contradictio: deinde, hoc dato, experientia contrarium docet; quia experimur omnes pedem nostrum moveri eo instanti, quo impulsum in illum imprimimus, si per impulsum moveatur; & reverà non est, cur non moveretur, cum eo instanti, quo est causa, possit esse effectus.

XXIV. Respondebis 2° ex eodem P. Oviedo, hoc argumentum, etiam contra Aristotelem, & nos, militare; quod sic probat: moveatur mobile tardissimum & velocissimum per idem spatium: illud decurrat velocissimum horæ quadrante; tardissimum mense integro: tardissimum non poterit primâ parte temporis, minùs quàm unam partem loci acquirere, & velocissimum non plus, quàm unam, & sic de aliis partibus temporis; unde, vel tardissimum debebit interquiescere, vel velocissimum eâdem parte temporis esse in pluribus locis divisibilibus adæquatis, vel movendo se plura divisibilia

loci

loci saltare; sed primum est contra experientiam. Vide cætera ut supra statim num. 19.

xxv. Contra, admisso casu, Respondeo tardissimum primâ parte temporis (puta divisibili) acquisiturum partem loci minorem illâ, quam eâdem parte temporis acquiret velocissimum; ac proinde eidem parti temporis correspondsuras pauciores partes motus mobilis tardissimi, plures motus mobilis velocissimi: quomodo autem eâdem parte temporis possit mobile velocissimum esse in pluribus locis divisibilibus adæquatis, quàm sit tardissimum; non possit autem esse eodem indivisibili instanti nisi in uno indivisibili loci, sicut est tardissimum: ratio est, quia sicut in pluribus indivisibilibus temporis potest mobile esse in pluribus locis adæquatis indivisibilibus; ita in una parte temporis divisibili potest esse in pluribus locis adæquatis divisibilibus, eisque majoribus, aut minoribus, pro tarditate, aut velocitate ipsius motus; nam, licèt eidem indivisibili puncto temporis non possit respondere, modò minor, modò major locus, pro tarditate, aut velocitate motus mobilis; ne alioqui simul & eodem instanti sit in duobus locis adæquatis; eidem tamen divisibili parti temporis potest respondere, modò minor, modò major locus, pro tarditate, aut velocitate motus mobilis; quia eâdem parte divisibili temporis potest mobile esse in duobus locis adæquatis; eò quòd videlicet pars divisibilis temporis contineat partes temporis proportionales infinitas, quibus mobile potest esse in pluribus locis adæquatis, ut patet.

xxvi. Adde, quòd si admitterent mobile moveri in parte proportionali temporis, in quadrante non esse pauciores partes temporis proportionales, quàm in mense, imò quàm in anno; ac proinde velocissimum posse in quadrante percurrere idem spatium, quòd tardissimum percurrit in mense.


PROBATIO III.

Ab Absurdis.


xxvii. Probatur 3°. ex oppositâ sententia plurima sequuntur absurda, ad sensum & oculum falsissima.

xxviii. 1°. Dari lineas, quæ in duas medietates æquales dividi non possint, videlicet illas, quæ constabunt punctis numero imparibus ut 5. 7. 9. &c. si enim dividantur, semper habebunt alteram medietatem longiorem, alteram breviorem, ut patet.

xxix. 2°. Lineam immediatè supra basim pyramidis sex punctis altæ, & tribus latæ, fore majorem & minorem lineâ basis; majorem, quia, ut constat ex adjecta figura, erit sex punctorum; linea verò basis trium tantùm; minorem, quia debet excedi per utrumque latus lineæ basis; ac proinde non posset esse nisi unius puncti, quod iterum est ad sensum & oculum falsissimum, falsiusque apparebit, quò pyramidem altiorem feceris.




xxx. 3°. Quòd diameter, seu linea secans globum, sit æqualis semicirculo; quia habebit tot puncta ac semicirculus; nam si à quolibet puncto circumferentiæ semicirculi trahantur lineæ rectæ & perpendiculares ad diametrum, nulla trahi poterit ad idem punctum; alioqui enim non esset recta & perpendicularis.



xxxi. 4°. Quòd in rota circulus immediatus axi, foret æqualis circulo supremo; nam à singulis punctis supremis circuli ad axem duci poterunt lineæ rectæ & perpendiculares, per circulum immediatum axi, & nullæ lineæ, transire poterunt per idem punctum hujus minoris, ut statim dictum est.



xxxii. 5°. Lineam diametralem, in quadrato, angulis supra, eversò, ductam ab angulo ad angulum fore ferè duplo majorem, & æqualem lineæ laterali: duplo majorem, quia si lineæ costarum cõstent 10 punctis, duci poterunt 10 lineæ incipiendo à duobus punctis costarum vicinis angulo per lineam diametralem: æqualem verò, si angulis quadri collateralibus à costa recta ad costam aliam rectam ducantur rectæ lineæ, quia illæ pertransibunt singula puncta lineæ diametralis; alioqui enim punctum quod non pertransiretur esset medium inter duo puncta immediata costarum, quod est impossibile, cum immediata sint, & lineæ immediatæ.



xxxiii. Alia argumenta, tam geometrica, quàm Physica, vide in labyrintho D. Fromondi, maximè cap. 8°. 13°. 15°. 16°. 19. 21. 22. 23°. 24°. & 25. & ex præmissis solùm collige, vel rotam non posse moveri, vel radios ipsius, etiam ferreos, à quocumque movente, etiam debilissimo, debere incurvari, vel frangi & discontinuari; nam circulus axis rotæ, tam celeriter & tot puncta indivisibilia spatii conficiet, ac circulus supremus rotæ, vel tardius & pauciora? si primum, circulus axis minor habebit tot puncta & erit tam magnus, ac circulus rotæ major, quod, ut contra omnem sensum & experientiam, supra rejectum est: si secundum, ergo radii rotæ circa axem, circa quam tardius movebuntur interquiescent, & circa circulum majorem, circa quem celerius moventur, ad novum punctum loci promovebuntur; ac proinde radii rotæ circa axem, etiam ferrei & ex quacumque materia fortissimi incurvabuntur, vel potius frangentur aut discontinuabuntur.

xxxiv. Respondet P. Oviedus hîc num. 4°. radios rotæ ductos à circulo supremo ad circulum axis nullo modo disrumpi, sed tantùm levissimè inflecti, etiamsi ferrei sint; neque (inquit) laicis impugnationibus hæc inflexio in radio ferreo, & quocumque alio, quantumvis duro, impugnanda est; sæpissimè enim videmus durissima ferra funibus intorta flecti, & quotidie videmus chalybe attemperatum ensem à cuspide in capulum infinuari; in quibus omnibus moribus partes quædam mo-

ventur immotis aliis, & nulla continui accedit divisio. sed

XXXV. Contra 1°. si inflecterentur radii rotæ, cessante motu rotæ, appareret earum inflexio, sicut apparet, si facta fuerit extra motum rotæ, nisi fortè fingas radios illos in motu rotæ toties rectificari, quoties incurvantur.

XXXVI. Contra 2°. quomodo fit, quòd puer levissimo ictu movens rotam baculo per medium axis in aëre sustentatam inflectat radios ferreos, quos sinè aliis instrumentis fortissimus homo extra motum rotalem nullâ vi inflectere potest? hæc reverâ videntur ad omnem sensum & oculum falsissima; neque exempla, quæ adfert, faciunt ad rem; quia nec puer illa funibus intorta inflectere potest, uti posset tum radios illos in levissimo motu, tum ensem illum chalybe attemperatum, ut experientia docet.

XXXVII. Vnde non video quâ ratione doctissimi Mathematici & recentiores Philosophi ingenio acres à P. Oviedo in hac re consulti (ut scribit) omnes uno ore ipsi testati fuerint totam difficultatem nostri argumenti, doctrinâ ab ipso traditâ exhauriri, nullique principio Philosophico, aut Mathematico, non esse consonam. Sed

XXXVIII. Addes cum P. Oviedo, vellem, ut aliqua ex his argumentis sibi solvenda suscepissent Aristotelici, siquidem omnia æquè omnes premūt, quod si perpendissent, non Zenonistas adorirentur telis, quæ in ipsos absque ullâ operatione quisque retorquet: ita ille hîc.

XXXIX. Fateor hæc argumenta à nobis clarè, & quasi ad oculum, solvi non posse; quia ab infinito pendent, quod in se obscurissimum est, & ad oculum non patet; solvi tamen possunt eâ claritate, quâ omnes Philosophi de natura infiniti discurrunt, totumque evitando, quod in sensu & omnium oculis est falsissimum, à quibus procul absunt Zenonistæ, & Oviedus post illos: itaque ad hoc ultimum argumentum,

XL. Respondeo rotam posse moveri, nec radios ipsius, etiam vimineos, discontinuari aut incurvari; non imprimis discontinuari, quia licèt in continuo ex puris indivisibilibus unum ex immediatis punctis non possit moveri immoto alio remanente continuo, eò quòd in punctis continuis non detur correspondentia extrinseca collateralis supra vel infra, ante vel post, quam hîc malè supponere videtur P. Oviedus, ut supra diximus contra eundem, & Patrem Tellez; potest tamen in continuo ex puris divisibilibus, una ex immediatis partibus moveri immotâ aliâ remanente continuâ; quia in partibus divisibilibus continuis datur correspondentia extrinseca collateralis, supra vel infra, ante vel post, immotâ aliâ remanente continuâ: ulterius ostendo præfatos rotæ radios in motu non incurvari; circulus enim minor axis, quidem tardius & pauciores partes spatii conficit, quàm circulus supremus rotæ, non ideo tamen radii rotæ circa axem, circa quem tardius movebuntur, interquiescent, sed in simili parte temporis, in qua movetur circulus major, pauciores partes spatii divisibilis conficient: quomodo autem fieri possit, quòd eâdem parte temporis mobile velocius plures partes spatii occupet, quàm tardius, etiam supra ostensum est. Sed

XLI. Difficultas manet, quomodo partes superiores continui recti possint eâdem parte temporis esse in pluribus locis adæquatis, quàm inferiores sinè incurvatione, uti fieri dicimus in radiis motæ rotæ: ut tamen hanc difficultatem (cui sicut & aliis supra nemo potest satisfacere, inquit P. Porcius, & propterea addit, se nescire, quantum ad rationem attinet, utra sententia, Aristotelis, an Zenonis, sit verior; cui ingenia inquit P. Oviedus, succubuere magna; quam Arriaga ait, se numquam solutam vidisse, neque illam se solvere præsumere) quasi stupidam saltem & torpentem faciam.

XLII. Respondeo partes superiores continui recti in motu quidem esse in pluribus locis adæquatis, quàm sint inferiores, quia moventur ad motum circuli majoris, & sunt magis recedentes à puncto rotæ centrali, sive rotæ centro; inferiores verò ad motum circuli minoris, & sunt minùs recedentes à puncto rotæ centrali, sive rotæ centro; non tamen ideo continuum rectum inflecti, aut incurvari; quia, tam partes superiores cum superioribus, quàm inferiores cum inferioribus, semper in motu & quiete eandem distantiam & proximitatem ad invicem servant, uti ad sensum & oculum manifestissimum est; & eâ proportione, quâ magis vel minùs à puncto centrali rotæ recedunt, & majorem vel minorem à se invicem distantiam habent, celerius vel tardius moventur, prout supra à n. 30. monstratum est; sed in quiete magis superiores, quàm inferiores à puncto centrali rotæ recedunt, & majorem cum superioribus distantiam habent, quàm inferiores cum inferioribus; ergo in motu superiores possunt eâdem parte temporis esse in pluribus locis adæquatis, quàm sint inferiores, & tamen nulla pars inflecti aut incurvari, magis quàm in quiete propter servatam illam proportionem; ut autem ad penultimum argumentum, & cætera supra contra contrariam sententiam allata respondeam.

XLIII. Nota in linea non recta non esse unquam plures partes perpendiculo commensurabiles cum recta, aut minori non recta, quàm supponantur absolutè esse in illa recta, aut non recta minori, cum qua commensuratur; quia dispositio partium, non rectè, talis aut talis, parum aut multùm angulis erectis supra, facit, quòd, ut commensurationi perpendiculari subjacet, sive prout perpendiculo commensuratur, eodem modo se habeat, ac si partes ipsius non occuparent plura divisibilia adæquatè, quàm absolutè occupent partes lineæ rectæ, aut non rectæ minoris, cui commensuratur: quòd autem illa dispositio id faciat, patebit clarè, si perpendiculum cadat à linea supra curvam æquali lineæ magnæ infra curvam, aut si ex duabus lineis rectis decem partium aliquotarum una supra alterius medietatem in semicirculum erigatur: ex quibus patet longè aliud esse triangulum in quadrato habere absolutè plures partes quàm habeat linea diametralis; semicirculum aut pyramidem, quàm basis; circulum excentricum quàm concentricus; aliud habere plures partes commensurabiles perpendiculo; quia commensuratio per perpendiculum non respicit partes ut absolutè tot vel tot, sed ut ita vel ita dispositas; dispositio enim sæpius facit (ut jam ostendi) quòd curvum habens absolutè viginti v. g. partes aliquotas, non habeat nisi decem perpendiculo cum alia recta, aut curva, commensurabiles; quam diversam dispositionem (videlicet angulis parum vel multùm erectis supra, ita ut

lineæ,

lineæ, quæ à linea superiori ad inferiorem trahuntur, plures simul partes, pertranseant) quia non possunt habere puncta mathematica, sit ut illa argumenta vim habeant contra Zenonistas, non verò contra nos.

XLIV. Adde probationem secundam non habere ullam difficultatem in nostra sententia; quia, hoc dato, quòd fiat pyramis alta sex partibus aliquotis æqualibus tribus partibus aliquotis basis, duæ primæ partes sub cuspide non recedunt ab invicem longitudine partis aliquotæ sibi æqualis, prout in sententia Zenonis debent duo prima puncta sub cuspide, uno puncto sibi æquali (ut ita dicam) recedere; sed parte medietati suæ æquali; duo sequentia unâ parte sibi æquali; alia duo sequentia parte cum media, & sic proportionaliter usque ad basim: unde linea basis erit ad medietatem alicujus ex partibus aliquotis, quibus componitur major lineâ intermediâ sibi immediatâ: quòd verò in nostra sententia quælibet linea possit dividi in duas partes æquales, patet; quia, cum quælibet pars continui sit in partes infinitas divisibilis, medium lineæ semper est divisibile in duas partes æquales; non verò medium punctum mathematicum in sententia Zenonis. Ex his

XLV. Collige, continuum non posse magis componi ex punctis indivisibilibus mathematicis infinitis, quàm ex finitis, quia si finita indivisibilia addita finitis non faciant majus, neque infinita addita infinitis facient majus; deinde alioqui quodlibet continuum contra omnem sensum & oculum deberet esse infinitè extensum, quia constaret partibus non communicantibus æqualibus uni certæ infinitis, quod necessariò est infinitè extensum.

DVBIVM III.

An Continuum componatur ex partibus indivisibilibus virtualiter extensis.

ANte Resolutionem

XLVI. Suppono, indivisibilia virtualiter extensa (quæ à nonnullis vocantur etiam indivisibilia Physica, ab aliis minima Physica) esse puncta realiter indivisibilia; virtuales tamen partes habentia; ita ut modò majorem, modò minorem locum occupent, pro raritate, aut densitate sua. Hoc supposito, sit

Resolutio.

XLVII. DIco contra Democritum & Lusippum, quos videtur secutus Gregorius à Valentia, continuum non componitur ex punctis indivisibilibus virtualiter extensis.

XLVIII. Probatur, quia illa, corporea essent, uti continuum, quod conflant; & non essent; quia, nonnisi essent extensa, utì res spirituales, tota in toto & tota in qualibet parte loci, quod implicat, ergo, &c.

XLIX. Confirmatur, quia per illa puncta virtualiter extensa non vitantur, sed potiùs augentur, difficultates continui, quæ in sententia, tum Zenonis, tum Aristotelis reperiuntur, ad quas tamè vitandas à suis authoribus sunt conficta. Prob. anteced. pro prima parte, quod difficultates quæ in sententia Zenonis reperiuntur non vitentur: quia etiam linea constans punctis istis imparibus non poterit in duas medietates æquales dividi, eò quòd ab alterutra parte se tenere debeat punctum intermedium indivisibile; secus in nostra sententia, in qua pars intermedia est divisibilis: deinde, vel unum punctum tale constabit partibus virtualiter extensis infinitis, vel punctis tantùm virtualiter infinitis? si prius (præterquam quòd, vel pars illius virtualis A sit sic correspondura punctuali loco A, ut illi correspondeat pars illius virtualis B, vel non? si primum, pars A realiter distinguetur à parte B, quia illa realiter distinguuntur quibus convenit esse & non esse in loco A, ut omnes fatentur; si secundum, & utraque utrique loco correspondeat, frustra est illa extensio virtualis, ut consideranti patebit, & planè dicendum erit, prout de Deo dicendum puto, illud esse in loco divisibili, modo quodam à nobis incomprehensibili, quo vel unico titulo puncta illa expingi deberent) manifestè incurruntur omnes difficultates sententiæ Aristotelis; non enim poterit motus incipere; continuum quodlibet constabit infinitis partibus virtualibus puncto majoribus, &c. si posterius, omnes difficultates sententiæ Zenonis non evacuantur; quia, cum sint de eo quod realiter fit, & realiter divisibilia non sint; planè sunt impertinentia & ad eas evacuandas, præsertim quoad divisionem lineæ in duas partes æquales; quoad motum velociorem & tardiorem; quoad pyramidem, quadrum, &c. de quibus supra impertinentia, ergo, &c.

L. Adde quòd illa minima poterunt redigi ad punctum mathematicum, quo casu continuum componetur ex illis, non secus ac ex punctis indivisibilibus mathematicis, ac proinde per illa non vitantur difficultates sententiæ Zenonis.

DVBIVM IV.

An Continuum componatur ex partibus in infinitum divisibilibus.

Resolutio I.

LI. DIco continuum componitur ex partibus in infinitum divisibilibus. ita Aristoteles 6°. Physic. cap. 1°. & 2°, quem omnes ferè Peripathetici sequuntur, & generatim Scotistæ & Thomistæ, eximius Doctor Fromondus in suo labyrintho cap. 25°, Suarez, Hurtadus, Conimbricenses, &c. unde Tellez fatetur hanc sententiam esse communiorem.

LII. Probatur, continuum non componitur ex puris indivisibilibus finitis aut infinitis; neque ex partibus finitè tantùm divisibilibus, ergo componitur ex divisibilibus in infinitum: consequentia patet, quia aliæ partes, ex quibus componatur, non supersunt: Probatur antecedens pro prima & secunda parte ex dictis de divisione lineæ in partes æquales; de pyramide; de quadro; de velocitate aquilæ, & tarditate testudinis; de motu rotæ, &c. item probatur antecedens pro tertia parte: quia si omnes continui partes possent dividi usque ad indivisibilia, ejus nihil remaneret, ut patet, nisi indivisibilia, ac proinde continuum compone-

poneretur ex solis indivisibilibus, ergo, &c. Hinc

LIII. Colliges nihil esse tam minutum, in continuo, quin à Deo possit in infinitum ulterius dividi, ac proinde alam unius muscæ posse secundùm profunditatem à Deo in tot partes dividi, ut centum mundis, huic æqualibus, tegendis sufficiant, ut patebit consideranti naturam continui, & Dei omnipotentiam; idem dic de folio chartæ aut acie cultri; nec id mirabilius, quàm omnia mirabilia, quæ contra omnem sensum & oculum admittere debent Zenonistæ.

SOLVVNTVR

Varia Argumenta contra Zenonem facta, & ab Adversariis in sententiam nostram retorta.

LIV. PRimum Argumentum, *quod indivisibile additum indivisibili non faciat majus*, supra Dub. 2° est in nostram sententiam retortum & solutum; insuper tamen adverte Adversarios continuò decipi, supponentes, dari posse punctum aliquod mathematicè indivisibile, quod additum alteri faciat majus, illud non penetret, &c. quod ibi sufficienter improbatum est.

LV. Secundum argumentum de eo, quòd Euclides lib. 6°. elementorum doceat, *quamlibet lineam posse dividi in tot partes æquales, in quot potest alia dividi.* & lib. 8° propos. 10ª. ubi docet *quamlibet lineam posse dividi in duas partes æquales.* quod hoc modo in nostram sententiam retorquet P. Tellez Physic. Disput. 35. sect. 2ª. *& certè, ut verum fatear, nescio quo pacto sibi, vel nobis persuadere intendunt hi Philosophi, quòd una linea longitudinis unius digiti dividi possit in tot partes, in quot dividi potest linea, quæ extendatur ab Vlißippone usque ad ultimos orbis incolas; & consequenter, quòd tot partes habeat unum granum milii, quot partes habet Orbis universus: certè ego potius vellem semel negare hanc opinionem, quàm toties admittere sequelam adeo absonam & paradoxam,* &c. Sed

LVI. Contra, absonum quidem & paradoxum est admittere tot partes uni certæ æquales in linea digitali, quot admittuntur in linea ab Oriente in Occidentem longa; sed nihil tale sequitur, ex eo quòd tot solùm proportionales, & minores, ac minores in infinitum, in una, quot in alia, admittantur; imò insuper ista Euclidis principia salvantur, ubi ab adversariis, negatione contra experientiam destruuntur.

LVII. Tertium argumentum de trianguli lineis collateralibus sex punctorum supra basim trium punctorum, hôc modô in nostram sententiam retorquet, P. Tellez loco citato: omnes lineæ habent infinitas partes, ergo linea basis non habet plures partes, quàm linea proximior angulo. Sed

LVIII. Contra, licèt quælibet linea constet partibus proportionalibus infinitis; non constat tamen partibus æqualibus uni certæ infinitis; unde in nostra sententia linea basis simpliciter est major lineâ proximiori angulo; unde vitamus absurdum quòd contra Zenonem objicimus; nec illud adversarii, & nominatim P. Tellez, evitare possunt, nisi paradoxa priora prioribus admittant, videlicet, supra basim trium punctorum sese non penetrantium, non posse pyramidem tribus punctis, aut pluribus, altam erigi, sed requiri plura puncta; vel enim illa plura essent finita? & est eadem tunc difficultas: vel infinita? & reverà si centum millia non sufficiant ad erectionem tantillæ pyramidis, infinita posse sufficere, non videntur.

LIX. Quartum argumentum de linea secante globum, hoc modo retorquent in nostram sententiam Adversarii: semicirculus plures habet partes, quàm linea secans circulum, si enim tot præcisè haberet non esset major, & consequenter unum granum milii tot partes haberet, quot cœlum empyreum; quod si concedant Adversarii (inquit P. Tellez) non est quòd contra illos argumentemur. Sed

LX. Contra, Respondeo, ut ante, semicirculum plures habere partes æquales uni certæ, quàm linea secans circulum; non verò plures proportionales: unde, sive à qualibet parte æquali uni certæ semicirculi, sive à qualibet proportionali ejusdem, cum major sit, quàm lineæ secantis, trahatur linea ad secantem, numquam reperies tot partes in linea secante, ac in semicirculo; sed in supremitate linearum magnas inter ipsas vacuitates, in infimitate verò magnas constipationes: in sententia autem Zenonis, cum sit recessus à puncto in punctum, non nisi æquales supra & infra distantiæ & proximitates reperiri possunt.

LXI. Quintum de motu tardiori & velociori: hoc modo in sententiam Aristotelis retorquet P. Tellez; si in eadem parte temporis, potest dari adæquatio cum parte spatii majoris cur non poterit unum instans ratione velocitatis correspondere duobus punctis spatii. Sed

LXII. Contra; si pars temporis adæquetur parti spatii, semper pars parti proportionali spatii adæquatur, sic, ut eodem tempore idem corpus non sit in duobus locis adæquatis; si verò instans adæquetur parti spatii, idem corpus eodem instanti est in duobus locis adæquatis, quod putamus naturaliter esse impossibile.


SOLVVNTVR

Aliæ Objectiones.

LXIII. OBjicies 1°. si continuum est divisibile in infinitum & constat partibus in infinitum divisibilibus, constat partibus infinitis aliquotis sive æqualibus uni certæ: sed hoc est falsum, ergo, &c. minor patet, quia alioqui esset infinitè extensum quoad magnitudinem, non secus ac in sententia Zenonis continuum constans infinitis punctis mathematicis; Probatur major, quia est divisibile in infinitas partes non communicantes, id est, nihil invicem includentes. Pro solutione hujus argumenti,

LXIV. Nota partium continui alias esse communicantes, alias non communicantes; alias communicantes proportionales, alias non communicantes proportionales; aliquas communicantes æquales, aliquas non communicantes æquales: pro harum autem definitionibus propone tibi lineam duorum pedum sequentem, cujus primum semipedem vocabis A. secundum B. tertium C. quartum

D. partes



D. partes communicantes sunt, quæ non adæquatè se invicem excludunt, sed inadæquatè se invicem includunt & participant, ut pes A usque ad C, respectu B usque ad D. Non communicantes è contra, quæ adæquatè se invicem excludunt, ut pes A. B, respectu pedis C. D. Communicantes verò proportionales, quæ certâ proportione mediæ ad mediam partem, v. g. semper in minorem & minorem, decrescunt, ut media pars pedis A usque ad C. respectu mediæ partis B usque ad D, & illius media pars, & sic in infinitum. Non communicantes autem proportionales, ut media pars semipedis B, respectu semipedis A; & media pars hujus mediæ partis respectu alterius oppositæ sibi mediæ partis, & sic in infinitum: Communicantes denique æquales sunt, ut pes E usque ad F, respectu pedis A usque ad C; & C usque ad finem; & non communicantes æquales ut pes C D, respectu pedis A B: Adde non communicantes ordinarie vocari à Philosophis aliquotas, quia aliquoties geminatæ coæquantur toti. Hoc notato ad argumentum,

LXV. Respondeo negando majorem pro secunda parte, ad ejus probationem distinguo majorem continuum est divisibile in infinitas partes non communicantes æquales uni certæ, nego majorem, in infinitas communicantes, vel non communicantes inæquales, concedo majorem; sed quia hæ semper magis & magis tendunt ad indivisibile mathematicum, quod additum alteri non facit majus, ideo, nec illæ faciunt majus & majus, &c. seu infinitum in magnitudine, sed semper minus & minus in infinitum: unde in quolibet continuo, admitto quidem infinitas partes non communicantes inæquales & proportionales, quæ quia infinities decrescunt in magnitudine, non possunt facere majus, quàm sit ipsum totum, ex quo sumuntur; non verò infinitas æquales non communicantes & aliquotas, quæ tantum faciunt infinitè extensum, sive infinitè magnum, quia infinities crescunt in magnitudine.

LXVI. Instabis; partes proportionales non communicantes sunt infinitæ, & pars quælibet proportionalis est major puncto indivisibili; sed si ex punctis indivisibilibus infinitis exurgeret magnitudo, ea foret infinita; ergo multò magis ex partibus proportionalibus exurgens, erit infinita, sive infinitè magna.

LXVII. Objicies 2°. si continuum constaret partibus in infinitum divisibilibus, sequeretur majorem & minorem quantitatem esse æqualem: sed hoc est absurdum; ergo, &c. minor patet; Probatur major, quia tam una, quàm altera, posset in ulteriores & ulteriores partes in infinitum dividi; ergo, &c.

LXVIII. Respondeo negando sequelam; ad ejus probationem distinguo, tam una, quàm altera posset in ulteriores, &c. æquales non communicantes dividi, nego; major in majores, minor in minores, concedo.

LXIX. Objicies 3°. si continuum sit semper divisibile non poterit inchoari motus, nec spatium vel unius pedis pertransiri: quod sic ostenditur, priusquam perveniatur ad spatium uno digito extensum, infinitæ illius partes fuerint pertranseundæ, & aliæ, atque aliæ semper priores; non potest autem infinitum pertransiri; ergo, &c.

LXX. Respondeo negando utramque sequelam, ad ejus manifestationem distinguo, priusquam perveniatur ad spatium uno digito extensum, infinitæ illius partes proportionales & inæquales uni certæ fuerint pertranseundæ, & aliæ, atque aliæ, semper priores tales, concedo; sed tale infinitum, licèt numerando pertransiri non possit, potest tamen pertransiri progrediendo; quia in qualibet parte temporis, cum sit divisibilis, potest mobile esse in pluribus locis adæquatis: ac proinde in spatio unius digiti, aut etiam majori, pro celeritate sui motus: infinitæ illius partes aliquotæ & æquales uni certæ fuerint pertranseundæ, & aliæ, atque aliæ semper priores tales, nego; illud autem solum, quia infinitè simpliciter extensum, progrediendo pertransiri non potest. Hinc

LXXI. Colliges, quomodo contra Achillem Zenonis mobile velocissimum possit assequi tardissimum intra eandem horam, licèt tardissimum præcesserit; non enim progressio fit numerando partes proportionales spatii, ut videtur supponere; sed pertranseundo eâdem parte aliquotâ temporis partem aliquotam spatii, quæ, quia major est pro majori celeritate motus, hinc est, quòd mobile velocissimum facilè assequatur tardissimum, licèt præcesserit: pro majori tamen hujus intelligentia advertere debes, sive à testudine mobili tardissimo, sive ab Achille mobili velocissimo, in actu exercito transiri omnes partes proportionales spatii collectivè, prout faciunt partem spatii extensam aliquotam, quæ comparativè ad eandem partem temporis aliquotam sit major, vel minor, pro celeritate motus: non verò distributivè, prout faciunt multitudinem partium proportionalium; quia sic contra experientiam numquam veniretur ad finem: unde motus non est ex ratione sua numerativus partium proportionalium, sed est commensurativus extensionis aliquotæ ex proportionalibus conflatæ; quod ut facilius intelligas, attende, quod si eadem qualitas esset realiter color & sonus, & in ipsam solus noster auditus tenderet, & non visus, in actu exercito attingeretur ut sonus, non verò ut color; sic similiter, quia eædem partes sunt numerus partium proportionalium & extensio aliquota, & in ipsas solus tendit motus, & non intellectus numerans; ideo in actu exercito attinguntur ut extensio aliquota; non verò ut numerus partium proportionalium.

LXXII. Objicies 4°. globus perfectè sphæricus tangit perfectè planum in puncto, aut indivisibili; ergo si moveatur, vel circumrotetur per totum planum, non nisi in indivisibili tanget

get planum; ergo corpus planum ultimatè constat ex solis indivisibilibus: Probatur antecedens, quia alioqui illud tangeret in parte divisibili & extensa, cui similis pars globi responderet, quod est falsum, cum globus supponatur esse perfectè sphæricus, ergo, &c.

LXXIV. Respondeo negando antecedens; ad ejus probationem. Respondeo nullum globum sic esse perfectè sphæricum, ut circumferentia ejus terminetur punctis continuis; sed tantùm sic, ut terminetur partibus minoribus & minoribus in infinitum proportionaliter, cui similes partes in plano respondeant: unde patet contra P. Tellez hîc Disput. 35. section. 1ª *globum ipsum non continere tormentarium vulnere inevitabili*, ut loquitur: neque necessarium esse pro argumenti istius solutione contra omnem experientiam adstruere, cum PP. nostris Complutensibus, saltus globi imperceptibiles de puncto in punctum, ultra partes.

LXXV. Instabis ex P. Comptono Physicæ Disp. 43. sect. 2ª. globus perfectè sphæricus merè gratis solùm ad vitandam vim argumenti negatur, ergo, &c.

LXXVI. Respondeo negando assumptum; ratio enim globum perfectè sphæricum negandi, est, illa ob quam Dubio sexto, negabimus puncta indivisibilia continuantia aut terminantia continuum.

DVBIVM V.

An in continuo sint partes actu inter se distinctæ.

LXXVII. SEntentia negans tribuitur Averroæ, Divo Thomæ, Durando, Capreolo, Valesio, Fonsecæ, Camerario, Fasolo, Tannero, & Italis jam communius: dicunt enim partes in continuo, nec esse finitas, nec infinitas actu; sed nullas actu; ut difficultates sententiæ Aristotelicæ de partibus in infinitum divisibilibus eludant; unde consequenter asserunt partes actu fieri dumtaxat vel per divisionem continui, vel per partium designationem, aut hæterogeneitatem, aut diversam qualificationem: contra quos sit

RESOLUTIO.

LXXVIII. DIco, in continuo sunt partes actu inter se distinctæ ante omnem continui divisionem, partium designationem, hæterogeneitatem, aut diversam qualificationem, ita ut faciant multitudinem. ita subtilissimi PP. Gregorius Ariminensis, in primum distinct. 24. quæst. 1. art. 2°, Suarez, Conimbricenses, nostri Complutenses, Rubius, Murcia, &c.

LXXIX. Probatur 1°, unum esse actu distinctum ab alio, est unum non esse actu aliud; sed partium in continuo ante omnem continui divisionem, &c. una non est actu alia, ergo, &c. major patet ex fusè dictis in Logica de distinctione: Probatur minor, quia alioqui una esset eadem actu & realiter cum alia, ac proinde nullâ potentiâ posset ab alia separari; quia idem à seipso separari non potest, ergo, &c.

LXXX. Probatur 2°, partes continui aliquando actu realiter separantur; ergo ante omnem separationem sunt actu realiter distinctæ: antecedens constat manifestâ experientia; Probatur consequentia, quia realis separatio præsupponit aliquam distinctionem; non virtualem, aut rationis tantùm, quia, quæ virtualiter aut ratione tantùm distinguuntur, sunt realiter inseparabilia, ut omnes fateri debent; ergo actualem; ac proinde ante omnem separationem partes continui sunt, actu distinctæ.

LXXXI. Probant 3° alii; non potest eadem entitas esse naturaliter in diversis locis; affici contrariis; seipsam causare, &c. sed si omnes partes continui ante divisionem essent una entitas, id fieret, tum in aëre, qui hîc & Romæ esset idem continuum; hîc calidus, Romæ frigidus; tum in igne, qui continuò per idem lignum serperet, & novos ignes sibi per aggregationem continuaret. Sed contra; miror ab illis non adverti diversa loca contraria, esse causam, effectum, &c. importare aliquam partium designationem, ante quam solùm negant adversarii esse partes actu in continuo: Adde multas probationes P. Poncii, & aliorum eâdem inadvertentiâ laborare. Quare aliter

LXXXII. Probatur 3°, quia alioqui partes per divisionem aut designationem crearentur; siquidem antea non fuissent, & essent per divisionem aut designationem, non tamquam per eductionem, ergo tamquam per creationem.

LXXXIII. Nec dicas, nos docuisse supra esse partem, esse dominationem extrinsecam à conceptu; nam licèt id verum sit, esse tamen distinctam partem non est determinatio extrinseca; sed negatio in entitate partis fundata: unde si ante omnem denominationem extrinsecam à designatione extrinseca, pars non sit à cæteris distincta, ante illam non erit secundùm entitatem; ac per consequens ipsa debebit formam illam creare, ut dictum est.

LXXXIV. Probatur 4°. partes continui successivi distinguuntur actu ante omnem divisionem, &c. ergo & permanentis; consequentia tenet à pari: Probatur antecedens, quia dum existit una, v. g. præsens, non existit alia, scilicet præteritum & futurum.

LXXXV. Confirmatur 1° ex Aristotele libro 5. Metaph. cap. 12°. *continuum est divisibile in ea, quæ ipsi insunt*, ita etiam Divus Thomas Metaphor. lect. 15ª, idipsumque videtur definitum in Tridentin. sess. 13ª, cap. 3°. ubi dicitur, *totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie & sub ejus partibus existit*; atqui est divisibile in partes realiter actu distinctas, ergo ipsi insunt ante omnem divisionem, &c. sicut ipsi insunt secundùm dictionem multa tota actu, multa hoc aliquid, &c. ante divisionem, in quæ est divisibile, licèt ei non insint secundùm separationem localem.

LXXXVI. Confirmatur 2°. si partes ante divisionem sint eædem inter se; vel sunt eædem per aliquid indistinctum, vel per aliquid distinctum: non prius; quia, cum numquam distinguantur à seipsis realiter actu, semper essent eædem realiter actu, etiam post divisionem: non etiam posterius, quia implicat unum identificari alteri per aliquid à se distinctum, sicut

implicat

implicat unum identificari alteri realiter à se distincto, ergo, &c.

LXXXVII. Objicies 1°. multa loca Aristotelis, quibus videtur insinuare partes continui non esse actu distinctas ante divisionem, &c. sed potentiâ tantùm. Primus, 3°. Physic. textu. 56°. ubi ex eo, quòd continuum sit divisibile in infinitum, docet non esse actu infinitum, sed sufficere si sit infinitum potentiâ, ergo solùm vult partes esse potentiâ in continuo, non verò actu.

LXXXVIII. Secundus, 8. Physic. textu 68. ubi sic habet, in eo, quod continuum est, sunt infinita dimidia proportionalia, vel dimidiæ partes infinitæ, & numerabiles, non reipsâ, sed potestate: sic etiam 7°. Metaphysic. ait, duplum conflari ex duobus dimidiis potestate.

LXXXIX. Tertius, 4°. Physic. textu 44°. ubi dicit quædam esse potentiâ in loco, quædam actu; partes autem continui ante divisionem esse in loco potentiâ tantùm; post divisionem, esse actu.

XC. Respondeo propter hæc loca, & locum pro nostra sententia citatum, mentem Aristotelis videri dubiam; commodè tamen intelligi posse, ita, ut quando 3°. Physic. docet, ex eo, quòd continuum sit divisibile in infinitum non esse actu infinitum, tantùm velit, non esse infinities actu *hoc aliquid*; sed sufficere, si potentiâ sit infinities *hoc aliquid*; ratio est, quia Philosophi simpliciter per ens actu intelligunt ens completum, totum aliquod, &c. quod solùm est simpliciter *aliquid*. Vide dicta p. 1ª. Tract. 1°. Disp. 2ª. dub. 4. in Quæstiunc. Sic etiam intelligi potest 8°. Physic. & 7°. Metaph. imò & 4°. Phys. nisi malis dicere Aristotelem 4°. Physic. tantùm velle partes continui ante divisionem non ambiri loco extrinseco seu à superficie alterius corporis, sed unam partem ab alia comparte ejusdem continui ambiri; nam, ut patet in ligno tripedali, secundus pes majori ex parte à primo & tertio ambitur; ut autem aliquid dicatur simpliciter esse actu in loco, debet actu à superficie alicujus corporis circumcingentis ambiri. Hinc patet ad illud argumentum, quod à ratione fieri solet; cum dividitur continuum, tollitur aliqua unitas, quæ priùs erat, ergo ponitur aliqua multitudo, quæ priùs non erat, videlicet partium. Non enim de partibus id intelligi debet, sed de entibus completis, totis, &c. quæ ante erant unum, non quidem ratione indistinctionis, sed ratione continuationis; post verò multa, non quidem etiam ratione novæ distinctionis, sed ablatione continuationis.

XCI. Objicies 2°. si aliquæ partes continui essent actu distinctæ ante omnem designationem, &c. omnes essent tales, ob paritatem rationis; sed hoc dici non potest, ergo, &c. probatur minor, quia alioqui continuum constaret ex indistinguibilibus, ac per consequens ex indivisibilibus; quia, quæ non possunt ulterius distingui, non possunt ulterius dividi; nam distinctio præsupponitur ad divisionem.

XCII. Respondetur à multis concessâ majore, negando minorem, ad ejus probationem distinguendo primam sequelam; quia alioqui continuum constaret ex indistinguibilibus, id est partibus carentibus partibus actu distinctis, vel possibilibus distingui, prout constat in sententia Zenonis, dum in ea constat punctis indivisibilibus Mathematicè, negatur sequela: constaret ex indistinguibilibus, id est ex partibus ita inter se distinctis, ut inter se ulterius distingui non possent, conceditur sequela: verùm hæc Responsio non placet quia indistinguibile hoc sensu, quòd ulteriùs in alias partes distingui non possit, nec ulteriùs in alias, partes dividi potest, ac proinde isto sensu indistinguibile revera est indivisibile mathematicum; unde continuum deberet constare ex indivisibilibus mathematicè, quod per objectionem intenditur. Quare aliter

XCIII. Respondeo distinguendo sequelam majoris: si aliquæ partes continui essent actu distinctæ ante omnem designationem, &c. omnes essent adæquatè inter se actu distinctæ, nego sequelam; adæquatè, vel inadæquatè, concedo sequelam; non enim aliter distinguuntur partes inter se, quàm sint ab invicem divisibiles; quia ad distinctionem realem continuorum sequitur necessariò separabilitas seu divisibilitas realis quoad locum & unionem, ut attendenti patebit.

XCIV. Instabis, *unum* & *distinctum ab alio* sunt idem; sed continuum non est toties unum, quot habet partes; ergo non habet omnes partes, etiam inadæquatè actu inter se distinctas: major admittitur; probatur minor, quia non omnes partes sunt inter se divisæ; unum verò definitur, *quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio*; ergo, &c.

XCV. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem distinguo antecedens: non omnes partes sunt inter se divisæ, prout ly *divisum* sumitur ut idem est ac secundùm unionem separatum, concedo antecedens; prout ly *divisum* sumitur in definitione *unius*, nego antecedens; definitionis autem *unius*, videlicet *unum est quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio*, est hic sensus, *unum est quod est id quod est, & non est quodlibet aliud*; pro quo vide dicta in Logica tract. 1. disp. 2. de Distinct. dub. 1°.

DVBIVM VI.

An Continuum possit dividi in omnes suas partes.

Resolutio I.

XCVI. Dico 1°. Continuum non potest etiam per divinam omnipotentiam, simpliciter dividi in omnes suas partes, sic ut omnes omnino partes non sint ulteriùs divisibiles.

XCVII. Probatur, quia alioqui continuum non fuisset compositum ex continuis essentialiter, sed ex indivisibilibus essentialiter, cujus contrarium supra contra Zenonem defendimus, ergo, &c. Probatur antecedens, quia omnes partes, quæ remanerent, essent ulterius indivisibiles, ac proinde, puncta indivisibilia mathematica.

XCVIII. Objicies tamen, nulla est pars continui, quæ aliquam includat essentialiter, & quæ non possit adæquatè distingui & separari, ergo, &c.

XCIX. Respondeo distinguendo antecedens, nulla est pars continui, quæ aliquam determinatam & non communicantem includat essentialiter, concedo antecedens; quæ aliquam indeterminatam & communicantem non includat essentialiter, nego antecedens.

C. Instabis, supra omnes partes continui nulla datur indeterminata & communicans; sed pars continui A. v. g. neque istam includit essentialiter, & ab illa potest adæquatè distingui & separari, ne-

que istam & ab illa potest adæquatè distingui & separari, & sic de cæteris; ergo pars continui nullam etiam indeterminatam & communicantem includit essentialiter.

CI. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem; sed pars continui, neque istam communicantem includit, &c. & sic de cæteris communicantibus, nego minorem; quia de essentia cujuslibet partis semper sunt partes communicantes: non communicantem & sic de cæteris non communicantibus, concedo minorem; ratio est, quia illæ sunt adæquatè distinctæ.

CII. Adde 1°. quòd super omnes distributivè sumibiles, sive distribuibiles, semper sint aliquæ, puta una indeterminata ex qualibet totali collectione omnium partium cujuslibet partis; hæc enim, neque afficit totam distributionem, neque totam collectionem, quia distributio & collectio sunt entium determinatorũ; sed media est, & una indeterminata ex qualibet totali collectione, ut exemplo equorum infra patebit; quia partes continui non sunt aliter distribuibiles, quàm divisibiles, & omnis pars, quæ sumitur distributivè, semper alias includit; quia sicut divisio non est inter partes indivisibiles, ita nec distributio, sive distributiva sumptio.

CIII. Adde 2°. argumentum à sensu distributivo ad collectivum non semper valere, ut ex equis infra constabit, & subjectis exemplis, *& iste homo habet tantùm unum nasum, & ille homo habet tantùm unum nasum, & sic de cæteris distributivè sumptis*, ergo *omnis homo collectivè habet tantùm unum nasum*: item, *& ille homo est tantùm unus homo, & ille homo est tantùm unus homo, & sic de cæteris distributivè sumptis, ergo omnis homo collectivè est tantum unus homo*; à particularibus enim ad universale collectivè non semper est bona inductio, licèt bona sit à particularibus ad universale distributivè, uti & si in ascensu affirmativo, à particularibus ad universale, quod de universali affirmatur, non conveniat particularibus, ut particularibus, ut hîc, *& ille homo est unus homo & ille etiam, & iste, &c. ergo omnis homo collectivè sumptus est plures homines* Negativus tamen ascensus à particularibus ad universale sæpe fallit, ut, *ad equitandum non indigeo isto equo, neque isto, & sic de aliis distributivè sumptis*, ergo *ad equitandum nullo indigeo equo*, unde pro ascensu negativo semper advertendum, an non sequatur aliquod absurdum; quod hic sequitur, nempè me posse equitare sine equo, quod est perabsurdum.

Resolutio II.

CIV. Dico 2°. contra varios recentiores, implicat, etiam per divinam potentiam, continui totalis resolutio in omnes partes proportionales unius proportionis.

CV. Probatur, positâ illâ totali resolutione in omnes partes unius proportionis, peto, an in collectione omnium partium istius resolutionis, sit aliqua futura irresolubilis secundùm illam proportionem, vel non? si prius, cum illa resolutio sit in medietates, dabitur una, quæ in duas medietates non erit resolubilis, atque adeo una, quæ erit indivisibilis in continuo, quod implicat: si posterius, ergo non est facta totalis resolutio continui in omnes partes istius proportionis, contra hypothesim positam; ergo, &c.

CVI. Confirmant aliqui, quia alioqui sequeretur nos nunquam venturos ad finem horæ: sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probant sequelam, in prima parte proportionali horæ dividat Deus pedem in duas medietates; in secunda illas duas in quatuor; in tertia illas quatuor in octo, & sic consequenter; in fine horæ, vel omnes erunt divisæ in omnes dimidietates proportionaliter minores, in quas dividi possunt, vel non? si sic, ergo remanebunt aliquæ indivisibiles, videlicet illæ, quæ in medietates proportionaliter minores non erunt ulteriùs divisibiles; si non, ergo non erunt omnes divisæ in omnes partes proportionales unius proportionis, contra suppositum. Verùm hæc confirmatio non multùm urget; quia revera sic per medietates procedendo nunquam veniemus ad finem horæ, ut consideranti patebit; unde illa dici debet fluere, non secundùm partes proportionales, sed secundùm aliquotas uni certæ æquales, licèt indivisibiliter sumptas.

CVII. Objicies tamen, potest Deus ponere omnes divisiones continui quascunque videt possibiles; si enim non potest, quomodo videt possibiles? ponat igitur omnes quascunque videt possibiles, ponet omnes; nam alioqui, si restaret adhuc aliqua, non posuisset omnes quascunq; vidisset possibiles, aut certè non vidisset omnes possibiles, ergo, &c.

CVIII. P. Oviedus hujus argumenti (quod difficillimum vocat P. Arriaga) hîc puncto 5°. n. 1°. facilè & clarè totam difficultatem à se exhauriendam promittit, & eo fine, dicit 1°. Deum cognoscere omnes divisiones possibiles, negat tamen divisiones illas omnes possibiles, posse inter se cohærere: dicit 2°. Deum cognoscere posse multitudinem aliquam infinitarum divisionum posse existere; negat tamen Deum umquam cognoscere posse divisiones omnes posse existere.

CIX. Sed contra: Oviedus dicit 1°. Deum cognoscere omnes divisiones possibiles, postea negat divisiones omnes posse existere, quomodo ergo omnes possibiles, si non possint omnes existere? 2°. dicit Deum cognoscere omnes divisiones possibiles, negat tamen divisiones illas omnes possibiles posse inter se cohærere, numquid eo modo, quo Deus cognoscit omnes divisiones possibiles possunt inter se cohærere? omnino. Quare aliter faciliùs, ad argumentum & clariùs, quod revera est difficillimum,

CX. Respondeo distinguendo antecedens; potest Deus ponere omnes divisiones quascunque videt possibiles; videlicet partium non communicantium, & eô modô, scilicet distributivè, quô videt illas omnes possibiles, concedo antecedens; communicantium, & aliô modô, scilicet collectivè, quàm videt illas omnes possibiles, nego antecedens: Deus autem non videt omnes collectivè, & partium communicantium, possibiles; quia alioqui videret omnes partes, post omnes divisiones collectivè; esse indivisibiles Mathematicè; sed partium communicantium distributivè tantùm, quia cum distributio afficiat semper numerum finitum, nunquam per illam pervenietur ad omnes collectivè divisiones.

CXI. Instabis, omnes partes continui non sunt indivisibiles, ergo sunt divisibiles.

CXII. Respondeo distinguendo antecedens, omnes partes continui collectivè, non sunt indivisibiles hoc sensu, quòd negent omnem divisibilitatem, ut punctum Mathematicum aut spiritus, concedo

concedo antecedens; hoc sensu, quòd, licèt ex partibus compositæ, negent omnem omnino separabilitatem ab omni alia parte collectivè, nego antecedens; quia, ut sæpius dictum est, nulla est pars, quæ aliam communicantem & indeterminatam essentialiter non includat; indeterminatam, inquam, non quòd sit indifferens ad esse vel non esse; sed quòd, quatenus essentialiter inclusa in alia, à Deo non videatur, licèt ut in se videatur; sic enim unus equus dicitur mihi necessarius ad equitandum, non quidem equus indifferens ad esse vel non esse; sed quem Deus determinare non possit, quatenus est mihi necessarius ad equitandum; quia quemcunque determinârit, non erit necessarius, eò quòd alius (suppositâ possibilitate omnium) sufficiet, cum ad equitandum solùm requiratur hic vel ille equus: nec mirum si Deus unum necessarium determinare non possit; quia cum necessitas supra unum determinatum non cadat; sed supra unum ex tota collectione & indeterminatum; determinatio verò supra unum determinatum cadat; unus necessarius equus ad equitandum (& idem est de una parte necessaria ad continuum) determinari, etiam à Deo, non potest, magis, quàm indeterminatum ut tale esse determinatum.

CXIII. Vrgebis, potest Deus ponere aliquas divisiones aliquarum partium collectivè sumptarum, ergo & omnes omnium partium collectivè sumptarum: probatur consequentia: quia ponat tot collectiones divisionum, quot potest, ipse posuerit omnes collectiones divisionum omnium partium collectivè sumptarum: sed potest ponere tot, quot potest, ergo, &c.

CXIV. Respondeo 1°. retorquendo argumentum: *potest Deus videre aliquos numeros aliquorum equorum collectivè sumptorum non esse necessarios ad equitandum, ergo omnes omnium equorum collectivè sumptorum non esse necessarios ad equitandum:* negabis procul dubio consequentiam: quia unus equus, saltem indeterminatus, essentialiter requiritur ad equitandum. Item hôc modô: *potest Deus videre aliquos numeros dierum æternitatis collectivè, non esse necessarios ad glorificandum Deum: ergo & omnes omnium dierum æternitatis collectivè:* procul dubio etiam negabis consequentiam: quia una dies indeterminatè est essentialiter requisita ad glorificandum Deum: unde & in argumento allato, etiam neganda consequentia: quia similiter una pars, saltem indeterminata, est necessaria ad continuum: sicut autem supra omnes numeros equorum omnium collectivè sumptorum nullus datur, ita nec super omnes divisiones omnium partium collectivè sumptarum ulla datur.

Ad probationem autem consequentiæ, distinguo majorem: sed priùs

CXV. Nota ly *tot, quot, tantũ, quantum, quidquid*, &c. sumi dupliciter: 1°. positivè tantũ: 2°. positivè, & negativè præterea: si sumantur positivè tantùm, designant magnitudinem, vel multitudinem aliquam, quæ sub potentiam istam cadat, abstrahendo, an possit, aut non possit major sub illam cadere: si verò sumantur positivè & negativè præterea, designant magnitudinem, vel multitudinem talem, quæ quidem sub istam potentiam cadat, sed ita, ut non possit major sub illam cadere: hoc notato

Ad probationem consequentiæ,

CXVI. Distinguo majorem, ponat Deus tot collectiones divisionum, quot potest, sumendo ly tot, quot, positivè tantùm, ipse posuerit omnes collectiones divisionum omnium partium collectivè sumptarum, nego majorem; nam sic hujus propositionis, *ponat tot collectiones divisionum, quot potest*, est v. g. hic sensus, *potest collectiones decem divisionum centum partium ponere, eas ponat, posuerit omnes*, &c. quod est apertè falsum; sumendo ly tot, quot positivè & negativè præterea, ipse posuerit omnes, &c. concedo majorem; nec mirum, quia sic hujus propositionis, *ponat tot collectiones divisionum, quos potest*, sensus est, *ponat tot collectiones ut non possit plures, ipse posuerit omnes*, &c. quod est omnino verum; sed absolutè negandum Deum posse ponere tot collectiones divisionum, quot potest, sumendo ly *tot, quot*, positivè & negativè præterea; quia hoc est ponere divisiones usque ad continui indivisibilia, quæ cum in continuo non sint, ut probatum est, eas divisiones Deus ponere non potest.

CXVII. En similia argumenta: *Videat Deus tot collectiones equorum non esse necessarias ad equitandum, quot potest sumendo ly* tot, quot *positivè & negativè; ipse viderit omnes collectiones omnium equorum collectivè sumptorum non esse necessarias ad equitandum, & consequenter, nullum equum esse necessarium ad equitandum; quod non admittes*, & reverà id est contra evidentem rationem. Item, *videat Deus tot numeros dierum æternitatis collectivè non esse necessarios ad glorificandum Deum, quot potest, sumendo ly* tot, quot *positivè & negativè, ipse viderit omnes dies æternitatis collectivè non esse necessarios ad glorificandum Deum*; quod similiter non admittes, & reverà evidenter rationi repugnat; in Deo enim non est posse, nisi ad possibilia, è quorum numero ista non sunt.

DVBIVM VII.

An dentur in Continuo indivisibilia continuantia aut terminantia ejusdem rationis cum Continuo.

ANte Resolutionem

CXVIII. Suppono indivisibilia continuantia dici, quæ sunt formalis ratio continui, sive id quô partes continui continuantur & uniuntur inter se; terminantia verò, quæ continuum terminant, seu finiunt: partem affirmativam tuentur Scotistæ, Thomistæ, & è Societate plures, &c. negativâ Nominales: P. Poncius verò, *etiam in hac difficultate* (inquit) *existimo incertum esse quid dicendum, quia sunt argumenta insolubilia pro utraque parte.*

Resolutio.

CXIX. DIco contra eximios PP. Scotum, Conimbricenses, Suarez, Sotum, Rubium, nostros Complutenses, Murciam, Telles, Oviedum, Comptonum, &c. in continuo non dantur indivisibilia continuantia, aut terminantia, ejusdem rationis cum continuo: ita Okam Tractatu de Sacramento Eucharistiæ cap. 1°. & 2°. Gregorius in 2^um^ dist. 2ª. q. 2ª. art. 1°. & omnes Nominales communiter, Durandus, Perreira, Dandinus, & nuper profundus D. Fromondus in suo Labyrintho à cap. 3°.

CXX. Probant nonnulli: quia inter punctum initiativum quantitatis pedalis & cætera omnia puncta,

cta, quæ non sunt ipsum, mediat aliquid, quod non est punctum; nam post punctum non sequitur immediatè aliud punctum; ergo est pars, & consequenter continuum aliquod sine puncto: verumtamen hæc probatio videtur supponere falsum, videlicet esse aliquid assignabile, quod sit medium inter primum punctum & cætera puncta, quod punctum non includat; id enim negabunt Adversarii, sicut negamus inter unionem determinatam & cæteras uniones esse partem assignabilem, quæ unionem non includat. Quare aliter

CXXI. Probatur 1°. vel illa indivisibilia ex essentia sua uniunt partes, vel non? si non, ergo sunt superflua ut continuent; quia præter illa, aliæ ad continuationem, tum partium, tum ipsorum, requiruntur uniones: si sic, ergo sunt uniones modales (quod negant;) quia erunt ultima & actualis determinatio in ratione uniendi.

CXXII. Probatur 2°. Annihilatio & creatio respectu creaturarum existentium est naturaliter impossibilis, sed in illa sententia deberet esse naturaliter possibilis, ergo, &c. Probatur minor, quia in naturali divisione materiæ desinit punctum continuans ejusdem rationis cum materia, & in naturali ejus continuatione incipit, ergo, &c.

CXXIII. Resp. varii Thomistę non nisi inter partes quantitatis dari talia indivisibilia; quia substantiæ & qualitates à quantitate accipiunt partes. Sed

CXXIV. Contra 1°. id satis rejectum est in Logica Disputatione de quantitate dub. 1°. 2°. rogo in quo illa indivisibilia quantitatis subjectentur; non in divisibili parte quantitatis, quia ipsa est subjectum improportionatum, ergo in indivisibili continuativo substantiæ subjectari debet. 3°. contactus substantiarum non potest esse secundùm solam quantitatem; quia hæc est substantiis intimè imbibita, ergo secundùm substantiam esse debet; ac proinde, si ad contactum admittantur indivisibilia, etiam illa in substantiis admittere oportet; unde sequitur, non solùm inter partes quantitatis dari debere indivisibilia, sed etiam inter partes substantiæ contra præfatos Authores.

CXXV. Respondet P. Telles hîc Disp. 35. sect. 3ª. indivisibilia terminativa, vel copulativa, quæ de novo gignuntur, erant in quantitate, non actu, sed potentialiter.

CXXVI. Sed contra 1°. nunc sermo est de indivisibilibus materiæ primæ, quæ sicut non est quantitas (ut supponitur, & alioqui eadem de ipsa, ac de materia difficultas) ita nec ejus indivisibilia sunt in quantitate: 2°. esse virtualiter in quantitate est posse produci a quantitate; omnino verum autem est quantitatem non esse sibi similis activam, ut omnes fatentur.

CXXVII. Respondet D. Murcia illam corruptionem non esse annihilationem, & illam productionem non esse creationem; quia, quamvis illa indivisibilia non habeant subjectum inhæsionis, habent tamen adhæsionis præsuppositum, ex quo fiunt; quod autem creatur, etiam hoc adhæsionis subjectum negat.

CXXVIII. Sed contra: si illa puncta sint cum partibus materiæ ejusdem rationis (ut supponitur) non magis habere possunt subjectum adhæsionis, quàm partes materiæ primæ: si verò diversæ, sunt uniones oppositæ sententiæ, præsertim cum habeant subjectum adhæsionis ex quo fiant, sicut illæ; deinde creationem non excludere subjectum adhæsionis patet in anima rationali.

CXXIX. Probatur 3°. ex absurdis, quæ ex illa sententia sequuntur: 1°. contra ipsos, quodlibet continuum componi ex puris indivisibilibus; quod sic probo: ideo in nostra sententia quodlibet continuum componitur ex puris indivisibilibus; quia quidquid est assignabile in continuo includit aliquid indivisibile, ergo similiter quodlibet continuum in illa sententia componitur ex puris indivisibilibus, quia quidquid est assignabile in continuo includit aliquid indivisibile. 2°. sequitur Deum posse assignare primum indivisibile in continuo, & non posse secundum; quia alioqui posset assignare medium aliquod inter illa puncta sine puncto; quod non est minùs absurdum, quàm Deum posse ponere primam continui divisionem, & non posse secundam. 3°. sequitur indivisibile additum indivisibili facere majus, vel alioqui omnino superflua esse puncta ob fines propter quos sunt à suis authoribus adinventa: quod probo; vel enim illa sunt extra partes? & sic faciunt majus: vel non, sed penetrativè intra continui partes? & sic tam partes, quàm ipsa initiant, & faciunt continuum, & in contactu perfectè sphærici & plani, tam se contingunt partes, quàm ipsa, quomodo etiam sunt omnino superflua, cum sint, tum ad habendam partem initialem & finalem continui, tum ad explicandum contactum perfectè sphærici & plani à suis authoribus adinventa.

CXXX. Objicies tamen 1°. Aristoteles satis frequenter insinuat dari indivisibilia extra animam, ut cap. 1°. *de quantitate*, cum dicit partes lineæ copulari puncto, superficiei lineâ, corporis superficie.

CXXXI. Respondeo Aristotelem per hoc non velle dari indivisibilia formaliter ante animam, sed æquivalenter, quomodo agnoscimus partes divisibiles indivisibiliter sumptas: vel dic Aristotelem de indivisibilibus loqui, quasi formaliter essent ante animam, ad faciliorem explicationem difficultatum continui; non verò quia formaliter sunt ante animam; vel denique ex propria sententia non loqui, sed communi sui temporis, quod sæpius facit in Prædicamentis; unde cum 8°. Metaph. text. 14°. pro exemplo attulisset puncta; addit, *si sint*: eo modo intellige geometras, qui multa demonstrant de lineis & superficiebus.


CXXXII. Objicies 2°. corpus perfectè sphæricum tangit planum in puncto; perfectè chilyndricum in linea; perfectè planum in superficie; ergo dantur puncta indivisibilia, lineæ & superficies.

CXXXIII. Respondeo 1°. distinguendo antecedens, corpus perfectè sphæricum tangit planum in puncto, &c. sumendo punctum formaliter, nego antecedens; æquivalenter, id est pro parte divisibili indivisibiliter accepta, concedo antecedens; sed nihil particulare in hac solutione; debent enim illam, velint nolint, usurpare adversarii nostri; nam punctum medium inter partes afficit partes divisibiles, non quidem divisibiliter acceptas, ut patet, sed indivisibiliter: deinde si trahatur perfectè sphæricum per planum, illud in puncto & parte divisibili debet planum tangere in sententia ipsorum: denique, cum perfectè sphæricum tangit planum in puncto, vel etiam illud tangit in immediatis partibus, vel non? si primum, sequitur intentum; si secundum, ergo punctum, quod tangitur facit extensionem & partes distantes, quod non dixerint.

Instabis,

CXXXII. Instabis perfectè sphæricum tangit planum in puncto formaliter, ergo, &c. Probatur assumptum, quia foramen, quod ille contactus facit in aëre, est formaliter indivisibile; nam alioqui, si esset formaliter divisibile, jam tangerent se in parte formaliter divisibili, contra solutionem datam.

CXXXIII. Respondeo negando assumptum: ad ejus probationem, Respondeo supponi falsum, videlicet, quòd contactus ille faciat foramen in aëre, cum tamen relinquat partium aëris contactum similem illi, quo perfectè sphæricum & planum se contingunt; quod ita manifesto; sit globus in quatuor cuneos à te mente divisus, quorum primus sit A. secundus B. tertius C. quartus D.



cuneus A. cuneum B. & cuneus C. cuneum D. sine medio, seu immediatè, cõtingit; loco cuneorum A. & B. pone partes aëris, videbis quòd se contingent immediatè cunei C. & D. sine foramine in aëre; an autem illo casu partes aëris adhuc sint futuræ continuæ, an contiguæ tantùm? patebit ex dubio sequenti. Ex his dic, Aristotelem quando dicit *ea se tangere, quorum extrema sunt simul*, agere de simultate negativa, seu non distantiæ; non verò de positivâ, seu penetrationis; cum autem docet *locum esse æqualem locato*, agit de continentia; non verò de commensuratione loci & locati.

CXXXIV. Vrgebis, lumen est in superficie corporis opaci; sed non est in superficie æquivalenter, ergo formaliter.

CXXXV. Respondeo propter hoc argumentum fortè dicendum omne corpus opacum esse aliquousque diaphanum; sed in parte tam parva ut sensus eam esse diaphanam non videat, ut notant nonnulli Optici, per quod distinguitur à diaphano; vel dic lumen non esse nisi in ultima superficie aëris corpori opaco immediati; per ultimam tamen superficiem non intelliges aliquid indivisibile; sed partem divisibilem quatenus habet negationem ulterioris extensionis, vel indivisibiliter sumptam modo supra dicto.

DVBIVM VIII.

Per quid continuentur Partes continui permanentis.

CXXXVI. NOn faciliùs dicitur quid continuatio continui, quàm quid ipsum continuum; communiter asserunt authores continui partes continuari modo unionis à partibus realiter distincto: verùm illi authores inter se dissident: nam aliqui pro toto continuo unicum modum continuationis admittunt; aliqui plures & tot, quot sunt in isto continuo partes naturaliter indivisibiles: alii denique, tot unionibus indivisibilibus continuari, quot sunt absolutè partes. Contra quos sit

Resolutio I.

CXXXVII. DIco 1°. partes continui non continuantur unico modo continuationis.

CXXXVIII. Probatur, quia de essentia istius modi esset continuare omnes partes istius continui, ita, ut parte adjectâ, vel ademptâ, necessariò desineret: unde licèt sit divisibilis formaliter in quantùm eductus de subjecto divisibili, & partes divisibiles uniens, dicitur tamen à suis authoribus indivisibilis, in quantùm remanens, nec pauciores, nec plures partes, potest unire, quàm totius illius continui, subsumo.

CXXXIX. Sed hinc sequitur grave absurdum, ergo, &c. Probatur minor, quia sequitur aërem, Oceanum, &c. totum continuò intrinsecè mutari: quia aër continuò secundùm aliquam partem convertitur in substantiam viventis & aliorum corporum: aqua verò Oceani per continuas exhalationes in aërem: unde continuò aliquid illis adimitur: ac proindè continuò modus ille unicus continuationis ipsius intrinsecus mutatur: sed illud est magnum absurdum: quis enim credet minimâ parte aquæ demptâ propè Ostendam, mutari intrinsecè totum mare propè Brasiliam? ergo, &c.

Resolutio II.

CXL. DIco 2°. partes continui non etiam continuantur per plures modos continuationis, ita v.g. ut decem partes aliquotæ habeant unum modum: aliæ decem alium. & sic de cæteris.

CXLI. Probatur quia id aliquid de eodem absurdo participat, ut consideranti patebit, ergo, &c.

Resolutio III.

CXLII. DIco 3°. partes continui non continuantur per tot modos cõtinuationis, quot sunt in isto continuo partes naturaliter indivisibiles.

CXLIII. Probatur, quia, vel illæ continuationes essent actualis unio ad unionem, vel non? si non, ergo inter se deberent uniri per aliam unionem, & sic, 1°. multiplicarentur uniones sine necessitate, 2°. daretur unio ad unionem: si sic ergo non poterit, una continuatio cessare remanente aliâ; ac proinde hæc conclusio incurret totum absurdum primæ Resolutionis.

CXLIV. Dices sufficienter uniri inter se per unionem partium naturaliter indivisibilium ad invicem.

CXLV. Sed contra 1°. non sufficienter extenduntur per extensionem partium naturaliter indivisibilium; sed extenduntur per extensionem entitativam propriam, licèt accommodatam extensioni propriæ partium; ergo nec sufficienter uniuntur inter se, &c.

CXLVI. Contra 2°. saltem partes sunt indifferentes, ut inter se continuentur; unde inter partes multiplicabuntur uniones sine necessitate.

CXLVII. Contra 3°. quidquid sit de unione continuationum inter se, aut partium naturaliter indivisibilium continuatarum: peto an illa unio media sit futura divisibilis, an indivisibilis? non primum, quia faceret extensionem inter partes, ac proinde partes continui non essent immediatè sibi invicem: non etiam secundum, quia cum non sit potior ratio, cur potiùs in una parte foret, quàm in alia, in utraque parte esse deberet, ac proinde in duobus partium locis; intelligi autem non potest, quomodo 1°. aliquid indivisibile corporeum naturaliter sit in duobus locis: 2°. quomodo aliquid entitativè indivisibile subjectetur in subjecto divisibili.

Resolutio IV.

CXLVIII. Dico 4°. partes continui non etiam continuantur per tot uniones indivisibiles, quot sunt absolutè in isto continuo partes.

CXLIX. Probatur primo quia ex illa sententia evidenter sequitur omnes partes continui se penetrare naturaliter, & non facere extensionem; quod est contra omnem sensum & oculum, ergo, &c. Probatur sequela, quia quæcumque uniuntur debent esse in eodem loco cum unione materiali indivisibili, per quam uniuntur, ergo & inter se; Probatur consequentia; quia quæcumque sunt in eodem loco cum tertio materiali indivisibili, sunt in eodem loco inter se.

CL. Dices nequidem per Deum posse assignari in quo præcisè illæ uniones recipiantur, & quas præcisè partes uniant, ut ait Hurtadus.

CLI. Sed contra 1°. etsi nulla pars determinata & aliquota assignari possit in qua recipiatur unio; assignari tamen potest aliqua indeterminata & proportionalis, id est minor & minor in infinitum; vel ut alii, aliqua divisibilis indivisibiliter sumpta; illa autem & simul alia talis, erit penetrata cum unione, & consequenter etiam inter se.

CLII. Contra 2°. & efficacius: *indivisibile* v. g. punctum (ut tu ipse contra Zenonistas argumentaris) *additum indivisibili*, imò & divisibili, *non facit majus*, quia illud penetrat, si illud tangat; ergo & utraque pars cum illa unione (sive hæc in illis sit inhæsivè, sive adhæsivè tantùm; quia semper debet illas tangere ut uniat) erit penetrata, ac per consequès inter se in loco indivisibili unionis.

CLIII. Probatur 2°. quia illa unio debebit esse in altera parte, vel in utraque; sed non est potior ratio, cur in una potiùs sit, quam in alia; ergo in utraque esse debebit; quod etiam dici non potest, quia alioqui deberet esse in duobus locis, ut Resolutione tertia dictum est, ergo, &c.

CLIV. Probatur 3°. partes continui se habent ad continuationes, sive uniones omnes collectivè, tanquam causæ ad effectus, subjecta ad formas, &c. hôc positô, sic argumentor; vel ut subjecta istarum unionum involvunt aliquam unionem, vel non? si non, ergo sunt pura indivisibilia mathematica, ut patet: si sic, ergo frustra sunt illæ uniones; quia jam illæ partes ut subjecta sunt unitæ, sive habent uniones; deinde involvunt illam unionem accidentaliter, vel essentialiter? si accidentaliter, poterit à Deo separari, & illâ separatâ, continuum erit realiter indivisibile; imò, sive possit, sive non possit à Deo separari, saltem continuum essentialiter erit pura indivisibilia; quia nullam unionem essentialiter includit, quod non admittent; si essentialiter, vel generatur, vel creatur, quidquid dixeris est absurdum: si generatur, generatur & materia prima; quia illud generatur, cujus unio inter partes generatur, ut patet; nam homo ideo ex communi sensu dicitur generari, quia inter partes ipsius unio generatur: si creatur, ergo nutritio hominis, scissio carnis, augmentatio aquæ maris, diminutio fontis, est supernaturalis, quia involvit, vel creationem unionis, vel annihilationem; unio autem est de essentia continui talis v. g. septipedalis: deinde si una unio continui creetur, cum illa, quæ est de essentia continui sit indeterminata, creatur & alia, alioqui fieri posset, quòd illa, quæ generatur sit de essentia continui, quô datô sequitur quòd materia generetur ut supra dictum est. Hæc etiam probatio habet vim contra continuationes, de quibus Resolutione 1ª, 2ª, & 3ª.

CLV. Confirmatur, quia illæ omnes uniones, de quibus Resolutione 1ª, 2ª, & 3ª, & hâc, sunt superfluæ, ut patebit ex Resolutione sequenti.

Resolutio V.

CLVI. Dico 5°. partes continui continuantur seipsis immediatè, non quidem aliquâ continuatione Physicâ, sed morali tantùm positâ indistantiâ ab invicem, certâ proportione & temperie dispositionum per modum connotati, sub qua proportione & temperie communiter partes dicuntur continuæ. Ita Nominales, & recentiores nonnulli quos tacito nomine impugnant PP. Telles, & Comptonus. Sed ante probationem

Nota continuationem posse distingui duplicem: unam Physicam, quæ formaliter fit per entitatem Physicam à partibus realiter distinctam, quam quatuor primis Resolut. Disp. 6ª. dub. 1°. lib. 1°. rejecimus, & cui non multò absimilem agnovimus inter materiam & formam, sive inter partes compositi ex actu & potentia: aliam moralem, & est illa, quam habere dicuntur partes continui præcisè positis dictâ partium indistantiâ ab invicem, certâ proportionali temperie dispositionum per modum connotati: quæ autem & quanta esse debeat illa proportio & dispositionum temperies ad istam continuationem moralem, nec nos, nec ipsi determinare possunt; hoc tamen certum, illam requiri & sufficere, quâ positâ, ab omnibus dicuntur partes de non continuis esse factæ Physicè continuæ. Hoc itaque notato

CLVII. Probatur 1°. refutatione aliarum sententiarum, & superfluitate aliarum continuationum Physicarum, ergo, &c.

CLVIII. Probatur 2°. res fluxæ, ut sunt aër, aqua, ignis, oleum, &c. secundùm commune judicium, hoc ipso, quòd sunt localiter conjunctæ, dicuntur esse continuæ: numquid enim, si ab Oceano tolleretur omnis unio Physica, & remanerent partes localiter indistantes, ut jam sunt, adhuc diceretur unus Oceanus, & unum continuum? omnino; quia jam talis non dicitur propter illas uniones Physicas, cum sensu aliquo perceptibiles non sint; ergo, &c.

CLIX. Probatur 3°. res duræ, & quæ difficulter dividuntur, ut ferrum, lapis, lignum, &c. habent aliquam ex certa suarum dispositionum connaturali temperie partium suarum tenacitatem, quâ præcisè positâ & remanente, dicuntur habere partes continuas, ergo, &c.

CLX. Objicies 1°. in composito essentiali datur unio Physica; ergo etiam in continuo, sive composito integrali, consequentia tenet à pari.

CLXI. Respondeo negando consequentiam: est enim disparitas, in eo videlicet, quòd ad unionem essentialem, indistantia partium essentialium simul cum omnibus dispositionibus & conditionibus (de quibus lib. 1°. Physic. Disp. 6ª.) non sufficiat ob rationes ibidem allatas, quæ hîc non militant; nec aliæ adferri possunt, ob quas unio illa in continuum invehi debeat, ut solutione argumentorum patebit; unde illa esset in continuo superflua.

CLXII. Objicies 2°. ex hac sententia sequitur omnia

omnia corpora Vniversi esse continua, saltem secundùm materiam; sed hoc est absurdũ, ergo, &c.

CLXIII. Respondeo distinguendo sequelam, sequitur omnia corpora Vniversi habentia certam proportionem & temperiem dispositionum, quam prærequiris ad continuationem Physicam, esse continua, concedo sequelam, quia idipsum concedere debes: non habentia, propter quod inter illa negas continuationem Physicam, nego sequelam; ex quo patet nos non aliud docere, quàm quod docent adversarii nostri, exceptâ continuatione realiter distinctâ ab illis dispositionibus, temperie, &c.

CLXIV. Objicies 3°. ex P. Telles loco supra sæpius citato, *supponendum est ut certum in utraque sententia, partes continui necessariò unitas esse inter se, medio aliquo unionis, alioqui continuum esset aliquod aggregatum partium separatarum, ut est acervus lapidum*; ergo, &c.

CLXV. Confirmatur ex P. Comptono etiam loco sæpius citato, *materia non est apta ut recipiat formam ullam, vel substantialem, vel accidentalem, donec partes ipsius integrantes inter se uniantur, & sit continua; alioqui existeret divisa in omnes suas partes, omni istâ proportionum & dispositionum temperie ablatâ, quæ tam à materia, quàm omnis forma substantialis, abstrahi potest*, ergo, &c.

CLXVI. Respondeo negando suppositum; ad illius probationem, Respondeo negando sequelam; ad hoc enim ut non sit aggregatum partium separatarum, sufficit indistantia partium, cum ea proportionum & dispositionum temperie, quâ positâ ab omnibus Philosophis dicuntur unitæ, cujus etiam defectu acervus lapidũ non dicitur continuũ.

Ad Confirmationem verò

CLXVII. Respondeo distinguendo assumptum, materia non est apta, &c. donec partes ipsius integrantes inter se uniantur rigorosè Physicè, sive per modum continuationis ante rejectum, nego assumptum: moraliter & per partium indistantiam, cum ea proportionum & dispositionum temperie, quâ positâ ab omnibus Philosophis dicuntur unitæ, concedo assumptum & dico hanc omnium partium indistantiam, & proportionum ac dispositionum temperiem non magis posse per Deum à materia auferri, quâ in sententia adversariorũ ab ea auferri possit omne indivisibile continuativum, aut omnis modus continuationis; quod enim illi de his dicunt, nos de indistantia ista partium, &c. dicimus.

CLXVIII. Objicies 4°. juxta hanc sententiam continuum non differt à contiguo; sed hoc est expresè contra Aristotelem & communem Philosophorum; ergo, &c. Pro solutione

CLXIX. Suppono 1°. eandem esse proportionem materiæ ad materiam discontinuam, quæ est materiæ ad materiam continuam; quia semper manet, quòd sint ejusdem rationis, & quòd sicut una se habet ad aliam tanquam ad continuabile ejusdem rationis; ita alia ad aliam: è contra verò suppono diversam esse proportionem formæ ad formam ejusdem rationis à proportione formæ ad formam diversæ rationis, quia sunt diversæ rationis, & una se habet ad aliam tanquam continuabile ejusdem rationis; alia verò ad aliam tanquam ad non continuabile eâdem remanente quantitatum temperie & citra conversionem. Vnde fieri potest quòd materiæ duorum compositorum indistantium sint continuæ, formis discontinuis manentibus, ut fit, dum truncus informatur animâ pomi & anima pyri, aut dum lignum supernatat aquæ; materiæ enim sunt continuæ ratione indistantiæ & eâdem ad invicem proportione; formæ verò, licèt indistantes, sunt discontinuæ, ratione diversæ utriusque ad invicem proportionis.

CLXX. Suppono 2°, de continuatione eorum, quæ sub sensum non cadunt, à nobis judicari non posse; sed de eorum continuatione aut discontinuatione, judicari debere juxta continuationem aut discontinuationem eorum, quæ sub sensum cadũt; ac proinde, sicut duæ formæ aquæ indistantes dicuntur continuæ, ita & duæ materiæ indistantes, licèt eorum formæ discontinuæ & diversæ rationis essent, dici debent continuæ. His suppositis,

CLXXI. Respondeo negando majorem, quia contiguum est inter formas quascumque, etiam indistantes, diversæ inter se rationis, quæ in communi sententia, etiam indistantes, non continuantur, ut in rebus duris, quamdiu non adest quædam partium immediata tenacitas & viscositas, imò, & in liquidis quamdiu non fit commixtio; continuum verò est inter formas quascumque indistantes, quæ in communi sententia, hôc ipsô quòd indistantes, dicuntur continuari; ut in rebus duris, hôc ipsô quòd adest quædam partium immediata tenacitas ac viscositas, & in liquidis commixtio. Ex his

CLXXII. Colliges 1°. continuum non esse totum Physicum, sed morale tantùm, hoc sensu, quòd continuationem moralem importet, nullam verò realem Physicam propriè dictam à suis extremis realiter distinctam: 2°. non constare partibus Physicis secundùm esse partium inter se per unionem realiter ab extremis distinctam Physicè unitam; sed moraliter tantùm: 3°. continuationem illam moralem & impropriè dictam Physicam, non posse inadæquatè à continuo separari, magis quàm omnis continuatio propriè dicta Physica.

DVBIVM IX.

De Continuo successivo & ejus continuatione.

Resolutio I.

CLXXIII. Dico 1°. continuum successivum, ut tempus, motus localis, duratio rerum permanentium, &c. componitur ex partibus in infinitum divisibilibus.

CLXXIV. Probatur 1°. quia eodem modo videtur de continuo successivo, ac de permanenti, philosophandum; si enim duo puncta non faciant magis extensum localiter permanenter, quia nullam habent extensionem localem; duo instantia non facient magis extensum temporaliter successivè, quia nullam habent extensionem temporalem, licèt quoad numerum faciant magis extensum, ergo, &c.

CLXXV. Probatur 2°. Quia alioqui nullus motus localis esset possibilis; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur sequela, quia suppositâ veritate nostræ sententiæ de divisibilitate in infinitum continui permanentis, motus semper est ad spatium divisibile habens prius & posterius; sed cum prius debeat acquiri ante posterius, in instanti non potest prius & posterius acquiri, ergo nullus motus localis esset possibilis.

CLXXVI. Objicies ex P. Oviedo: partes temporis essentialiter sunt successivæ, ergo numquam sunt duæ partes illius simul, ergo numquam existit divisibilis aliqua temporis pars; quia alioqui deberet simul actu existere prius & posterius.

CLXXVII. Respondeo 1°. retorquendo argumentum contra P. Oviedum in continuum permanens: partes continui permanentis sunt essentialiter permanentes; ergo numquam est una tantùm; ergo numquam existit indivisibilis aliqua continui permanentis pars; quia alioqui deberet tantùm existere prius indivisibile continui permanentis: admisso antecedente, ad primam consequentiam hujus argumenti distinguo, ergo numquam est una tantùm, si illa accipiatur divisibiliter & pro parte aliquota, concedo consequentiam: si accipiatur indivisibiliter & pro parte proportionali minori & minori in infinitum, nego consequentiam: sic proportionaliter ad objectionem

CLXXVIII. Respondeo 2°. admisso antecedente, distinguendo consequens, ergo numquam sunt duæ partes temporis simul, si accipiantur divisibiliter & pro partibus aliquotis, concedo consequentiam. si accipiantur indivisibiliter & pro partibus proportionalibus minoribus & minoribus, in infinitum, nego consequentiam.

CLXXIX. Adde tamen quod dico in continuo permanenti futuram unam tantùm partem, si accipiatur indivisibiliter, & in successivo futuras duas simul, si etiam accipiantur indivisibiliter, me non velle continuum permanens posse aliquando existere secundùm partem realiter indivisibilem, & successivum posse simul existere secundùm partes realiter inter se divisibiles; sed tantùm permanens posse existere secundùm partes minùs & minùs extensum in infinitum, & successivum secundùm partes minùs & minùs durans in infinitum; sicut enim non datur pars continui permanentis, quæ tangat perfectè sphæricum, secundùm priùs & posteriùs adæquatè sumpta, sed secundùm inadæquationes eorum in infinitum, sive secundùm minus & minus eorum in infinitum, ita non datur pars continui successivi, quæ simul existat secundùm priùs & posteriùs adæquatè sumptâ, sed secundùm inadæquationes eorum in infinitum, sive secundù minus & minus eorum in infinitù. Ex his

CLXXX. Colliges 1°. contra Arriagam mobile, dum movetur, semper esse in loco se majori, numquam in æquali; quia omnis ipsius motus semper est in parte temporis, in qua omni durante motu, semper est in duobus locis.

CLXXXI. Colliges 2°. partes temporis esse essentialiter successivas, sicut partes lineæ sunt essentialiter permanentes, videlicet, si accipiantur divisibiliter & secundùm quod sunt aliquotæ.

Resolutio II.

CLXXXII. Dico 2°. partes continui successivi etiam non continuantur ullo ex modis supra pro permanente rejectis.

CLXXXIII. Probatur: quia, præterquam quòd de utroque pariformiter sit philosophandum, partes temporis possunt dici sibi essentialiter immediatè succedentes, ita ut post hanc horam immediatè essentialiter sequatur secunda, & non tertia: unde forent continuationes realiter distinctæ omnino superfluæ, ergo, &c.

DUBIUM X.

De Inceptione & Desitione rerum.

Resolutio I.

CLXXXIV. Dico Res permanentes, & successivæ similiter, dici possunt indifferenter incipere & desinere intrinsecè, vel extrinsecè. Sed ante probationem,

CLXXXV. Nota 1°. incipere intrinsecè, sive ut alii, per primum sui esse, esse incipere per illud instans (sive sumendo ly *instans* æquivalèter modo sæpiùs explicato; quia semper includit prius & posterius, licèt indivisibiliter; sive pro parte determinata excludente priores & posteriores aliquotas, quomodo dicitur jam esse October, Octobrem sumendo pro tempore determinato excludente Septembrem & Novembrem) quo verum est dicere, *jam res est, & immediatè ante non erat*: incipere verò extrinsecè, sive ut alii, per ultimum sui non esse, est incipere per illud instans, quo verum est dicere, *jam res non est, & immediatè post erit.*

CLXXXVI. Nota 2°. desinere intrinsecè, sive ut alii, per ultimum sui esse, esse illo instanti desinere, quo verum est dicere, *jam res est, & immediatè post non erit*; desinere verò extrinsecè, sive ut alii, per primum sui non esse, est illo instanti desinere, quo verum est dicere, *jam res non est, & immediatè ante erat*: His notatis,

CLXXXVII. Probatur Resolutio de rebus permanentibus, 1°. quoad inceptionem intrinsecam & extrinsecam: supponas quòd Petrus existat totâ horâ secundâ, primo instanti istius horæ verum est dicere, *Petrus jam est, & immediatè ante non fuit*, item ultimo instanti horæ primæ verum fuit dicere, *jam non est, & immediatè post erit*; sed hoc est incipere intrinsecè, & extrinsecè, ergo, &c.

CLXXXVIII. Probatur de iisdem 2°. quoad desitionem intrinsecam & extrinsecam: supponamus, quòd Petrus existat totâ horâ secundâ, ultimo instanti istius horæ verum est dicere, *Petrus jam est, & immediatè post non erit*; item primo instanti horæ tertiæ verum est dicere, *jam non est, & immediatè ante fuit*; sed hoc est desinere intrinsecè & extrinsecè, ergo, &c.

CLXXXIX. Probatur Resolutio de rebus successivis: 1°. quoad inceptionem intrinsecam & extrinsecam: supponas, quòd motus existat totâ horâ secundâ, primo instanti istius horæ verum est dicere, *jam est motus, & immediatè ante non fuit*: item ultimo instanti horæ primæ verum fuit dicere, *jam non est & immediatè post erit*; sed hoc est incipere intrinsecè & extrinsecè, ergo, &c.

CLXXXX. Probatur de iisdem 2°. quoad desitionē intrinsecam & extrinsecam: supponas quod motus existat totâ horâ secundâ: ultimo instanti istius horæ, verum est dicere, *motus jam est, & immediatè post non erit*: item primo instanti horæ tertiæ verum est jam dicere, *jam non est, & immediatè ante fuit*; sed hoc est desinere intrinsecè & extrinsecè, ergo, &c.

Resolutio II.

CLXXXXI. Dico 2°. malim tamen dicere res permanentes & successivas incipere intrinsecè & desinere extrinsecè.

CLXXXXII. Probatur, quia incipere sonat *esse*; desinere, *non esse*; ergo quod incipit, maximè incipit per primum sui esse; & quod desinit maximè desinit per primum sui non esse.

CLXXXXIII. Confirmatur, quia quod incipit fit de non existēte existens, & quod desinit fit ex existente non existens; ergo illud sonat *esse*, & hoc *non esse*, est cum incipit, & non est cum desinit ergo, &c. Ex his

CLXXXXIV. Colliges in contrariis, dum una forma incipit intrinsecè, oppositam desinere extrinsecè, vel è contra.

DISPUT.

DISPVTATIO TERTIA.

De Loco Intrinseco & Extrinseco.

DVBIVM I.

Quid sit Locus Extrinsecus.

RESOLVTIO.

I. DIco locus Extrinsecus juxta Aristotelem lib. 4°. Physic. textu 42°. *est ultimus terminus continentis*; sive ut alii: *est ultima superficies corporis ambientis*. Additur quidem communiter post Aristotelem, *immobilis*: sed vel dicendum Aristotelem ibi definire locum extrinsecum intrinsecè locatum; vel si definiatur locus extrinsecus prout opponitur intrinseco particulariter, ista omnino omitti debet; nec puto locum extrinsecum aliter à vase distingui debere quàm in eo, quòd locus extrinsecus in motu mobile non comitetur; vas autem comitetur juxta illud D. Thomæ lib. 4°. Physic. lect. 6ª. ubi ait, *vas & locus in eo differre videntur, quòd vas transmutetur; locus autem non*. Ratio autem est, quia loci extrinseci immobilitas loco extrinseco ut tali non convenit, siquidem nulla superficies ita corpus ambit, ut per Deum secundùm se moveri non possit; imò superficies ultima aëris ambientis turrim, continuò movetur ac mutatur; sed ut locatur intrinsecè per *ubi*, quod quia semper servat eandem distantiam & propinquitatem ad ubi alia Vniversi, in Oriente v.g. Occidente, Meridie & Septemtrione, & Centro terræ, dicitur immobile: unde admitti non debet, quod docet P. Comptonus Physic. Disp. 32. sect. 2. nempe, aquam, quæ in eodem vase ab uno loco in alium defertur, non mutare locum extrinsecum realem, sed correspondentiam ad spatium imaginarium, sic ut commune illud affatum, *quidquid movetur mutat locum*, intelligatur de loco intrinseco: admitti (inquam) non debet; quia inprimis est contra Aristotelem & Divum Thomam supra; deinde id est locum extrinsecum realem confundere cum vase; quod est contra sensum communem omnium dicentium, vase de cavea in caveam translato, vinum mutasse caveam & locum extrinsecum, haud secus quàm si sine vase ad caveam aliam miraculosè vel aliter translatum esset.

DVBIVM II.

Quid sit ubi, & quomodo distinguatur à loco locato & cæteris connotatis.

RESOLVTIO I.

II. DIco 1°. ubi, *est fundamentalis præsentia rei in loco*, sive *ratio formalis per quam res constituitur in esse existentis potius hîc, quàm alibi*.

RESOLVTIO II.

III. DIco 2°. ubi distinguitur realiter à loco & locato.

IV. Probatur; quia potest esse hic locus, & hæc res, & interea res non esse in hoc loco; ergo ubi est aliquid realiter distinctum & superadditum loco & locato: probatur consequentia; quia alioqui idem simul esset, & non esset.

V. Nec dicas 1°. præter locum & locatum requiri præsentiam sive coexistentiam utriusque; nam, vel agis de præsentia seu coexistentia formali, vel de fundamentali? fundamentalis non potest esse solus locus & locatum (vt vidimus) formalis verò præsupponit fundamentalem, quam dicimus esse aliquid realiter distinctum à loco & locato: eodem modo rejicies alias similes multorum locutiones, ut quòd *esse hîc* sit dicere talem respectum seu habitudinem ad quinque puncta mundi.

VI. Nec dicas 2°. *ubi*, seu *me esse hîc*, nihil aliud esse præter locum & locatum & negationem essendi alibi; quia illa negatio (præterquam quòd sit impertinens; quia possum *esse hîc* & non habere negationem essendi alibi, ut si per Deum essem hîc & alibi) debet in aliquo fundari: non quidem in hoc loco & hoc locato; quia potest utrumque existere, & non haberi *esse hîc*, aut *negatio essendi alibi*, ut v.g. si sim Romæ: deinde per motum localem perdo hanc negationem essendi alibi; unde peto per quid destruatur? non enim per locum & locatum, quia cum illis consistere potest; ergo per aliquid à loco & locato realiter distinctum; igitur negatio ista, in isto, à loco & locato realiter distincto, fundari debet.

RESOLVTIO III.

VII. DIco 3°. ubi non distinguitur realiter à motu locali; qui 1°. nihil aliud est quàm adductio ad locum; permanens, si ad unum; successiva si ad plura successivè, prout adversarii de productione ubi philosophantur; qui 2°. distinguitur à prima rei productione, non secus ac productio ubi illius; cum hoc tamen discrimine, quòd in sententia adversariorum hæc sit à re jam producta (quod ut absurdum infra impugnabitur) in nostra, à concausis ipsius rei concomitanter ad primam rei productionem, de quibus infra.

VIII. Probatur 1°. quia totum, quod adversarii dicunt de ubi, dicere possum de motu locali, ergo, &c. Probatur antecedens, quia cum motus localis secundùm adversarios terminetur ad ubi, non est minùs determinatus ad essendum hic, & non alibi, & consequenter ad constituendum mobile hîc potius, quàm alibi, quàm ipsum ubi ad quod terminatur: deinde idem dicere possum de motu ut primâ rei adductione ad locum, quod adversarii dicunt de prima rei productione, ut sui ubi productione; sed de hac ut prima sui ubi productione dicunt esse determinatam ad essendum hîc & non alibi; ergo & de illo ut primâ rei adductione ad locum dicere potero esse determinatum ad essendum hîc & non alibi. hoc assumptum patet, quia nihil impedit ut solutione objectionum constabit, unde ubi à motu locali realiter distinctum est omnino superfluum.

IX. Probatur 2°. non est potior ratio admittendi ubi realiter distinctum à motu locali, quàm unionem realiter distinctam à generatione; sed hæc non datur realiter distincta à generatione, ergo nec illud ubi, &c. Probatur major, quia sicut hæc est sui & extremorum unio, ita motus localis est sui & corporis locatio; minor probata est supra.

X. Confirmatur 1°. idem est motus localis vitalis & non vitalis ex parte termini; sed motus localis vitalis non habet terminum realiter à se distinctum, (ut constabit à pari ex dicendis de intellectionis, visionis, volitionis, &c. termino in libris de Anima:) ergo nec motus localis non vitalis: consequentia est Aristotelis 8°. Physicorum textu 59.

ubi

ubi dicit *corpus per motum non mutari intrinsecè, quia solâ latione, nihil quod insit, mutatur*: item & D. Thomæ 1ª. p. q. 11ª. art. 3°. & de potentia ac malo q. 16ª. art. 10°. ubi docet *per alios motus mobile mutari in aliquo intrinseco; per motum verò localem solùm acquirere locum extrinsecum*, ergo, &c.

XI. Confirmatur 2°. ex oppositâ sententiâ sequuntur multa absurda, 1°. quòd posset creatura existere, quæ tamen nec esset distans; nec indistans positivè ab ullo corpore mundi: 2°. quæ nec esset extensa, nec inextensa positivè: 3°. posset esse corpus, quod nec haberet partes extra partes, id est diverso loco positas, nec intra partes, id est in eodem loco penetrativè positas; item, quod nec intra, nec positivè extra mundum esset existès: ratio est, quia hæc omnia fundari debent in ubi seu existentiâ in loco aut præsentiâ locali, ut considerânti patebit, ergo, &c.

XII. Hæc absurda (nescio quo famelico appetitu) devorant, Vasq. Phys. disp. 118. Ovied. Phys. controv. 15ª. Moncæus, Mæratius, Poncius, & alii; illa autem respuunt Suarez, Arriaga, & omnes alii communissimè, dicentes creaturam posse quidè existere sine omni ubi distributivo, non tamen sine omni collectivo; sed & contra hos hæc stat ratio; *ubi productio est naturâ posterior creaturâ productâ in horum sententia, ergo potest, creaturâ productâ, ubi productio impediri.*

XIII. Adde ex oppositâ sententia sequi & aliud absurdum; quod devorare non potuit P. Oviedus, debet tamen, velit nolit: sequitur enim dari posse creaturam aliquam, quæ non sit Deo præsens positivè, cujus contrarium esse veritatem catholicam colligitur ex Vasquez 1ª. p. disp. 28ª. cap. 4°. Deus enim (utpote immensus) est penetrativè in omnia ente, & è converso omne ens penetrativè in ipso; quia non videtur unum intelligi posse sine alio: quod autem id sequatur, sic probo; vel illa creatura esset Deo positivè præsens per ubi superadditum, vel per suam entitatem? non primum; quia supponitur per Deum impediri omne ubi superadditum: neque etiam per suam entitatem; quia sicut creatura à Deo solo pender per productionem realiter à se distinctam, licèt Deus sit ex essentia sua determinatus, ut illam habeat à se pendentem, eò quòd sit indifferens ut à Deo solo, vel Deo simul & creatura pendeat; ita Deo soli præsens esse debet per ubi realiter à se distinctum, licèt Deus sit ex natura sua determinatus ut illi præsens sit & eam penetret; eò quòd sit indifferens ut Deo soli, vel Deo simul & creaturæ (ut fatetur) præsens sit. Hinc sententia nostræ oppositæ, meritò alicui videri posset minùs tuta.

XIV. Objicies 1o. præsentiæ, quam post motum habet mobile cum loco extrinseco, oportet assignare fundamentum existens; sed illud non potest esse aliud, quàm ubi productum per motum, ergo, &c. Probatur minor, quia illud non potest esse locus & locatum; quia possunt esse, & non esse præsentia: nec etiam motus; quia, vel non est primo instanti, quo res ubicatur, vel pro aliis instantibus, quibus res ubicatur, transiit, & ipso instanti, quo transiit, potest locatum à Deo aliò transferri, ergo, &c.

XV. Respondeo concessâ majore, negando minorem; ad ejus probationem distinguo assumptum pro secunda parte, illud non potest esse motus quatenus desertio terminorum à quo, sive quatenus acquisitio terminorum, quos acquisivit. & deseruit, concedo assumptum; ratio est, quia ut sic transiit. & non existit: quatenus acquisitio hujus termini *ad quem* & adductio præcisè ad hunc locum, qui perseverat & permanet, nego assumptum; is enim non transiit, sed perseverat donec mobile aliò moveatur; quia de motis partibus, eodem modo philosophandum est, ac in sententia adversariorum de productionibus plurium ubi successivè, è quibus ultimi ubi productio remanet: hinc, ad istius assumpti probationem, distinguo assumptum pro prima parte; vel non est, prout est adductio rei ad nova loca, concedo assumptum; prout est adductio rei ad primum locum, nego assumptum. Ex his

XVI. Collige motum, ut est adductio rei ad primum locum, posse naturaliter fieri in instanti; quia non est necessarium, motum localem semper præsupponere terminum *à quo* positivum, magis quàm sit necesse localem motum semper dicere terminum *ad quem* positivum; sicut enim finis motus localis non dicit terminum positivum, ita nec initium motus localis dicit necessariò terminum *à quo* positivum; non potest tamen naturaliter fieri in instanti ut adductio ad plura loca; quia res nequit esse naturaliter in pluribus locis.

XVII. Objicies secundo, omnis motus realis debet habere terminum à se realiter distinctum; sed motus localis est talis; ergo habet terminum realiter à se distinctum, qui commodissimè assignatur ubi; probatur major, in calefactione, frigefactione, ignitione, &c. ergo, &c.

XVIII. Resp. negando majorem; contrarium enim patet in actibus vitalibus, unionibus modorum, &c. quæ sunt suiipsius productio: ad probationem autem majoris, Respondeo esse disparitatem; quia scilicet calefactio, frigefactio, ignitio, &c. nullo sensu percipiuntur; nam experientiâ non scimus, an frigus, calor, ignis, &c. à solo Deo producta sint, an à sola creatura; termini verò earum productionum, ut frigus, calor, ignis, &c. aliquo sensu percipiuntur, unde, ne de eodem verificentur contradictoria, scilicet percipi, non percipi aliquo sensu, dicendum est, illas actiones habere terminos à se realiter distinctos; & idem dicendum consequenter de productione cujuslibet entis non modalis perfectioris; nam si hæc imperfectiora possint pendere & non pendere ab hoc suo principio creato, à fortiori poterunt perfectiora; quia verò ubi nullo sensu percipitur magis quàm ejus productio, ut videbimus infra, & imperfectius est calore, frigore, &c. non habemus fundamentum dicendi, quòd à sua actione, seu motu locali, realiter distinguatur.

XIX. Objicies 3°. Aristoteles lib. 6. Physic. dicit motum localem terminari ad ubi, sicut alteratio terminatur ad qualitatem; sed alteratio terminatur ad qualitatem tanquam terminum realiter distinctum; ergo & motus localis ad ubi tanquam ad terminum realiter distinctum.

XX. Respondeo Aristotelem solùm velle loco citato, tam haberi ubi per motum localem, quàm habeatur qualitas per alterationem; alioqui enim hîc contradiceret loco supra n. 10. citato; neque ly *sicut* potest intelligi de sicuteitate quoad modum producendi; alioqui, contra experientiam & ipsos adversarios, verum esset, motum localem terminari ad ubi tanquam formam, subjectum intrinsecè sensibiliter mutantem, sicut alteratio terminatur ad qualitatem tanquam formam subjectum intrinsecè sensibiliter mutantem; cur enim

minùs

minùs hoc modo explicarem illud *sicut*, quàm modo nobis objecto.

XXI. Objicies quarto, non est ratio, cur potius ubi identificetur motui locali, sive adductioni ad locum, quę sit à causis rei, quæ ubicatur, quàm res productioni; sed huic non identificatur, ergo, &c. Probatur minor, quia ubi productum successivè est successivum; prima autem reproductio, ex præmissis à nobis supra, est permanens, ergo, &c.

XXII. Respondeo negando assumptũ; tum propter rationem, quæ adfertur pro probatione minoris, juxta quam prima rei productio manet eadem, licèt res mutetur quoad locum; tum quia alioqui nihil naturaliter unum locum mutare posset in alium, magis quàm se producere possit, aut unam sui productionem in aliam mutare, quod non posse, est in confesso apud omnes, alioqui Angelus se creare posset, ut consideranti patebit.

XXIII. Objicies 5°. existentia formalis in tempore, sive duratio, non distinguitur realiter à rei productione, vel saltem à re existente & tempore; ergo neque existentia formalis in loco ab Angeli productione, vel saltem ab Angelo existente & loco.

XXIV. Respondeo 1°. 2^am^ quidem partem assumpti esse veram; nam ideo, quia non est possibile nisi unum tempus simul, per hoc quòd æternitas Dei existit & dies hodierna præcisè, Dei æternitas ei coexistit, & indifferentia, quam habet ad coexistendum diei crastinæ vel hodiernæ, tollitur, sine alio superaddito: unde etiam creatura per hoc quòd existit & dies hodierna præcisè ei coexistit, & indifferentia, quam habet ad coexistendum diei crastinæ vel hodiernæ, tollitur, sine alio superaddito, quod tantò verius esse debet quòd ly *existens* præfixum, dum existit tempus, v. g. dies hodierna, non possit accipi neutraliter sive abstrahendo ab existente nunc vel tunc; quia ipsum tempus existit, quô ly *existens* formaliter determinatur ad esse verbum, ut patet ex æternitate Dei ad hodiernam diem comparata: unde nonnulli, qui durationem identificant productioni rei, non satis cauti, suam deserendo, & nostram amplectendo sententiam, dicunt *rem existere*, sive *res existit*, propriè esse aliquid præsentis temporis, nec rectè dici aliquid actu existere, quod præsenti tempore non existit.

Respondeo secundo primam partem assumpti est falsam, 1°. quia non est ratio, cur potius rei productioni, quàm rei existenti & tempori existenti duratio identificetur; nam sicuti, si existit productio rei & tempus, ei coexistit productio rei, quia non potest esse nisi unum tempus simul; ita si existit res (sub qua etiam numeratur productio; ut tantò clariùs disparitatis ratio deficiat) ei coexistit res, quia non potest esse nisi unum tempus simul; vel, sicuti hoc ipso quòd productio rei existit, durat (ut alii loquuntur) uno instanti simul, ita hoc ipso, quòd res existit, uno instanti durat simul, ob rationem à nobis allatam: secundo, quia, vel volunt durationem identificari productioni existenti soli, vel simul productioni & tempori; si 2^um^, non est ratio cur minùs tempori, quàm rei productioni identificetur, ac proinde malè dicunt rei productioni identificari: 1^um^ autem est falsum, quia esset hic sensus, productio rei existit, & non existit tempus, quod puto involvere contradictionem ob præmissa. 3o. quia sic (quod volunt) rei conservatio esset essentialiter successiva, cur autem potiùs quàm res conservata? non dicunt; & cum adstruant consequenter eam continuò mutari, pro rei cujuslibet conservatione (saltem absente ejus causâ creatâ) ad Deum conservantem unicum sine necessitate recurrere debent, quod est absurdum. Vnde dissimulatô assumptô, ad consequentiam,

XXV. Respondeo esse disparitatem, in eo, quòd, quia simul existere possunt plura loca, quorum uni Angelus coexistere possit formaliter, ita ut alteri non coexistat, existentia formalis in loco ab ipso & loco realiter distinguatur; è contra verò, quia simul existere non possunt plura tempora, quorum uni Angelus coexistere possit, ita ut alteri non coexistat, existentia formalis in tempore ab Angelo & tempore realiter non distinguitur.

DVBIVM III.

Quot sint ubi in corpore, sive quibus corporis partibus competat ubi proprium.

Resolutio.

XXVI. Dico, non est nisi unum ubi materiæ, vel subsistentiæ (si basis) eorum omnium, quæ existunt in materia vel subsistentia ut suo subjecto naturali informationis. Est contra Suarem, Rubium Tract. de loco q. 6^a^. qui alibi contrarium docuerat, Arriagam, Oviedum, Aversam, Poncium, &c.

XXVII. Probatur, quia unum sufficit, ergo, &c. probatur antecedens, quia juxta Arist. hîc lib. 4°. text. 32°. *ea, quæ sunt in corpore, ut albedo, scientia*, &c. *nec moventur, nec sunt in loco per se, sed per accidens, ratione ejus in quo sunt*. Cur autem materia dicatur esse in loco per se & non per accidens, vel è contra cur formæ dicantur esse in loco per accidens & non per se: Ratio est, quia materia per se movetur utpote subjectum universale omnium formarum, ac per consequens motus; formæ verò per accidens, & propter unionem ad subjectum, quod per se movetur: cùm eo tamen stat, quòd illæ formæ supernaturaliter extra omne subjectum conservatæ, sint in loco per se; quia ut sic virtute divinâ, induunt quodammodo naturam mobilis per se, ut patet.

XXVIII. Confirmatur 1°. sicut formæ sunt tantùm & sufficienter quantæ naturaliter per accidens & quantitate ipsius materiæ, ita sunt tantùm & sufficienter ubicatæ, sive in loco naturaliter per accidens & ubicatione ipsius materiæ: vel sic, sicut ad esse quantum quantitativè formis sufficit illas esse materialiter & ratione quãtitatis subjecti determinatas, ita ad esse ubicatum in formis sufficit illas esse materialiter & ratione ubicationis materiæ determinatas; nec plura ubi materiæ & formarum videntur naturaliter possibilia, quàm plures quantitates materiæ & formarum, ob eandem rationem,

XXIX. Confirmatur 2°. impossibile est formas illas existere in materia ut subjecto suo naturali informationis existente hic, & non esse hic; ergo ubi materiæ sufficit ut sint hîc, & cætera superfluunt, & sine necessitate multiplicantur.

Dices

xxx. Dices ponatur materia illa hîc & etiam Romæ, omnes formæ illæ existent in materia existente Romæ; quia illa est eadem cum materia hîc existente; sed non propterea omnes illæ formæ erunt Romæ; quia suppono illas non esse Romæ replicatas, sed solam materiam; ergo possunt omnes illæ formæ existere in materia existente Romæ, & non esse Romæ; ac proinde & in materia existente hîc, & non esse hîc.

xxxi. Respondeo distinguendo majorem, omnes illæ formæ existent in materia tanquam subjecto suo naturali informationis existente Romæ, negò majorem; existent in materia secundùm entitatem existente Romæ, concedo majorem: sed hinc nihil contra nos, quia non volumus omnes formas illas sufficienter ubicari (quod volunt Vasquez, nostri Complutenses, Rubius, Albertinus, &c.) per unum ubi materiæ præcisè secundùm entitatem spectatæ, quomodo argumentum habet vim, sed per unum ubi materiæ spectatæ tanquam subjectum naturale informationis istarum formarum, quomodo dicit *esse ubicatum tali ubi naturali particulari & determinato* per modum conditionis sine *qua non* & *informationem materiæ ut tali ubi ubicatæ* per modum conditionis, &c. nam informatio est unio formæ ad materiam, non ubicumque existentem, alioqui positâ informatione materiæ hîc, postea reproductâ solâ materiâ in centum locis dissitissimis, poneretur & in illis informatio, quod meritò contra varios reputatur absurdum; sed existentem in priori naturæ in determinato hoc naturali loco (ut fateri debent omnes) in quo non importatur ubi formarum ab ubi materiæ realiter distinctum; quia ipsa informatio (saltem in formis materialibus) est eductio formarum ab ubi realiter distincta, & in sententia adversariorum prior naturâ ipso ubi formarum.

xxxii. Instabis, positâ materiâ in duobus locis v. g. Gandavi & Romæ, anima mea est indifferens ut sit Romæ, vel Gandavi, vel in utroque loco; ergo debet ad unum locum præ alio determinari per ubi proprium.

xxxiii. Resp. materiam, vel simul & semel, ante informationem animæ, positam Gandavi & Romæ, vel positam Romæ post informationem ab anima Gandavi factam? si 1um, erit ipsius generantis, sive materiam hîc vel Romæ ad unionem cum anima disponentis, determinare subjectum informationis animæ; si enim tantùm agat in materiam hîc existentem, anima erit hic tantùm; si utrobique (quod per divinam potentiam fieri potest) anima erit Gandavi & Romæ per adductionem ad materiam utrobique existentem tanquam subjectum illius informationis: si 2um, solùm erit Gandavi, quia materia Gandavi tantùm erit ut subjectum naturale informationis illius.

xxxiv. Objicies 2o. formæ tam sunt in loco, quam materia, nec minùs sunt capaces ubi distincti, & adduci ad alium locum, quàm materia, ergo &c. Probatur antecedens; quia alioqui si divinitus conservarentur destructâ materiâ, non essent amplius in loco, nec possent habere ubi distinctum, aut adduci ad alium locum, quæ videntur absurda, ergo, &c.

xxxv. Respondeo distinguendo antecedens pro prima parte, formæ tam sunt in loco per accidens, quàm sit materia per se, concedo antecedens; tam sunt in loco per se, nego antecedens: pro secunda item parte distinguo antecedens, nec minùs sunt naturaliter capaces ubi distincti, &c. quâ materia, nego antecedens: supernaturaliter, quomodo cessant esse in subjecto naturali informationis, concedo antecedens: sed id fit, quia tunc induunt quasi naturam subjecti informationis, quod solum per se habet ubi distinctum ac solum per se movetur & adducitur ad alium locum, & cætera per ipsum.

DVBIVM IV.

An plura corpora possint simul occupare eundem locum, vel è contra, unum plura loca simul.

Ante Resolutionem,

xxxvi. Suppono ex probandis in libris de gener. & corrupt. rarefactionem aliter fieri non posse, quàm per expenetrationem partium corporis rarefactibilis, ac proinde, cum rarefactio fiat naturaliter, unumquodque corpus rarefactibile tot habere partes penetratas, quot per rarefactionem potest habere expenetratas: unde consequenter dicendum quantitatem (sive materiam primam, in nostra sententia, quæ negat quantitatem realiter distinctam) esse quidem exigentiam partium suarum extra partes, sed non ultimò determinatam ad tot, vel tot partes extra partes, eo à sola forma & dispositionibus ad formam proveniente: sic enim dicitur in sententia adversariorum docentium rarefactionem fieri à raritate qualitate, quantitatem esse determinatam ad extensionem localem, sed non ultimò ad tantam vel tantam; ad tantam vel tantam autem determinari debere per raritatem, vel densitatem: quare sicut in sententia ipsorum materia accedente raritate vel densitate habet tantam vel tantam extensionem localem, ita in nostra accedente formâ, & ad illam dispositionibus, materia habet tot vel tot partes, extra partes, pro sua majori vel minori rarefactibilitate: hinc cũ definitur quantitas *exigentia partium extra partes cum impenetrabilitate*, definitio intelligi debet de exigentia partium secundùm se indeterminatarum, & ultimò determinabilium à forma, & ejusdem dispositionibus, ad esse tot, vel tot, extra partes; ut sit hic sensus, *quantitas est exigentia partium ultimò indeterminatarum, & ultimò determinabilium à forma, & dispositionibus, ut sint tot, vel tot, extra partes, cum impenetrabilitate naturali*. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

xxxvii. Dico 1o. substantiæ corporeæ completæ sublunares, non possunt naturaliter, saltem citra condensationem, simul occupare eundem locum.

xxxviii. Probatur, quia videmus, & experientiâ comprobatur, omnes substantias corporeas completas sublunares, etiam tenuissimas, ut aërem & aquam, se mutuò ab eodem loco expellere, & oppositum miraculo tribuitur, ergo, &c.

xxxix. Dixi sublunares, quia de cœlestibus nulla est experientia, aut similis certitudo; fortè enim dici posset, astra errantia cœlos penetrare, ita nonnulli, quod examinabimus in libris de Cœlo.

xl. Objicies, scyphus plenus aquâ admittit ulterius aliquos nummos, absq; effusione aquæ; item vas cribratis cineribus plenum, tantundẽ aquæ recipit, quâ si omnino esset cineribus vacuum, ergo, &c.

Respondeo

XLI. Respondeo negando consequentiam, ad 1^am^ verò experientiam de nummis in scyphum aquâ plenum injectis, dico aquam intumescere in medio scyphi, & sic occupando locum in aere, quem ante non occupabat, facere locum nummis; quòd autem aqua potius non effluat, fit, quia supere fluentia prohibetur à siccitate labiorum scyphi; quod colligitur ex eo, quòd si madefiant labra scyphi, statim effluat: ad 2^am^ verò, dico imprimis falsum esse vas illud tantum aquæ cineribus cribratis plenum continere, quantum vacuum; deinde quod id aquæ contineat, fieri; tum quia multi cineres evaporantur; tum quia cineres naturâ leves plurimas habent cavitates, quæ replentur aquâ.

Resolutio II.

XLII. Dico 2°, substantiæ corporeæ completæ sublunares, possunt, &c. citra condensationem supernaturaliter simul occupare eundem locum: est communis contra Paludanum in 4. dist. 44. quæst. 3^a^. & Durandum ibidem quæstiunc. 6^e^.

XLIII. Probatur, cum Christus egressus est ex utero virginis, aut sepulchro, & cum ingressus est ad discipulos januis clausis; vel penetravit uterum virginis, & sepulchri lapidem ac januas; vel transivit de extremo ad extremum sine medio: non hoc 2^um^, quia hic transitus difficiliùs intelligitur, quàm ipsa penetratio dimensionum, quarum aliqua est naturalis, ut patet ex supposito ante primam conclusionem; nec est ratio, cur potius hîc agnoscatur contra communem Sanctorum Patrum sententiam & interpretationem, quàm illa penetratio; ergo 1^um^ dici debet, ex quo sequitur intentum, eritque hæc penetrandi supernaturalis vis, una ex dotibus corporum glorificatorum, juxta D. Thomam 1^â^ 2æ & Theologos post ipsum.

XLIV. Confirmatur 1° Resolutio, substantiæ corporeæ completæ sublunares, non magis pugnant in ordine ad existendum simul in eodem loco, quàm duæ qualitates contrariæ in summo in ordine ad existendum simul in eodem subjecto; sed hæ possunt simul supernaturaliter existere in eodem subjecto; ergo & illæ simul in eodem loco.

XLV. Confirmatur 2°, potest unum corpus simul existere supernaturaliter in duobus locis adæquatis, ergo & duo in uno: Probatur consequentia; quia non est major repugnantia in uno, quàm in alio.

Resolutio III.

ANte Resolutionem

XLVI. Suppono 1°, modum existendi in loco posse assignari triplicem, videlicet definitivè, circumscriptivè & sacramentaliter: existere autem definitivè in loco, *Est locatum respondere totum toti loco, & totum cuilibet parti loci*, sic Angelus existit in loco: circumscriptivè vero, *Est locatum respondere totum toti loco, & secundùm quamlibet sui partem tantùm cuilibet parti loci*, sic existit omne corpus naturaliter in loco: Sacramentaliter denique existere in loco, *Est illud, quod naturaliter circumscriptivè existit in loco, virtute Divinâ, seu potius vi verborum, formarum Sacramenti Eucharistiæ, existere definitivè in loco*, sic Corpus Christi, existit in Eucharistia.

XLVII. Suppono 2°, naturaliter fieri non posse ut idem corpus sit in duobus diversis, vel duobus consimilibus adæquatis locis, naturaliter; id enim omnino exigit limitatio creaturæ; & alioqui, si posset in duobus, posset in mille simul, contra experientiam: potest tamen supernaturaliter idem corpus esse in pluribus locis adæquatis Sacramentaliter, ut constat de Corpore Christi in pluribus hostiis consecratis existente; imò & semel circumscriptivè, & pluries sacramentaliter, ut etiam constat de eodem Corpore Christi circumscriptivè existente in cœlo & pluries sacramentaliter in pluribus hostiis consecratis; & hæc fide Divinâ constant; unde sola difficultas restat, an idem corpus possit supernaturaliter esse circumscriptivè simul in duobus locis adæquatis. Pro qua

XLVIII. Dico 3°, unum & idem corpus potest supernaturaliter simul existere in duobus locis adæquatis circumscriptivè. ita Alensis 4. p. q. 11. art. 1°. Richardus in 4. dist. 10. art. 2. quæst. 2. Okam in 4. quæst. 4. Dub. 6. Major in 4. dist. 10. q. 4. idem docet Alanus l. 1. de Sacram. Euchar. c. 1. numer. 12. Sotus lib. 4. Phys. & in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. Bellarm. tom. 3. c. 3. de Euchar. c. 3. in fine. Suar. tom. 3. in 3. p. dist. 44. s. 4. Valent. tom. 4. dist. 6. q. 3. p. 1. n. 2. Cardinalis de Lugo dist. 5. de Euchar. s. 1. num. 12. Coninck 3. p. q. 75. art. 4. ad 3^um^. Hurtad. Disp. 14. Phys. sect. 5. Arriaga Disput. 14. Phys. sect. 8. subs. 2. Oviedo cont. 15. Physic. p. 9. Conimb. l. 4. Phys. cap. 5. q. 5. art. 2. Rubius lib. 4. Phys. Comptonus Disp. 35. Phys. sect. 3^a^. & alii; contra S. Bonaventuram in 4. dist. 49. part. 25. art. 3. q. 1. in Solutione ad 3^um^. Durandum in 4. dist. 10. q. 5. num. 30. & 31. Henricum quodlib. 9. q. 32. Palud. in 4. dist. 10. q. 1. Capreolum in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. & Recentiores ferè omnes Thomistas: quos sequitur Vasquez 3. p. dist. 189. c. 5.

XLIX. Prob. 1°, mirabilius est idem esse in duobus locis adæquatis sacramentaliter, aut in uno sacramentaliter & in alio definitivè, quàm in duobus locis adæquatis circumscriptivè; sed posse esse in istis duobus adæquatis supernaturaliter est de fide; ergo & esse posse in his duobus adæquatis, est omnino fidei conforme. Probatur major, quia modus existendi circumscriptivè est naturalis, &, si in duobus locis, tantùm supernaturalis quoad incompatibilitatem cum altero loco naturali: modus verò existendi sacramentaliter non est naturalis; sed supernaturalis, & secundùm se, & propter incompatibilitatem cum altero, ergo, &c.

L. Confirmatur, intelligibilius est, & minùs contra naturam quantitatis, rem duobus in locis existere extensè & circumscriptivè, prout exigit in loco esse, quàm semel extensè, & semel inextensè, quod est contra ejus naturam, utpote ubique exigens partes extra partes.

LI. Nec dicas hinc fore, ut corpus sit circumscriptivè in uno loco, & non sit circumscriptivè, in eo, quia non circumscribetur loco, utpote extra illum existens: item sequi corpus fore in duobus locis adæquatis, & non fore in duobus locis adæquatis, quæ sunt contradictoriè pugnantia & in intelligibilia.

LII. Contra enim est, quòd circumscribi loco. vel, esse circumscriptivè in loco; vel sit rem ita esse in loco, ut non sit in omni alio loco? & hoc est hæreticum,

ticum, ut patet ex supposito 2°: vel rem ita esse in loco, ut non sit in alio circumscriptivè? & hoc ipsum est de quo disputatur, & quæritur ratio, cur ita explicari debeat esse circumscriptivè in loco; si enim esse circumscriptivè in loco sit ita rem esse in uno loco circumscriptivè ut non sit in alio circumscriptivè; Corpus Christi esse circumscriptivè sacramentaliter in una hostia, erit ita Corpus Christi esse circumscriptivè sacramentaliter in una hostia, ut non sit in alia circumscriptivè sacramentaliter, quod meritò putabitur hæreticum; ne autem sit abusus in terminis, attende per *esse circumscriptivè sacramentaliter in una hostia*, me nihil aliud velle, quàm quòd Corpus Christi sit ita in una hostia ut totum (scilicet ex singulis ejus partibus existentibus in toto, quatenus singulis partibus hostiæ respondet) toti hostiæ respondeat, & secundùm quamlibet partem sui (ut inclusam in toto, quatenus cuilibet parti totum respondet) cuilibet parti hostiæ: unde per *esse circumscriptivè in loco*, nihil aliud intelligi debet, quàm corpus ita esse extensum loco, ut totum toti, & quælibet ejus pars cuilibet parti loci respondeat; per locum verò adæquatum intelligi debet locus ambiens totùm locatum, sive sit locus alibi corpus afficiens circumscriptivè, definitivè, aut sacramentaliter, sive non: quia sicut totum per hoc quòd sit pluries totum non definit esse totum, ita nec locus circumscriptivus, aut adæquatus, definit esse circumscriptivus, aut adæquatus, per hoc quòd sit pluries circumscriptivus aut adæquatus: Ratio est, quia sicut totum est indifferens ut sit semel, vel pluries totum, ut constat ex Angelo respectu suæ sphæræ localis, & ex Corpore Christi respectu hostiæ & cœli, ita est indifferens ut sit pluries vel semel adæquatè productum, circumscriptivè aut adæquatè locatum.

LIII. Probatur 2°, in Ecclesia Dei satis receptum est, imò & in breviario Romano ac Sanctorum legendis à diversis Pontificibus approbatum & relatum, varios sanctos simul fuisse circumscriptivè in diversis locis, ut de S. Ambrosio, quòd simul Mediolani & Turonii funeribus Sancti Martini adfuerit: item de S. Dragone, de S. Antonio de Padua, &c. sed hæc non debent aliter explicari quàm verba sonent, nisi adferatur implicantia in contrarium, ergo, &c.

LIV. Confirmatur solutione fundamentorum oppositæ sententiæ, quæ à Catholicis everti debent, vel propter hoc tantùm, quòd hæretici illis utantur, ut defendant, contra fidem Catholicam, Corpus Christi non esse in singulis hostiis, ergo, &c.

LV. Objicies 1°, idem nequit esse simul in pluribus temporibus, ergo nec simul in pluribus locis circumscriptivè.

LVI. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in existentiam in pluribus locis definitivè, idem nequit esse in pluribus temporibus, ergo nec in pluribus locis definitivè; consequentia est hæretica.

LVII. Respondeo 2°, concedendo totum, proportionaliter sumendo ly *simul* in antecedente & consequente, ut sit hic sensus, *Idem nequit simul simultate temporis esse in pluribus temporibus extra positis; ergo nec idem simul simultate loci esse in pluribus locis extra positis*; nam sicut plura tempora extra posita non possunt etiam divinitus intra poni & facere unum tempus; ita nec plura loca extra posita possunt, etiam divinitus, intra poni & facere unum locum.

LVIII. Objicies 2°, idem non potest esse à seipso discontinuum, à seipso distare, &c. sed si corpus posset esse in duobus locis circumscriptivè, id fieret, ergo, &c.

LIX. Respondeo negando minorem, & in primis illam retorqueo in duo loca sacramentaliter & definitivè: deinde per te unitas loci respectu diversorum non facit duo diversa esse unum continuum; ergo nec diversitas loci facere debet unum & idem esse duo discontinua; sicut enim unum & idem sub reduplicatione superadditi realiter distincti est à seipso diversum, ut v. g. saccarum ut album à seipso ut dulci; ita unum & idem potest esse à seipso discontinuum, à seipso distare, &c. sub reduplicatione loci discontinui aut distantis; sic Sanctus Ambrosius Mediolani existens erat à seipso ut Turonii existente discontinuus & distans; Ratio est, quia id non est Ambrosium esse à seipso discontinuum & distantem simpliciter, sed locum à loco, Mediolanum à Turonio.

LX. Objicies 3°, ex hac conclusione sequitur locum fore, & non fore æqualem locato; item locatum adæquari & non adæquari loco; sed hæc contradictoriè repugnant, ergo, &c. Probatur major, erit æqualis, ut supponitur; & non erit, quia duo loca sunt uno, qui est æqualis, majora, &c. item locatum loco adæquabitur, ut supponitur, & non adæquabitur, quia habebit aliquid extra.

LXI. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in totum pluries productum; sequitur totum simul productum fore totum, & non fore totum; erit totum, ut supponitur, & non erit totum, quia habebit adhuc aliquid producendum: ita retorqueri potest & in Corpus Sacramentaliter & definitivè existens in pluribus locis, ut consideranti patebit.

LXII. Respondeo 2°, negando antecedens pro 2ª parte; nam nec duo loca sunt majora duobus corporibus locatis, nec duo locata habent aliquid extra duo loca; in proposito verò locatum se habet per modum duorum locatorum: vel dic clarius, locum unum fore semper æqualem semel locato, & loca duo semper æqualia 2° locato; & similiter locatum semel semper adæquari uni, & locatum 2° semper adæquari duobus locis.

LXIII. Objicies 4°, ubi una tantùm ratio occupandi locum circumscriptivum, unus tantùm locus circumscriptivus; sed in uno tempore est una tantùm talis ratio, quia una quantitas tantùm, quæ est talis ratio, ergo, &c.

LXIV. Respondeo distinguendo majorem, ubi una tantùm ratio radicalis occupandi locum circumscriptivum, (qualis est quantitas) unus tantùm locus circumscriptivus; si etiam una tantùm formalis, id est si unum etiam tantùm ubi circumscriptivum, uti unum tantùm est naturaliter, concedo majorem; si plures formales, uti esse possunt, ut contendimus, nego majorem, distingue proportionaliter minorem.

DVBIVM

DVBIVM V.

Per quam actionem ponatur res in pluribus locis ; an per adductivam ; an per reproductivam ; an per utramque simul.

ANte Resolutionem

LXV. Suppono actionem adductivam *esse motum localem, quo res ponitur in loco*; reproductivam verò *motum effectivum, quo res ponitur in esse* : posse autem rem poni in duobus locis per actionem adductivam simul & reproductivam, soli negant, qui negant rem posse produci per duas actiones totales; & ita de facto Corpus Christi poni in venerabili Sacramento, quia ibi ponitur per transsubstantiationem, probabilius docebimus in libris de generatione. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

LXVI. DIco, ut res ponatur in pluribus locis, sufficit sola actio adductiva ad 2^um^ locum, sive motus localis ut est adductio ad 2^um^ locum ; reproductiva verò, nec requiritur, nec sufficit.

LXVII. Probatur 1ª & 2ª Pars ; quia ad ponendum novum ubi in corpore nulla reproductio requiritur, ut patet; tum ex 2° loco acquisito per motum localem & extensionem animæ rationalis ad partem corporis adgeneratam ; tum ex existentia Angelorum & animæ rationalis in pluribus locis; ergo sola adductio ad 2^um^ locum sufficit ut res ponatur in pluribus locis.

LXVIII. Confirmatur 1°, ut res existens sub uno contrario, etiam sub alio existat, sola coeductio alterius contrarii ex ipsa, sive subjecto, sine reproductione ipsius, sive subjecti, sufficit, ut omnes fatentur ; ergo similiter ut res existens in uno loco, etiam existat in alio, sola rei adductio ad alterum locum sine reproductione rei sufficit: consequentia tenet à pari, quia duo loca se habent ad eandem rem, sicut duo contraria in summo ad idem subjectum, ergo, &c.

LXIX. Confirmatur 2°, positis albedine & nigredine in subjecto semel producto, subjectum est album & nigrum; quia albedo est ratio formalis albi, & nigredo ratio formalis nigri ; ergo similiter positis ubi Gandensi & ubi Romano in re semel producta, res erit Gandavi & Romæ; quia ubi Gandense est ratio formalis existendi Gandavi, & ubi Romanum, ratio formalis existendi Romæ; ergo ut res ponatur in pluribus locis, sufficit sola actio adductiva ad 2^um^ locum ; reproductiva verò non requiritur.

LXX. Probatur 3ª Pars, quia reproductio quantum est de se, indifferens est ut sit hic, vel ibi, quod maximè verum est in nostra sententia, quà docemus actiones rerum permanentium productivas non minùs esse permanentes, quàm res ipsas ; ac proinde illas conservari ab eisdem omnino causis, à quibus primò productæ sunt, quod alioqui falsum esset; quia ad mutationem cujusque loci deberent perire, quod est nimiùm inconveniens; ac multiplicare entia sine necessitate, & ad Deum, ubi causa creata suppetit, sine judicio recurrere; ergo non potest esse ratio formalis essendi in pluribus locis: Antecedens patet; probatur consequentia; quia potest esse rei reproductio in eodem loco, quæ enim repugnantia? ergo, &c.

LXXI. Confirmatur ; cum quæritur an res aliqua possit reproduci, nullus quæstionem istam hoc sensu intelligit, *an res aliqua possit aliò transferri*, sed hoc sensu, *an res aliqua, quæ desiit simpliciter, possit iterum produci, sic ut accipiat novum esse simpliciter*, ergo, &c.

LXXII. Objicies ex P. Coninck de Sacram. q. 75. art. 4°. Dub. 3°. si Deus vellet Petrum Gandavi existentem, Romæ etiam in instanti ponere, non posset per solam adductionem ; nam, vel illa terminari deberet ad Petrum ut existentem Gandavi, vel ad Petrum ut existentem Romæ ? non 1^um^, quia alioqui ubi Romanum deberet esse Gandavi, quod implicat : nec etiam 2^um^, quia alioqui Petrus esset Romæ antequam esset Romam adductus, ut patet, ergo, &c.

LXXIII. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in ubi animæ rationalis, quod habet in parte pedis postea adgenita ; vel adductio animæ ad pedem terminatur ad animam ut existentem in capite, vel ad animam ut existentem in pede, secundùm locum partis adgenitæ ? non 1^um^, &c. ut supra in argumento, proportionaliter.

LXXIV. Respondeo 2°, negando antecedens; ad ejus probationem Respondeo adductionem terminari ad Petrum ut existentem præcisè, abstrahendo ab eo, quòd sit hîc, vel ibi, non secus ac ipsa rei productio & reproductio, quam ex natura sua imitatur, remque naturâ præcedit non secus ac ipsa.

LXXV. Adde hoc argumentum mihi videri difficile in sententia Suarez, Hurtadi, Arriagæ, Oviedi, Poncii & aliorum docentium, ubi esse formam rei jam productæ supervenientem, & illâ posteriorem naturâ. Ratio difficultatis est; quia in sententia ipsorum res producta se habet ut subjectum informationis ad ubi; nihil autem potest esse subjectum informationis, quod non est in determinato loco; quia alioqui non est cur anima Romæ tantùm existens, non posset informare subjectum Gandavi tantùm existens.

LXXVI. Respondebunt, nihil quidem posse esse subjectum informationis, quod non est in determinato loco, si non sit subjectum informationis ipsius loci seu ubi, bene autem quatenus subjectum informationis ipsius ubi seu loci; quia ut sic sufficit illud esse consecutivè in determinato loco. Sed

LXXVII. Contra, quòd subjectum informationis prius naturâ, quàm informetur formâ intrinsecâ, debeat esse in loco determinato, non provenit ex specie ipsius formæ, quòd v. g. forma sit ubi, vel non sit ubi ; ut malè hîc supponitur; sed ex natura unionis subjecti ad formam ut formam, abstrahendo, an sit talis, vel talis, ubi, vel non ubi, quæ ratio formæ includitur in ubi: quia intelligi non potest formam ut formam (quæcumque illa sit, nam ut forma, & non ut forma talis, dicit respectum transcendentalem ad subjectum informationis) informare & advenire intrinsecè subjecto priùs producto, sed nullibi priùs producto, priùs existent, sed nullibi priùs existenti quod tamen admittere debent; secus nos, qui identificamus ubi adductioni ad locũ, quæ indivisibiliter concomitatur productionem rei, & sicut hæc est naturâ prior re, ita illa: unde sicut optimè intelligitur 1^um^ motum seu 1^am^ adductionem esse ad rem non ut alibi existentem, non secus ac 1^am^ productionem, ita

optimè intelligitur 2am adductionem esse ad rem non ut alibi existentem, non secus ac reproductionem, quia rem secundùm se afficiunt. Hinc

LXXVIII. Colliges, in nostra sententia Deum posse Petrum Gandavi existentem transferre, seu sistere in instanti Romam, sic ut non transeat per spatium medium; quia adductio ad 2um locum terminatur ad rem secundùm se, ut statim dixi; potest autem 2a adductio esse in instanti, non secus ac 1a adductio, aut 1a rei productio; hæc autem mihi videntur difficilia in sententia aliorum citatorum, quod tamen ex eorum sententia sequitur: unde multò mihi fit probabilior nostra sententia, videlicet, quòd ubi non possit se habere ad rem per modum formæ posteriùs naturâ informantis, sed solùm per modum actionis priùs naturâ rem moventis, eo modo quo actio productiva rei.

DVBIVM VI.

Quanam formæ consequerentur subjectum replicatum, sive adductum ad 2um locum.

ANte Resolutionem

LXXIX. Suppono simul cum subjecto semper replicari productionem ipsius subjecti; quia replicatio, sive adductio subjecti, indivisibiliter afficit subjectum & productionem subjecti; nam res & fieri rei, sive res & productio ejus, se indivisibiliter concomitantur. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

LXXX. Dico 1°, formæ essentialiter affixæ loco non consequuntur, etiam per Deum, corpus replicatum.

LXXXI. Probatur, quia cum supponantur esse essentialiter affixæ loco, non magis per Deum possunt aliò transferri, quàm earum essentiæ mutari, ergo, &c. idem dic de formis dependentibus à loco, ut sunt actiones quinque sensuum, visio, auditio, &c. spectatâ potentiâ Dei ordinariâ; illæ enim habent sphæram naturalem, intra quam necessariò debet esse ipsarum objectum, ut experimur omnes.

Resolutio II.

LXXXII. Dico 2°, omnes aliæ formæ, tam subsantiales, quàm accidentales, & è contra, possunt supernaturaliter consequi subjectum replicatum.

LXXXIII. Probatur; quia illæ formæ non sunt minùs capaces duorum ubi supernaturaliter, quàm ipsum subjectum, ergo, &c.

Resolutio III.

LXXXIV. Dico 3°, omnes aliæ formæ, etiam strictè connaturales, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ, naturaliter non comitarentur corpus replicatum, neque id congruum videtur.

LXXXV. Probatur, quia subjectum replicatum, ut subjectum naturale informationis illarum formarum, extendi non potest ad ubi replicationis, sed ad naturale tantùm, ut patet; atqui illæ formæ sunt in loco per hoc, quòd subjectum ut subjectum naturale informationis respiciant, ut constat ex Dubio 2°, ergo, &c. Probatur major 1°, quia ubi replicationis est supernaturale, ac proinde facit subjectum informationis supernaturale, saltem ex parte conditionis: 2°, quia alioqui non posset Deus naturaliter formas à loco absolutas non connaturales, sive contrarias connaturalibus, sive non contrarias, replicato subjecto in centum locis dissitissimis, non replicare in omnibus illis, quod meritò putabitur obesse Dei absolutæ potentiæ, & contra exigentiam, tum subjecti, tum formarum non connaturalium, vel connaturalibus contrariarum, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 1°, quia causa naturalis calefaciens Romæ subjectum hîc & Romæ existens, etiam hîc subjectum calefaceret, & sic de aliis, quod videtur absurdum; quia sic non haberet sphæram activitatis (quod si verum est, sive absolutè, sive per accidens, & ex suppositione quòd subjectum sit in diversis locis, fiat) sacerdos sanguinem Christi Romæ suo halitu calefaciens, hîc etiam illum calefaceret, contra omnem experientiam; ergo omnes formæ, &c. naturaliter non comitarentur, neque id congruum foret, quantum experientia ista docet: quòd autem in Eucharistia ponantur anima & Christi divinitas per concomitantiam, ut docet Trident. sess. 13. cap. 3. non est, quia *congruum videtur ut omnes propemodum affectiones rei* (ut docet P. Comptonus Physic. Disp. Sect. 7.) *& accidentia, sive naturalia, sive supernaturalia, ponantur in loco, quò res transfertur, simul cum re illa, cujus sunt affectiones, quia jam sunt facta illius, & illa quasi possidet, & per unionem jus ad illa acquisivit.* Ita ille; nam inde sequeretur calorem halitus ab isto sacerdote Romæ causatum debere ex congruo hîc esse, cujus oppositum experimur: sed quia ly *meum* & *meus* in forma Eucharistiæ denotat corpus & Sanguinem Christi reipsâ esse unita animæ, divinitati, &c. in Eucharistia prout extra; sic nempe ut formæ corporis v. g. sit hic sensus Catholicus, *Corpus meum, quod præcisè vi verborum in Eucharistia ponitur, est reipsâ in Eucharistia per concomitantiam unitum animæ & divinitati, prout est extra illis unitum:* ubi an ly *sicut*, sic concomitantiam, & non potius Christi gratuitum erga creaturas suas affectum, significet, non probabit; quia inprimis Christus nihil contra congruentiam ex natura rei fecisset, si pro forma corporis hanc statuisset, *hoc est corpus meum, ut ab anima & divinitate separatum:* deinde sicut existentia illa supernaturalis corporis Christi in altero loco, quàm naturali, est supra naturam rei, & non contra; ita separatio accidentium, etiam connaturalium, à corpore Christi prout in altero loco, quàm naturali existente, esset supra naturam rei; & non contra, ergo, &c.

LXXXVII. Confirmatur 2° solutione objectionum.

LXXXVIII. Objicies 1°, essentia nusquam potest naturaliter esse sinè suis proprietatibus; ergo si replicetur, exigit secum replicari suas proprietates; ergo si Deus subjectum ponat supernaturaliter in duobus locis, non potest sinè miraculo non ponere etiam proprietates in duobus locis.

LXXXIX. Confirmatur ex Conc. Trid. dicente, Corpus & animam sub utraque specie poni ob naturalem concomitantiam; ergo si Deus subjectum ponat supernaturaliter in duobus locis, non potest sinè miraculo non ponere etiam proprietates in duobus locis.

XC. Respondeo distinguendo antecedens, essen-

tia

tia nusquam, id est in nullo loco naturali, potest naturaliter esse sinè suis proprietatibus, concedo antecedens; nusquam, id est in nullo loco, sive supernaturali, sive naturali, potest naturaliter esse sinè suis proprietatibus, nego antecedens; nam si non exigat esse in loco supernaturali, uti revera non exigit, multò minùs exiget esse instructa proprietatibus in loco supernaturali; quia etiam esse in duobus locis est supra naturam ipsarum proprietatum, & haberi non potest sinè altero ubi proprietatum supernaturali; exigentia autem naturalis non magis potest esse ad aliquid supernaturale, etiam per accidens & ex supposito, quàm esse possit supernaturalis per accidens & ex supposito. Ad Confirmationem

XCI. Respondeo admittendo verba Tridentini; nihil enim hìc Tridentinum habet contra nos; quia supponit sub specie panis corpus poni, eo modo, quo se habebat, cum Christus dixit *hoc est corpus meum:* & sub specie vini poni sanguinem, eo modo, quo se habebat cum Christus dixit *hic est calix sanguinis mei*, &c. corpus verò tunc habebat naturalem concomitantiam animæ, & sanguis naturalem concomitantiam corporis & animæ, unde rectè ex illo supposito dicit ob naturalem concomitantiam corpus & animam poni sub utraque specie: in proposito verò supponi non potest in 2° loco Romæ v. g. subjectum poni eo modo, quo se habet Gandavi, quia idipsum est quod hìc quæritur; nec est ratio hoc hìc supponendi, sicut est illud supponendi in Tridentino; quia procul dubio Christus dicens *hoc est corpus meum*, non loquebatur de suo corpore secundùm statum separationis ab anima, aut alium, quem postea habiturum erat; nec in illo statu separationis ulla est naturalis concomitantia corporis & animæ, ut patet; unde malè Tridentinum diceret *corpus & animam sub utraque specie poni ob naturalem concomitantiam.*

XCII. Adde, quòd si Tridentinum aliquid haberet contra nos, probaret etiam contra multos, ut Alensem 4. parte Quæst. 44. Okamum, Majorem, Aversam, Arriagam, &c. formas non connaturales debere subjectum replicatum naturaliter concomitari; quia habent etiam naturalem contingentem & naturaliter solubilem concomitantiam ad subjectum, sicut habet anima ad corpus, & corpus ac anima ad sanguinem.

XCIII. Objicies 2° ex P. Poncio; ideo nequit corpus naturaliter moveri ab uno loco ad alium, absque eo quòd moveantur cum ipso omnia accidentia ipsius loco absoluta, quia sunt à loco absoluta & corpori tamquam subjecto Physicè unita; ergo si corpus poneretur in pluribus locis, deberent similiter illa cum illo poni in pluribus locis; quia sunt loco absoluta & corpori tamquam subjecto Physicè unita.

XCIV. Respondeo negando antecedens, videlicet, quòd id sit præcisè ob illam rationem; quòd enim naturaliter nequeat corpus moveri, quin illa moveantur, est, & quia sunt loco absoluta, & quia sunt illi tamquam subjecto Physicè unita, & præterea, quia naturaliter movetur corpus acquirendo terminum *ad quem* novum & deserendo terminum *à quo* antiquum, sive quia in motu remanet subjectum naturale informationis illorum, quale non remanet in motu supernaturali, in quo retinet terminum *à quo* antiquum & acquirit terminum *ad quem* novum, sive in adductione ad diversa loca; accidentia verò non sunt in loco naturaliter, nisi per ubi, quod habet corpus ut subjectum naturale informationis illorum, ut supra probatum est: hinc ulterius patet, cur intellectio animæ, aut Angeli, sit ubicumque est anima, aut Angelus, tamquam in loco naturali.

XCV. Objicies 3°, si præfatæ formæ, replicato subjecto, non replicarentur, subjectum esset sibi ipsi dissimile, hìc videlicet calidum, Romæ non calidum; hìc congelatum, Romæ non congelatum; sed hoc est contra exigentiam subjecti, ergo, &c.

XCVI. Respondeo negando minorem; contradictorium enim verum est, videlicet subjectum in duobus locis non exigere esse sibi simile; quia ad hoc ut exigat sibi esse simile in duobus locis, requiritur exigentia supernaturalis alterius ubi suarum qualitatum supernaturalis, quam non habet, sed naturalem tantùm ad unicum.

XCVII. Deinde; hinc sequeretur hostiam hìc conservatam, hôc ubi ubicatam, motam, sumptam, &c. debere etiam Romæ esse hôc ubi ubicatam, motam, sumptam, &c. alioqui esset sibi ipsi dissimilis contra exigentiam suam, contrarium tamen experientia docet: hinc patet nullius esse momenti rationem, quam Ruvius *de loco* Quæst. 8. adfert, & plures alii sequuntur, videlicet, subjectum non posse esse album in uno loco, & non album in alio, quia sunt contradictoria: nam sicut secundùm ipsum non sunt contradictoria idem esse sibi dissimile diversis temporibus, heri v. g. album, hodie non album; ita nec sunt contradictoria idem esse sibi diversis in locis, hìc v. g. album, Romæ non album; quia contradictoria sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem, eodem tempore & loco, nisi velis, cùm hæreticis, sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, de quo verificantur similia contradictoria, esse impossibile & chymæricum, sicut simultanea veritas contradictoriorum est impossibilis & chymærica; unde Petrus replicatus hìc & Romæ, posset hìc vivere, & Romæ mori, sive (ne disputes de nomine) & Romæ habere corpus & animam separata, post conjunctionem Romæ antea factam.

XCVIII. Objicies 4°, ex hac sententia sequitur posito subjecto hìc & Romæ, quòd accidentia, quæ hìc essent in subjecto, penderent & non penderent ab hoc loco; sed hoc contradictoriè repugnat, ergo, &c. Probatur sequela majoris pro 1ª parte, videlicet quòd penderent, quia si Deus destrueret hoc ubi subjecti, & solum Romanum conservaret (quod naturaliter potest; cum subjectum non exigat nisi unum ubi) perirent omnia accidentia defectu subjecti hìc existentis, ergo, &c. probatur sequela majoris pro 2ª parte, videlicet, quòd non penderent, quia cum moveantur localiter simul cum subjecto, possunt remanere naturaliter pereunte hoc ubi, sive hoc loco, ergo, &c.

XCIX. Respondeo distinguendo sequelam majoris; penderent & non penderent eodem sensu, nego sequelam; diverso sensu, concedo sequelam; penderent enim ab hoc loco aut aliis naturalibus successivè comparabilibus, & non penderent ab hoc loco naturali tantùm; quia, ut toties dictum est, illa accidentia sunt in loco per ubi

subjecti, tamquam subjecti naturalis informationis eorum, quale manet in motu locali.

DVBIVM VII.

Quarum formarum subjectum replicatum sit capax.

RESOLUTIO.

C. DIco, subjectum replicatum, sive per solam adductionem, sive per solam reproductionem, sive per reproductionem simul cum adductione, non potest simul recipere formas, quas non potest simul recipere non replicatum.

CI. Probatur, quia oppositio & repugnantia istarum formarum non est penes ordinem ad locum unum, aut plura; sed per ordinem ad idem subjectum ex entitate sua illarum simul tempore habendarum incapax: atqui, nec sola adductio, nec adductio simul & reproductio tollit illam incapacitatem subjecti, magis quàm entitatem ejusdem subjecti, cui identificatur, nec addit virtualitatem ab illa entitate realiter distinctam, & quæ ante non erat; alioqui, contra suppositum, non esset reproductio aut adductio ejusdem omnino rei, ergo, &c.

CII. Confirmatur, nec reproductio, nec ubi, illas formas recipit, sed subjectum secundùm se; ergo subjectum secundùm se incapax illarum formarum simul habendarum, non fit capax ratione reproductionis simul & adductionis ad alium locum.

CIII. Objicies ex P. Compt. & aliis, Phys. Disp. 35. Sect. 5ª. res in diverso loco inadæquato existens, potest naturaliter recipere denominationes oppositas; ergo à fortiori existens in duplici loco adæquato ac discontinuo; consequentia patet: probatur antecedens, quia anima in corpore existens movetur in manu, dum interim frequenter non omnino movetur in pede; in manu dextra attollitur, & deprimitur in sinistra; actus intellectus est in anima in capite, non in manu, &c. ergo, &c.

CIV. Respondeo distinguendo assumptum, res in diverso loco inadæquato existens, potest naturaliter recipere denominationes oppositas præcisè, quia est in diverso loco inadæquato, nego assumptum: quia est in diverso loco inadæquato, sic ut simul æquivaleat multis habentibus esse simpliciter, concedo assumptum; sicut enim anima rationalis per se præcisè habet vires ad duo loca; ita posita in duobus locis per se præcisè habet vires ad ea, quæ contingunt in duobus locis, licèt in uno contingere non possint: è contra verò, quia corpus in duobus locis existens, per se præcisè non habet vires ad duo loca, ita nec positum in duobus locis habet per se præcisè vires ad ea, quæ contingunt in duobus locis, quæ in uno contingere naturaliter non possunt. Hinc

CV. Colliges 1º, quòd si subjectum replicatum, de potentia absoluta in uno loco non possit aliquas formas habere, neque de eadem potentia posse illas habere in diversis locis, & si solùm de potentia ordinaria non possit, & possit de absoluta, non poterit de ordinaria illas habere, & poterit de absoluta; hinc quia de potentia ordinaria non potest idem subjectum hîc esse summè calidum & summè frigidum, si sit hîc & Romæ replicatum, & hîc aqua in ipsum agat, & ignis in ipsum Romæ, idem continget, quod contingeret, si ignis hîc ab una parte, & aqua ab alia, agerent in idem subjectum hîc existens, ad hoc determinata ex natura subjecti in quod agunt, quæ est eadem reproducta & adducta, ac non reproducta & non adducta.

CVI. Nec dicas esse eandem etiam hodie & cras subjecti naturam, & tamen idem subjectum posse hodie calorem in summo, & cras frigus in summo recipere: disparitas enim est, quòd duæ durationes non sint simul simultate existentiæ: unde ratione illarum subjectum æquivalet multis habentibus esse simpliciter diversa; diversa verò loca sunt simul simultate existentiæ: unde ratione illorum subjectum non potest æquivalere multis, nisi secundùm quid, & quoad loca diversa: deinde quantum cognoscimus ex natura rei, alia est repugnantia subjecti in ordine ad duas durationes simul, alia in ordine ad duo loca simul; hæc enim solùm est respectu potentiæ naturalis; illa autem etiam respectu potentiæ supernaturalis; unde à durationibus ad ubicationes nullum est argumentum.

CVII. Colliges 2º, corpus centum librarum, quod hîc ponderaret centum libras, & Romæ etiam centum, non ponderaturum ducentas: sed sicut foret idem hîc & Romæ, ita hîc & Romæ ponderaret eadem centum libras: sic similiter lignum pedale in spatiis A. B. C. D. per replicationem existens, non erit per replicationem quadrupedale, licèt habiturum sit extensionem localem quatuor pedum; quia in illis locis futurum est idem lignum pedale.

DVBIVM VIII.

An Corpus replicatum possit moveri, & quomodo.

RESOLUTIO.

CVIII. DIco, corpus replicatum posset supernaturaliter moveri, naturaliter non posset.

CIX. Probatur 1ª Pars, quia supernaturaliter corpus habere potest plura ubi, imò & ubique collocari, ergo, &c.

CX. Probatur 2ª Pars 1º, quia non exigeret moveri; nam alioqui exigeret ubi supernaturale, quod est falsum, etiam supposito, quòd sit in duobus locis; nam sicut esse in duobus locis est supra exigentiam naturalem ipsius corporis replicati, ita supra suam exigentiam naturalem non exigeret in alterutro loco ubi supernaturale, adeoque nec moveri.

CXI. Probatur 2ª Pars 2º, quia alioqui naturaliter poneret formam, seu alterum ubi, naturaliter incompatibile in eodem subjecto cum alio, quod naturaliter repugnat. Hinc

CXII. Colliges 1º, te quantumvis debilem sinè difficultate sustentaturum corpus centum librarum supra utrumque humerum tuum replicatum; quia naturaliter non gravitaret, sicut naturaliter moveri non posset; sed quid si replicaretur in una bilance Gandavi & in alia Romæ, quantum ponderaretè nihil, quia, ut dixi, nihil gravitaret naturaliter.

CXIII. Colliges 2º, hominem quantumvis fortissimum non posse naturaliter puerum in duobus locis replicatum lædere aut percutere; quia læsio dicit motum carnis ex læsione, cicatrice aut percussione, qui naturaliter esse non posset.

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA.

De Vacuo.

DVBIVM I.

Quid Vacuum, & an dari possit naturaliter.

Resolutio I.

1. Dico 1°, juxta D. Thomam & alios communiter, Vacuum *est locus carens corpore*; unde pro formali dicit carentiam; pro materiali verò ipsam superficiem corporis carentis in se alio corpore; hinc spatia imaginaria non debent dici Vacuum; quia non sunt locus; non verò, quia corpore naturaliter repleri non possunt, ut docet P. Comptonus Phys. Disputat. 32. Sect. 1ª.

Resolutio II.

11. Dico 2°, post Aristotelem Physic. 4°. cap. 8°. & 9°. cui ferè omnes subscribunt, nullum datur naturaliter, nec dari potest, in rerum natura Vacuum.

111. Probatur variis experientiis quibus Physicè certum est, corpora ita invicem uniri, vel saltem contiguari, ut nullâ vi naturali discontinuari, vel saltem discontiguari possint.

1v. Prima experientia: nec ex dolio bene obturato, etiam post tractum epistomium; nec ex lagena orificio inverso, vinum effluit, ob solum periculum vacui.

v. Secunda: pueri fistulâ oblongâ aquæ admotâ baculo extracto, aquam attrahunt; vinitores ope recurvi scyphonis dolio vini immersi, halitu aërem trahente, dolium vacuant, ob solum periculum vacui.

vi. Tertia: latera follium ab invicem divelli non poterunt, si orificium, aliique aditus bene obturentur, & sic de sexcentis aliis, ob solum periculum vacui: cur autem natura ita abhorreat vacuum, cum Aristotele in 1°, meteorologicorum pro ratione adfero dependentiam sublunarium ab influentiis cælestibus, quæ alioqui communicari non possent, impediente vacuo; si enim posset dari vacuum uno instanti v.g. & circuli pilæ, posset & quadri alterius plurium milliarium, ac pluribus annis; quo casu omnia corpora, quæ essent è diametro infra, nec viâ rectâ nec per latera cœlestes influentias recipere possent, ut patet exemplo pluviæ aut radiorum solis; ab eis tamen omnino pendent, ut infra probabimus.

vii. Objicies 1°, sit turrita lampas oleo accensa, oleum in ea paulatim minuitur; sed in locum olei aër ingredi non potest, ergo ibi necessariò datur vacuum.

viii. Respondeo, vel, ut vult Ioannes à Porta, per foramen, per quod egreditur oleum, aërem ingredi, unde dum ingreditur, subinde auditur aliquis parvus sibilus; vel, ut vult Cardanus, oleo intus incalescente rarescit aër, qui ante in lampade erat.

ix. Objicies 2°, sit vas lapideum plenum aquâ calidâ, & rarefactione consummatâ, undique bene obseretur & claudatur, ac in loco frigido ad condensandam aquam collocetur; condensatione factâ, aqua minus spatium occupabit, quàm ante, ergo dabitur vacuum.

x. Respondeo negando consequentiam, quia, vel vas frangetur in parte debiliori, vel si undique æque forte sit, & non frangatur, aërem subingressurum per poros vasis; vel potius dicendum erit non fuisse ita obturatum, quin per foramen aliquod subingredi potuerit aër.

DVBIVM II.

A quo moveantur corpora in periculo Vacui.

Resolutio.

xi. Dico, non moventur à solo Deo aut Angelis, neque à corporibus ipsis, quæ moventur per virtutem illis intrinsecam; sed ab illo, qui movet corpus, ex cujus motione imminet periculum vacui.

xii. Probatur 1ª Pars 1°, quia frustra ad Deum aut Angelos recurritur pro effectibus quorum reperiuntur causæ sublunares, uti hîc, ergo, &c.

xiii. Probatur 1ª Pars 2°, quia, qui attracto aëre aquam per antliam aut fistulam attrahit, sentit pondus, difficultatem & defatigationem, quam alioqui non sentiret: deinde qui lagenam aquæ orificio infra, portat, non aliter, nec minùs, aquam movet, quàm si illam orificio supra portaret: sed illo casu aqua sursum movetur, & extra centrum, in periculo vacui; ergo corpora in periculo vacui non à solo Deo, aut Angelis, moventur.

xiv. Probatur 2ª Pars; tum probatione 2ª 1æ partis; tum quia in gravi non potest esse virtus intrinseca movendi se sursum; alioqui haberet duas virtutes naturales repugnantes, videlicet ad motum sursum & deorsum; & si aër omnis cælum inter & terram annihilaretur, terra naturaliter ascenderet & conjungeret se concavo lunæ, ut hac ratione frueretur influentiis cœlestibus; quod quidem admittit P. Comptonus Disp. 31. Physic. Sect. 1ª. sed id mihi tam naturaliter impossibile videtur, quàm vivum hominem profundè in terra sepultum, posse naturaliter lapidem sepulchri penetrare, ut fruatur beneficio aëris, quo respiret; tam enim est contra naturam gravis ascendere sursum, quàm sit contra naturam quanti, aliud quantum penetrare. Addit etiam contra, P. Poncius hîc, *Illa virtus esset agentis naturalis, quod positis omnibus ad agendum requisitis necessariò agit; ut quid igitur aqua maris jam non ascendit sursum?* sed responderi potest, quia non sunt omnia ad ascendendum sursum requisita, videlicet periculum vacui, quod potest esse conditio ad agendum requisita; nam sinè illo attrahens aërem per antliam aut fistulam non attraheret aquam, ut consideranti patebit; unde soli nostræ probationi insistimus.

xv. Probatur 3ª Pars, quia, qui attrahendo aë-

rem per fistulam, aut antliam, attrahit aquam, sentit pondus & resistentiam aquæ, & virtute suâ illam superat: & si cesset illam attrahere, desinit ascendere, ergo, &c.

XVI. Objicies, incredibile est puerum parvâ sorbitione aëris è recurvo scyphone posse movere & attrahere integrum plaustrum vini; sed hoc fieret in hac sententia, ergo, &c.

XVII. Respondeo negando majorem; quia cum omnia corpora ab alio tracta virtute quâdam quasi magneticâ sibi naturali (quæ non est contra naturam gravium) alia corpora sibi propinqua in periculo vacui trahant, non requiritur magna vis in attrahente; nam in attrahendo à singulis corporibus attractis coadjuvatur; hinc autem patet in periculo vacui diverso modo trahi corpora remotiora, ac partes remotiores baculi, attractis proximioribus; quòd enim aliqui, ut ostendant eundem tractus modum, doceant ita colligata esse corpora, ut Deus juxta naturæ exigentiam decreverit non concurrere ad movendum ullum corpus, sic ut ab omni alio localiter separetur, mihi non est probabile; quia ut sæpius dixi, pro purè naturalibus sinè necessitate ad Deum recurrere, est ignorantiæ asylum aperire: si verò quæras, cur corpus unum, non trahat aliud, tam extra, quàm in periculo vacui, cum vis illa attractiva sit agens necessarium, nec periculum vacui cognoscat? Respondeo, quia periculum vacui est conditio sine *qua non*, uti præsentia subjecti ad actionem ignis transeuntem; hujus tamen absentiam aut præsentiam ignis non cognoscit saltem cognitione elicitâ; sed hæc non requiritur, & innata sufficit, ut experientiâ comprobatur. Dicere autem esse disparitatem; eò quòd ignis creare deberet, quod non potest: nil est dicere; quia, vel est paritas, vel ratio tua convincit posse.

QVÆSTIVNCVLA.

XVIII. QVæres, an ab Angelis naturaliter vacuum induci possit?

XIX. Respondeo negativè; non quidem defectu virtutis, quia vacuum inducere non est majoris virtutis, quàm sit, attracto aëre per fistulam, aquam in suo loco continere; quod non videtur Angelicam virtutem superare, præsertim cum possit cælos & totum mundum movere, & in eo virtutem suam experiri velle, unde vacuũ inducendo nihil frustra facerent, contra PP. nostros Complut. hîc, & Thomistas alios: sed quia Deus non subjecit Angelis orbem terræ juxta illud Pauli ad Hebræos 2°. *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ*, quod alioqui videretur factum; quia cum ad conservationem sublunarium necessariæ sint influentiæ cælestes, per inductionem vacui, quâ impedirentur, omnia sublunaria perdere possent. Vnde non video, quâ ratione D. Fromondus de Anima lib. 3°. cap. 10. dicat *implicare contradictionem corpora duo à se invicem revera distare, & tamen nullum reale intervallum inter ea intercedere.*

DVBIVM III.

An fieri possit motus in vacuo.

RESOLUTIO.

XX. DIco: eâ parte, quâ corpus conjunctum foret reliquis partibus Vniversi, naturaliter moveri non posset; cæteris & se toto, si totum à reliquis partibus Vniversi disjunctum foret, moveri naturaliter posset.

XXI. Probatur 1ª Pars, quia alioqui naturaliter induceretur vacuum in loco istius partis conjunctæ reliquis partibus Vniversi, quod fieri posse naturaliter, supra n. 2°. negatum est; unde si haberet caput illis conjunctum, & non pedes, maneret capite appensum, nec illud movere posset, bene pedes; è contra, si pedes, &c. item qui terram tangens haberet bombardam oneratam, non posset illam explodere, & si escam inflammaret, deberet flamma perseverare.

XXII. Probatur 2ª Pars; quia, cum per motum tunc non induceretur vacuum, nihil impedit quominus fieret naturaliter motus, sive sursum, sive deorsum; sive ad dextram, sive ad sinistram; nam corpus, quod foret tunc disjunctum à singulis partibus & centro universi, non magis appeteret conjungi cum aliqua parte universi, quàm si foret omnino extra, ergo, &c.

XXIII. Dices, si fieret motus in vacuo, deberet ille secundùm quod adductio est ad diversa loca, in instanti fieri; sed hoc repugnat naturaliter, ergo, &c. Probatur major, quæ est Aristotelis, quia nulla esset resistentia medii, à qua successio motus, ergo, &c.

XXIV. Respondeo negando majorem; quia alioqui supposito vacuo inter concavum lunæ & terræ, lapis à concavo lunæ ad terram cadens, in instanti fuisset locatus in mille & mille locis, quod viribus naturæ omnino repugnat.

Ad ejus Probationem

XXV. Respondeo majorem illam non esse Aristotelis; quia ibi non loquitur ad rem, sive ut rem declaret; sed ad hominem, sive ut contra Platonem & alios arguat, dicentes totam successionem motus provenire ex resistentia medii, ergo (inferebat) ubi nulla resistentia medii, ut in vacuo, nulla successio motus; motus est instantaneus, &c. quod ex propria sententia reputaret absurdum; quia nimis clarum est successionem motus non solùm oriri ex resistentia medii; sed partim ex limitata virtute moventis; partim ex tanta, vel tanta intercapedine spatii percurrenda; partim ex resistentia medii, si medium sit: alioqui positis duobus lapidibus æqualis gravitatis, uno quidem apud concavum lunæ, alio verò uno pede à terra, lapis à concavo lunæ per totum vacuum intermedium motus, tam cito esset in terra, ac alter, quod est rationi absonum: hinc facilè solves omnia, quæ ex Philosopho, aut aliis, ut Pereira, Ægidio, Burlæo, Alberto Magno, &c. contra adferuntur.

DISPV-

DISPVTATIO QVINTA.

De Spatiis Imaginariis.

DVBIVM I.

Quid sint Spatia Imaginaria.

1. COnstat inprimis spatia illa, quia Imaginaria, non esse realia positiva aut negationes ubicationis realis non tollibiles, ut docet P. Compt. Disp. 33. Phys. Sect. 2ª. quia, per impossibile, omni cessante & impossibili factâ imaginatione, negationes ubicationis realis non tollibiles suo modo essent; & tamen eo casu spatia imaginaria cessarent & impossibilia essent; ac proinde spatia imaginaria esse non possunt: deinde vel præfatus P. Comptonus per ly *imaginaria* intelligit imaginata vel imaginabilia? 1um jam refutatum est, imò illæ negationes suo modo sunt, licèt imaginatæ non sint; ad 2um autem frustra negationes illas requirit, quia licèt non essent, sed earum loco ubicationes reales, adhuc spatia imaginabilia essent: denique Disp. cit. Sect. 1. n. 3. docet spatia imaginaria debere esse actu; quod intelligi non potest si sint negationes; quia negationes actu esse, idem est ac *non esse actu*, esse, *esse actu*, quia negationes sunt non esse actu, ut consideranti patebit, dicta supra Disp. 5ª. de privatione; ista autem sunt contradictoria.

Resolutio.

11. DIco, spatia imaginaria, non nisi imaginariè, imaginaria dicuntur, & attentis proprietatibus, quæ illis à Theologis & Philosophis communiter tribuuntur, ut, quòd sint spatium infinitè extra cœlos diffusum, æternum, capax (puta per non repugnantiam) corporis, &c. omnino cum spatiis realibus possibilibus confundi debent. Probatur Resolutio, quia his proprietates illæ conveniunt, nec aliter commodius videntur explicari posse, ergo, &c.

111. Dixi, non nisi imaginariè, quia revera, non nisi, quia hæc spatia possibilia imaginamur nobis ad instar nebulæ obscuræ aut aëris in infinitum diffusi, imaginaria dicuntur; unde S. Augustinus de Civit. lib. 1º. cap. 5º. insinuat spatia imaginaria *inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca*, uti tempora imaginaria *inanes hominum cogitationes, quibus inaniter cogitant præterita tempora vocationis Dei.* Hisque consonanter Conf. lib. 7º. cap. 1º. & 5º. spatia illa, vocat *spatiosum nihil.*

DVBIVM II.

An Deus sit actu in Spatiis Imaginariis.

Resolutio.

1v. DIco, Deus nõ est actu in spatiis imaginariis; ita Bonaventura, Scotus, Vasquez, Capreolus, Oviedus, D. Fromondus de Anima lib. 3. c. 10. & plures alii, apud Compt. hîc contra Suarez, Majorem, Sotum, Hurtadum, Arriagam, Fonsecam, Comptonum & plures alios, quos citat.

v. Probatur, quia non aliter Deus est in spatiis imaginariis, quàm ipsa sint Deo actu præsentia; sed illa non sunt Deo actu præsentia, ergo, &c. Major patet; probatur minor ex dictis. n. 1º.

v1. Nec dicas, illa esse actu possibiliter Deo præsentia; non verò actu actualiter. Quia apertus est lusus in terminis; nam sicut totum esse, & totaliter esse, non distinguuntur, ne totum & partes distinguantur; ita nec actu esse & actualiter esse distingui debent; imò illa esse actualiter possibiliter, idem est, ac esse actualiter, & non esse actualiter; quia ly *possibiliter* dicit non esse actualiter; quæ (ut supra insinuavimus) sunt contradictoria.

v11. Objicies 1º, Deus est extra mundum realiter immensus, & juxta Trimegistum *sphæra inintelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam*; alioqui producto novo mundo ultra cœlos non esset illi præsens; vel si esset illi præsens, esset etiam in medio, vel non? si 1um, ergo esset in spatiis imaginariis, uti ista sunt: si 2um, ergo esset à seipso divisus uti illi mundi, quod est absurdum, ergo, &c.

v11i. Respondeo negando ultimam consequentiam; & dico, quòd Deus, si produceretur novus mundus, foret illi præsens, & in medio inter utrumque; non quidem tamquam in spatio imaginario; sed tamquam spatium immensum reale à se & sua immensitate Divina realiter indistinctum: hinc optimè August. 7. Confess. cap. 5º. (quod sine ratione D. Fromondus de Anima lib. 3º. cap. 10. art. 1º. docet ab Augustino retractari, cum id verissimum sit, sensu dato) mundus in Deo est velut spongia parva in oceano immenso, qui ultra spongiam latè fusèque secundùm propriam substantiam distenditur; & ad rem nostram scriptura Iob 11. & lib. 3º. Regum cap. 8º. ubi dicitur Deus excelsior cœlis, cœlos cœlorum eum non capere, &c. unde probare non possum, quod ait Hugo Cavallus Schol. ad Scotum 1. d. 37. *Omnes ferè antiqui Theologi tenent Deum modò non esse extra cœlum*, & approbat D. Fromondus loco citato; licèt verum sit quod D. Fromondus ibi docet *nec Deum magis jam in quadam immensa extra mundum vacuitate esse, quàm erat in sole, aut lapide antequam sol, aut lapis crearentur.* dato quòd etiam in his tunc erat, tamquam spatium reale à se & sua immensitate realiter indistinctũ; quod Catholicè negari posse non videtur.

1x. Objicies 2º, ante mundum conditum Deus erat actu in temporibus imaginariis, ergo & in spatiis imaginariis & consequenter etiam jam est in spatiis imaginariis ultra mundum.

x. Respondeo negando antecedens; quia ista actu tempora imaginaria haud minùs sunt chymærica, quàm spatia imaginaria; unde sicut Deus ultra cœlos jam est spatium reale suæ immensitatis, ita ante mundum conditum fuit tempus reale suæ æternitatis, & in ea sola existens.

x1. Instabis, ante mundum conditum fuit fluxus de parte temporis possibilis correspondibilis tali virtualitati æternitatis, ad aliam sequentem; sed ille fluxus est tempus imaginarium, & Deus ante mundum conditum erat actu in isto fluxu, ergo, &c.

x11. Respondeo distinguendo majorem, ante mundum

mundum conditum fuit fluxus, &c. distinctus à producibilitate entis passivâ, & activâ Dei, correspondente Dei æternitati ante mundum conditum ab æterno quasi fluenti, nego majorem: indistinctus, concedo majorem; sed hoc tantùm est Deum fuisse actu in sua æternitate, quæ secundùm te procul dubio non est tempus imaginarium, sed realiter Deus ipse.

DISPVTATIO SEXTA.

De Motu, Duratione, & Tempore.

I. MOtus dupliciter considerari potest 1°, ut latio est, quomodo dicitur motus localis; 2° ut mutatio est, quomodo ab Aristotele definitur *actus entis in potentia*, id est actus entis perfectibilis per ipsum actum, ut ulterius perfectibilis per similem actum, quod congruit ejus doctrinæ, quâ docet motum debere esse continuum successivum. Hoc præmisso, sit

DVBIVM I.

Quid motus localis? quæ causa proxima motus in projectis, & an projecta quiescant in puncto reflexionis.

ANte Resolutionem

II. Suppono motum localem posse dupliciter considerari: 1° ut est successivus; 2° ut instantaneus. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO I.

III. DIco 1°, motus localis successivus est continua & successiva adductio ad diversa loca, ita ut terminus à quo semper deseratur & acquiratur terminus ad quem: Instantaneus est adductio ad locum, vel loca, instantaneè; quòd autem hic admittamus motum localem instantaneum, mirum videri non debet; quia non est ratio negandi mobile in instanti moveri localiter ad locum sibi immediatum: unde dic motui successivo correspondere ubi fluens, instantaneo permanens, quo tamen sensu dici debeat instantaneus, satis constat ex dictis supra.

RESOLVTIO II.

IV. DIco 2°, causa proxima motus in projectis est ipse motor seu projiciens.

V. Probatur, causa proxima motus in projectis, vel est ipse motor seu projiciens, vel aër medius, vel impulsus seu impetus illis à projiciente impressus; aliud enim non suppetit; sed neque 2^um^, neque 3^um^ dici potest, ergo 1^um^ dici debet.

VI. Probatur minor pro 1ª parte videlicet quòd non aër medius, contra Simplicium, Themistium, Albertum & Pereiram: quia frequentissimè moventur contra impetum aëris, seu flantis venti, etiam celerrimè, ut patet ex glande è tormento bellico emissâ: 2° omnis motus aëris, cum sit ad replendum locum à corpore projecto relictum, potius motum projectorum præsupponit, quàm ponit: 3° motus aëris, præsertim flante vento, est valde irregularis, modò in unam, modò in aliam partem; motus tamen sagittæ, aut glandis ex tormento bellico, valde regularis, & rectâ viâ, ergo, &c.

VII. Confirmatur, dari potest motus projectorum in vacuo; sed ibi nullum medium, ergo causa proxima illius motus non est aër medius.

VIII. Probatur minor pro 2ª parte, videlicet, quòd neque impulsus seu impetus à projiciente projectis impressus; quia verisimilius est non dari.

IX. 1°, Quia illa qualitas nulli subjecto esset proportionata, non inprimis gravi; quia faceret illud moveri sursum contra naturam, & deorsum celerius quàm exigat: neque etiam levi; quia faceret illud moveri deorsum contra naturam, & sursum celerius quàm exigat; non datur autem aliud, cui esset connaturalis & proportionata, ut per omnes discurrenti patebit.

X. 2°, Quia illa qualitas esset incorruptibilis defectu contrarii: non enim gravitas projecti esset illi contraria (ut malè insinuat Arriaga) quia vehementissimus impulsus nihil remittit gravitatis projecti; deinde quia eidem qualitati non contrariantur plures qualitates, gravitati verò contrariatur levitas; denique gravitas potius confert ad impulsus receptionem, quàm illi contrarietur; nam gravia facilius impulsum recipiunt, difficulter levia, ut supra.

XI. 3°, Non est assignabilis causa à qua effectivè conservaretur; non enim ipse projiciens, quia sæpius desiit ante finem motus, causa autem in sententia ipsorum non potest agere si non sit; non etiam aër intermedius, quia resistit impulsui, præsertim si sit ex adverso flantis venti; & statim sequeretur causam proximam impulsus projectorum esse aërem medium, contra probationem minoris pro 1ª parte; deinde impulsus ille ab eadem causa conservari deberet in vacuo, ac jam in pleno: non denique ab ipso mobili, quia nemo conservat hostem in sinu, nec mobile cognoscit naturam impulsus, tantam vel tantam illius durabilitatem, ut potius uno tempore, quàm alio cesset illum conservare; nec habet vim illum 1° producendi, cur igitur conservandi vim haberet? recurrere verò ad Deum tamquam causam illius conservativam & destructivam, uti recurrunt, Gabriel, Okamus, Ruvius, Murcia, &c. dicendo impulsum esse naturâ fluxum, ac proinde petere tantum durare, & non plus (præterquam quòd lubenter audirem quænam sit fluxitas in impulsibus, qui continuò terræ per conculcationem imprimuntur; aut simili corpori, quod impulsum, non movetur) indignum est Philosopho, ut sæpius dixi, illudque unicum mihi sufficit ad negandum impulsum; ergo non datur impulsus: vide dicta lib. 2°. Disp. 3. Dub. 1°.

XII. Probatur consequentia probationis Resolutionis ex Aristotele hic cap. 10. *Necesse enim est hoc quidem dicere, id quod primum movet, esse cum ut aër, aut aqua, aut aliquid hujusmodi, quod moveri movereque aptum est, possit movere:* subsumo, sed movendo mobile movetur, ergo movetur ab eo, quod primum movet seu à projiciente: & paulò infra, *simul atque is qui movet movere desierit, desinit moveri:* scilicet mobile

bile projectum: item ibidem, *Reflexa sphæra, non à pariete mota est, sed à projiciente:* denique ex eodem in quæstionibus Mechanicis quæst. 33ª. *Cessat autem* (videlicet motus) *quando non potest amplius facere primum impellens, ut impellat id quod fertur.*

XIII. Confirmatur, quia alia causa proxima motus projectorum non suppetit, & dicendo motivam projectionem projicientis esse permanentem ad certum tempus, eo modo, quo supra lib. 2°. Disp. 3. Dub. 1°. Resol. 4ª. explicuimus, loquimur conformiter ad mentem Aristotelis, imò & ad mentem D. Thomæ, qui quæstione unicâ de Anima art. 11°. docet virtutem quamdam à projiciente imprimi, similem quodammodo virtuti, quæ semini imprimitur à generante; probavimus autem lib. 2°. Disputat. 6. Dub. 2°. authoritate D. Thomæ & rationibus multis, hanc aliud non esse, quàm perseverantem generantis actionem: videturque Ioan. Kepleri inter Copernicanos celeberrimi, lib. de Marte cap. 34. *Ex anima jaculantis lapillos species motus in lapillis adhæresçit, quâ provehuntur illi, etiam, cum qui jaculatus est, manum ab illis reduxit:* sicque qui immeritò hîc ab omnibus recentioribus deseritur; vitamus impulsuum superfluas multiplicationes, & difficultates circa eorum naturam & causam conservativam allatas, ergo, &c. Sed

XIV. Quæres à quo moveantur projecta quando resiliunt.

XV. Respondeo contra Murciam (quidquid dixerit suam esse communem) similiter à primo projiciente, motivam tamen projectionem ipsius modificante corpore reflectente: patet ex Aristotele supra *reflexa sphæra, non à pariete mota est, sed à projiciente*; unde D. Thomas super hæc verba, *Paries non dedit impulsum pilæ ut resiliat, sed projiciens*: deinde motus resilitionis eò velocior est, quò corpus projectum, fortiùs est projectum; denique quia ad motum (præsertim contra naturam mobilis) videtur requiri motio projicientis intrinseca projicienti; paries verò quiescit: Adde contrarium videri contra communem sensum, quia nullus dicit parietem pilam resilientem projicere.

XVI. Dices, quando ex naturali gravitate pila cadit in terram, à terra resilit; sed non à propria gravitate, quia ille motus resilitionis est contra naturam gravium, ergo est à terra corpore reflectente.

XVII. Respondeò negando consequentiam, quia ille motus est ab aëre in illo casu à retro semper movente cadentem pilam, unde per vacuum in terram cadens non resiliret, magìs quàm manus sine impetu supra terram posita; aër autem ille est impellens.

XVIII. Instabis, si motus resilitionis non sit à corpore reflectente, cur pila projecta contra stupas non ita resilit, sicuti projecta contra parietem? aut cur projecta contra parietem magìs resilit, quàm lapis?

XIX. Respondeo, quia corpora reflectentia, sive à quibus incipit reflectio, sunt diversæ naturæ, aut quia diversimodè modificant projectiones, pro natura suâ, & pro natura projectorum.

Resolutio III.

XX. Dico 3°, interdum mobile quiescit, interdum non quiescit, in puncto reflectionis.

XXI. Probatur 1ª Pars ex motu complanationis ad corpus stans; cum v. g. pila projicitur ad parietem, complanatur, ita ut priùs secundùm unam partem, posteriùs secundùm aliam corpus stans tangat, ergo, &c.

XXII. Dixi *ad corpus stans*; quia si ad corpus quod movetur, v. g. ad lapidem molarem cadentem de cœlo, non est cur quiescat.

XXIII. Probatur 2ª Pars, ex projectione lapilli ad lapidem molarem cadentem de cœlo, qui sicuti continuò cadendo movetur, ita & lapillus occurrendo & reflectendo, ergo, &c.

XXIV. Objicies, Aristoteles hîc lib. 8°. videtur docere mobile semper quiescere in puncto reflectionis.

XXV. Respondeo, Aristotelem quidem docere quiescere in puncto reflectionis; non tamen negare interdum non quiescere; vel dic ipsum loqui de quiete motus ut directi, qui in puncto reflectionis verè quiescit seu cessat esse directus; non verò de quiete motus ut motus.

Dvbivm II.

Quid sit duratio: an realiter distincta à tempore, re durante, ejus productione, aut conservatione; & an rerum permanentium sit intrinsecè successiva.

Resolutio I.

XXVI. Dico 1°, duratio est ratio formalis, per quam res potius est nunc, quàm tunc; potius hoc tempore, quàm alio; qui verò dicunt durationem esse perseverantiam rei in esse, vim nominis sequuntur, sicut illi qui dicunt motum localem esse successivam acquisitionem loci; nam in rigore rationis prima acquisitio est motus localis, & prima acquisitio temporis, duratio, sic ut duratio dividi debeat in instantaneam & successivam, sicut ubi dividitur in indivisibile & divisibile. Ita R. P. Ioannes à S. Thoma q. 18. de tempore; neque in hoc puncto potest esse quæstio alia, quàm de nomine.

Resolutio II.

XXVII. Dico 2°, cum Scoto in 2^um. d. 2. q. 2. Okamo, & Gabriele ibidem q. 11. & Durando quæst. 3. ibidem similiter, Suarez, Vasquez, Ioanne à S. Thoma, Hurtado, Oviedo, &c. contra Bonaventuram & Richard. in 2^um. dist. 2. art. 1°. Conimb. nostros Complut. Rubium, Murciam, Arriagam, De Lugo, Comptonum, &c. duratio non est identificata rei productioni aut conservationi, sed est existentia rei cujuscumque & temporis.

XXVIII. Probatur 1ª Pars, quia duratio illa à tempore, re durante, & ejus productione, aut conservatione, distincta, est omnino superflua, multiplicatque durationum entitates, & productiones, sinè necessitate, ut ex probatione tertiæ partis constabit, ergo, &c.

Con-

XXIX. Confirmatur 1°, quia hinc sequeretur existere posse rem aliquam, quæ nec esset præterita, nec præsens, nec futura; nec instantanea, nec successiva; nec permanens, nec ab æterno; nec in tempore creata, nec unquam incipiens, nec unquam positivè desinens esse: omnia autem esse Deo temporaliter præsentia, non minùs veritas catholica dici debet, quàm omnia esse Deo localiter præsentia, quod esse veritatem catholicam Disputatione præcedenti diximus: Ratio verò sequelæ est; quia ista omnia fundantur in duratione, quæ utpote à rebus ipsis producenda, & accidens illis posteriùs, à Deo impediri poterit ne ab illis producatur, ut Disputat. præcedenti, Dub. 1°. a. n. 13°. vidimus, ergo, &c.

XXX. Confirmatur 2°, non minùs subjectum naturale informationis cujusliber formæ concomitanter habet durationem, quàm ubi; sed subjectum naturale informationis habet ubi antequam ulli formæ se naturâ posteriori uniatur; ergo & durationem antequam ulli durationi formæ se naturâ posteriori uniatur: probatur major: similia absurda sequuntur ex eo, quod duratio illi naturæ postponatur, quæ sequuntur ex eo, quòd ubi illi postponatur, ut patet ex confirmatione 1ª. Probatur minor ex dictis Disp. 4. Dub. 3. Resp. 3ª.

XXXI. Probatur 2ª Pars, si duratio esset identificata rei productioni, aut conservationi, rei productio, aut conservatio, esset essentialiter successiva, ita ut singulis instantibus nova foret; vel permanens, ita ut eâdem conservatione durarem toto tempore vitæ; sed neutrum dici potest, ergo, &c.

XXXII. Probatur minor pro 1ª parte, 1°, quia si conservatio esset essentialiter successiva singulis momentis mutaretur, oporteretque pro causa rem conservante ad Deum ut supplentem causæ secundæ defectum continuò recurrere, quod mihi displicere sæpius ostendi; 2°, quia non est ratio, cur potius res producta & conservata, sit permanens, quàm ejus productio, aut conservatio; & si illa sit permanens idem de hac, à paritate rationis, dicendum est; imò, ut in intellectione, visione & aliis pluribus, actio identificatur termino permanenti; unde non potest esse essentialiter successiva: 3°. sequeretur peccatum voluntatis durans unâ horâ singulis instantibus esse novum, & è contra meritum, v.g. actum amoris durantem unâ horâ, singulis instantibus esse novum, quod parit multas in Theologia difficultates, ergo, &c.

XXXIII. Probatur minor pro 2ª parte, quia si foret permanens, per seipsam præcisè daret potius durare cras, quàm hodie, vel simul per existentiam concomitantem temporis crastini? non 1ᵘᵐ; quia, cum hodie præcisè sit secundùm suam substantiam, hodie daret durare cras, quod implicat: si verò 2ᵘᵐ, ergo superflua est duratio distincta, ut constabit ex probatione 3æ partis.

XXXIV. Confirmatur, non est ratio negandi, quòd Deus possit me conservare hodie conservatione quâ me conservabit anno 1700. ergo hodie possum durare anno 1700. non durando anno 1648. & cæteris intermediis, pro quo vide dicta lib. 2°. Physic. Disp. 3ª. Dub. 1°.

XXXV. Probatur 3ª Pars: quia non est possibile nisi unum tempus simul, Deus, dum est (uti semper est) seipso cuilibet tempori coexistit; ergo similiter creatura, quia non est possibile nisi unum tempus simul, dum est, seipsâ cuilibet tempori coexistit, ac proinde seipsâ durat omni tempore, quod fluit, dum est.

XXXVI. Respondebis post Arriagam, Deum non ideo seipso coexistere cuilibet tempori; quia non est possibile nisi unum tempus simul; sed quia est æternus.

XXXVII. Sed contra 1°, etiamsi non esset æternus, saltem quia non esset possibile nisi unum tempus simul, dum esset, seipso cuilibet tempori coexisteret: 2°, ut æternitas Dei dicatur potius esse cras, quàm hodie, debet determinari per tempus crastinum fluens, dum est æternitas; alioqui æternitas esset cras ab æterno; quod est absurdum, non secus ac cras esse ab æterno; si verò per tempus crastinum determinetur æternitas, ut sit cras potius, quàm ut sit hodie, sinè alio superaddito, quidni Deus determinari poterit, ut sit potius cras, quàm hodiè (etiamsi per impossibile non esset æternus) per existentiam suam, & tempus crastinum actu fluens, & sic consequenter de creaturis.

XXXVIII. Confirmatur objectionum solutione, entium superfluorum diminutione, & quia nihil aliud restat cui identificetur commodiùs duratio, ergo, &c.

XXXIX. Objicies 1°, res quælibet est indifferens ut sit nunc, vel tunc, ergo per aliquid realiter distinctum determinari debet; sed ad hoc non sufficit cum re existente existentia hujus temporis; ergo requiritur duratio realiter distincta: probatur minor, quia vel ibi ly *existens* accipitur pro existente nunc hoc tempore sive verbaliter; vel pro existente abstrahendo ab existente nunc, vel tunc, id est pro præsenti, præterito, aut futuro; sive nominaliter? non 1ᵘᵐ, quia clarum est ibi involvi durationem realiter distinctam: si 2ᵘᵐ, clarum est existens abstrahendo ab hoc tempore v. g. heri existens, esse existens hoc tempore existente, & non esse existens hoc tempore, ac proinde ad existendum hoc tempore, potius quàm alio, requiri durationem à re existente & tempore existente realiter distinctam.

XL. Respondeo distinguendo antecedens; res quælibet, dum est, est indifferens ut sit nunc, vel tunc, nego antecedens: dum non est, concedo antecedens; ad id verò, ut dum non est, determinetur ad esse potius nunc, quàm tunc, sufficit illam produci & tunc existere potius *nunc*, quàm *tunc*, sive instans præsens, potius quàm præteritum, aut futurum; unde nego minorem; ad ejus probationem Respondeo ibi ly *existens* non posse accipi nominaliter, sive neutraliter existente hoc tempore præsenti; quia ut accipiatur verbaliter per hoc tempus etiam existens, determinatur; alioqui etiam ly *existens* existente præcisè Deo, & hoc tempore, respectu Dei acciperetur etiam neutraliter, à pari; quia, quòd Deus sit æternus, creatura verò temporanea, ut vidimus, nihil juvat; siquidem adhuc debet ipsius æternitas, ad hoc ut sit potius cras, quàm hodie, determinari per aliquid extrinsecum.

XLI. Objicies 2°, durare est correspondere partibus motus; sed partes motus, quæ erunt cras, possunt esse hodie; ergo possum hodie durare cras.

XLII. Respondeo distinguendo majorem, durare est correspondere partibus motus sibi invicem succedentibus secundùm prius & posterius, concedo majorem; partibus motus permanenter & materialiter sumptis, nego majorem: ad minorem, similiter distinguo; sed partes motus, quæ erunt cras, possunt esse hodie secundùm suum priùs, quomodo dicun-

dicuntur esse hodierna dies, concedo minorem; secundùm suum posterius, quomodo dicuntur esse crastina dies, nego minorem: undè nego consequentiam; dies enim hodierna nihil aliud est, quàm pars prior motus, dies crastina, pars posterior; sic mensis Iulius nihil aliud est, quàm partes priores motus durantis duobus mensibus; mensis verò Augustus partes ejusdem motus posteriores.

XLIII. Objicies 3° ex Murciâ, rem existere potiùs in hoc loco, quàm in illo, est aliquid realiter distinctum à loco, & re locata, ergo similiter existere, potiùs hoc tempore, quàm illo, est aliquid realiter distinctum à tempore, & re durante.

XLIV. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, in eo, quòd quia simul esse possunt plura loca, quorum uni correspondere possit res locata, potest esse hic locus & res locata; quin res locata sit in hoc loco; è contrà verò, quia simul esse non possunt plura tempora, quorum uni correspondere possit res durans, fit ut non possit actu esse hæc res, & hoc tempus existere, quin existat res hoc tempore: quòd autem aliqui dicunt posse rem existere, v.g. heri, & tempus hodiernum, & rem non existere hodiè, nihil urget; quia rem existere heri, non est existere, sed existentem fuisse, sive extitisse; nos autem non negamus posse rem extitisse, & existere tempus hodiernum, quin existat hodie; sed solùm, rem non posse existere, & existere tempus hodiernum, quin determinetur ad existere hodie.

XLV. Objicies 4° ex P. Comptono Physic. Disp. 39. sect. 1. Petrus existens in instanti A. potest à Deo petere ut ipsum conservet pro sequente instanti, vel tempore: quid autem petit Petrus, si durationem à se & tempore realiter distinctam non petat?

XLVI. Respondeo petere, ut existat, & tempus quod est sequens, & præterea nihil; quia impossibile est Petrum existere, & tempus quod est sequens existere, quin isto tempore duret Petrus; quod, ut advertas, attende adversarios semper ponere Petrum extitisse, aut extiturum esse, & tempus existere; aut è contrà, tempus extitisse, vel extiturum esse, & Petrum existere; numquàm verò Petrum existere, & tempus existere; undè si Deus velit Petrum existere, & tempus existere, prout ly *existere* distinguitur contrà extitisse & extiturum esse, vult sinè ullo ente suprà Petri & temporis existentias, Petrum & tempus coexistere, simul durare, &c.

Resolutio III.

XLVII. Dico 3°. Duratio rerum permanentium est intrinsecè permanens ex parte rei permanentis, & intrinsecè successiva ex parte temporis. Hæc resolutio satis patet ex præmissis.

Pro complemento materiæ de duratione

XLVIII. Adde durationem modo suprà definito sumptam ordinariè assignari triplicem, videlicèt æternitatem, ævum, & tempus: æternitas autem est, juxtà Boëtium, *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Id est, est duratio, quæ caret principio & fine, sive, quæ ita est, ut nec potuerit incipere, nec finire: ævum *est eorum, quæ sinè fine, initium habent:* tempus *eorum, quæ initium & finem habent.*

DVBIVM III.

Quid tempus, & an à motu successivo differat.

Resolutio I.

XLIX. Dico 1° cum Aristotele, & aliis communiter, tempus rectè definitur, *numerus motus secundùm prius & posterius.*

L. Adverte tamen pro intelligentia definitionis, quòd sicut suprà assignavimus locum duplicem, unum intrinsecum, alium extrinsecum; ita nos posse hîc assignare tempus duplex, unum intrinsecum, aliud extrinsecum; tempus autem intrinsecum *est idipsum, ratione cujus, sum potiùs hoc tempore, quàm alio*, sive ipsa duratio, de quâ Dubio præcedenti: tempus verò extrinsecum *est ipse motus habens partes priores & posteriores*, sive motus successivus, ut successivus: hoc autem tempus extrinsecum est duplex, unum particulare secundarium & mutabile, & *est duratio cujuslibet motus successivi ut successivi, distincti à motu primi mobilis:* hæc enim duratio dicitur mutabilis, quia non quilibet motus successivus est æqualis in tarditate, aut velocitate, sed hic tardior, ille velocior, per ordinem ad easdem partes motus primi mobilis: alterum commune, primarium, & fixum, & *est motus primi mobilis, per ordinem ad quem cæteri motus & durationes particulares mensurantur;* quia ille est uniformis & fixus, ac ad usum communem, jam in horas, dies, annos, &c. divisus.

LI. Dicitur tempus *numerus motus*; non quòd sit quantitas discreta, siquidem ejus partes, utpotè ejusdem rationis, indistantes sunt continuæ; sed quia, si de tempore extrinseco particulari sit sermo, cum sit motus successivus, habet partes priores & posteriores numerabiles per hos numeros, dies, annos, &c. Vndè est numerus fundamentalis, & numerabilis: si verò de tempore extrinseco communi, est numerus aptitudinaliter numerans omnium rerum permanentium durationes, seu tempora intrinseca, & motus alios successivos, seu tempora extrinseca particularia.

Resolutio II.

LII. Dico 2° contrà Capreolum, Complutenses nostros, Conimbr. Rubium, Murciam, qui oppositam verissimam malè reputat, & alios: tempus extrinsecum particulare à motu quolibet successivo ut successivo, distincto à motu primi mobilis; & tempus extrinsecum commune à motu primi mobilis, non distinguitur realiter.

LIII. Probatur, quia nulla necessitas talis distinctionis, motuique convenit, 1° definitio temporis extrinseci particularis, 2° temporis extrinseci communis allata, ergò, &c.

LIV. Confirmatur ex Aristotele lib. 4°. text. 100. *Prius & posterius in motu, re quidem ipsa & subjecto, idem sunt quod motus, ratione verò diversa sunt, & motus sunt*, ergo, &c.

LV. Dices tamen 1° cum Murcia, idem non potest simul multiplicari, & non multiplicari; sed si tempus non esset realiter distinctum à partibus motus successivi ut successivi, idem simul multipli-

caretur, & non multiplicaretur ; ergo, &c. Probatur minor eodem tempore, quo absolvitur motus tardus, centum spatii partium v.g. absolvitur motus velox mille partium; hic autem multiplicantur partes motus, & non multiplicantur partes temporis : ergo, &c.

LVI. Respondeo negando minorem: ad ejus probationem, respondeo in illo veloci motu multiplicari partes motus, & etiam temporis extrinseci particularis, quod solùm juxtà conclusionem identificamus motui successivo distincto à motu primi mobilis, qualis ille est; hinc patet motum velocem posse habere tardo majorem durationem intrinsecam ; quia habet plures partes successivas ; æqualem verò, imò, & interdùm minorem extrinsecam communem, & primi mobilis, si nempè æquali, vel minori duratione, motus primi mobilis absolvatur.

LVII. Dices 2°. Deus potest reproducere eumdem motum, & tamen non potest reproducere idem tempus; quia tempus, quod semel fuit, non potest non fuisse : ergo distinguuntur saltem modaliter.

LVIII. Respondeo admisso antecedente pro 1ª parte, negando 2ᵘᵐ partem ; ad ejus probationem, Respondeo, quòd si reproducatur idem motus, reproducetur & idem tempus; per hoc tamen non fiet, quòd id, quod fuit, non fuerit; sed tantùm quòd id, quod semel fuit, iterum sit; cum verò dicitur *ad præteritum non dari actionem*, id est, fieri non potest ut id, quod fuit, non fuerit.

LIX. Dices 3°. aliæ sunt proprietates motus, & aliæ temporis, seu durationis ; nam motus ab Aristotele dicitur velox vel tardus, tempus verò longum vel breve : ergo, &c.

LX. Respondeo negando consequentiam, quia illæ proprietates solò nomine & definitione formali differunt, prout dicimus motum & tempus solo nomine & definitione formali distingui.

Resolutio III.

LXI. Dico 3°. tempus est ita ens reale, ut nullo modo pendeat ab intellectu.

LXII. Probatur, quia identificatur motui ; atqui motus ita est ens reale, ut nullo modo pendeat ab intellectu : ergo, &c. major patet ex præmissis; probatur minor, quia res realissimè moventur, & independenter ab intellectu : ergo, &c. Hinc

LXIII. Colliges sinè fundamento Averroëm, Iandunum, Iavellum, Conimbr. 4. Physic. Amicum post ipsos tract. 22. docere tempus habere complementum ab intellectu in ratione numeri, videlicèt, quia distribui in horas, dies, annos, &c. habetur ab intellectu numerante, eò quòd illa distributio in partes numeratas non sit de complemento numeri, magis quàm distributio ulnæ in quartas partes sit de complemento ulnæ; sicut enim ulna est, & completa est, antequàm in illas partes distribuatur, ita & tempus est, & completum est, antequàm in horas, dies, annos, &c. distribuatur: unde licèt tempus ut distributum in partes dictas habeat complementum ab intellectu, ut tempus tamen illud non habet ab intellectu ; cum verò Aristoteles lib. 4°. textu 131. dicit, posito intellectu numerante impossibili, fore impossibile tempus, agit de tempore ut distributo in suas partes, videlicèt horas, dies, &c.

Dvbivm IV.

Possitne res esse, & nullibi ac numquàm esse.

Resolutio I.

LXIV. Dico 1° contrà RR. PP. Vasquez 1. p. Disput. 188. n. 25. & 27. Moncæum Disp. 1. controv. 8ª. Meratium 1. p. disp. 19. sect. 1. num. 6. Oviedum Physic. cont. 15. p. 7. Poncium Physic. lib. 4°. Disputat. 15. q. 2. nec Angelus, nec ulla alia creatura corporea, potest existere, & nullibi existere, etiam de potentia Dei absoluta : ita cæteri ferè omnes, qui dubium hoc movent.

LXV. Probatur 1°. quia quandoquidem ex dictis disp. 4. dub. 3°. prima positio creaturæ in loco, saltem aptitudinali, non minùs creaturam præcedat, quàm ipsius creaturæ productio, sed hanc concomitetur ; non plùs potest creatura existere, & nullibi existere, quàm existere, & non produci, ut patet : ergo, &c.

LXVI. Dices, difficultas non solùm procedit de re producta, sed etiam de ipsa rei productione ; cur enim hæc non potest existere, & nusquàm existere ?

LXVII. Respondeo eamdem esse productionis & rei productæ, hoc in puncto, rationem ; sicut enim non potest, etiam divinitùs, existere hæc productio, quin sit in hoc instanti actu vel potentiâ existente, ut patet ex dictis dub. 2°. ita non potest existere, quin saltem habeat concomitanter ubicationem; quia præcisâ simultate existentiæ plurium locorum (propter quam solam distinguimus ubi à quacumque re, & non durationem, defectu illius) eodem modo se habet productio rei ad ubicationem & locum, quo se habet ad durationem, & tempus : ergò, &c.

LXVIII. Probatur 2°. licèt ubi esset quoddam accidens Angelo aliundè creato superadditum, per Dei omnipotentiam non potest Angelus existere, & nullibi existere : quia non potest creatura per Dei omnipotentiam existere, & Deo positivè præsens non esse, Deum positivè non penetrare, &c. sed hoc sequeretur, ut consideranti patebit : ergo, &c. sequela patet: probatur major : quia vel ipso Vasq. 1. p. Disp. 28. cap. 4. (ut notant PP. Oviedus & Comptonus) fatente, Deum esse penetrativè omni creaturæ positivè præsentem, est veritas Catholica, cujus ratio esse potest, quia sicut intelligi non potest Deum esse immensum, & non esse penetrativè in omni ente, & consequenter positivè præsentem omni enti : ita è converso intelligi non potest Deum esse immensum, & omne ens creatum non esse penetrativè in Deo immenso, & consequenter Deo præsens : quod à fortiori patet in simili: quia id intelligi non potest in materia, & formis in ea receptis, nam earum una non potest aliam penetrare, quin sit illi positivè præsens : & certè, quomodo illi est positivè præsens, si alia non sit illi magis positivè præsens, quàm si non esset? quod fieret, quia ubi, (per quod solùm præsens est, & non per existere) non haberet.

LXIX. Probatur 3°. sicut Deus non potest esse positivè omnium creaturarum Dominus, quin creaturæ

creaturæ ab eo positivè pendeant : ita non potest esse positivè immensus, ac per consequens positivè penetrativè in omnibus creaturis, quin omnes creaturæ positivè illum penetrent, ac per consequens sint illi positivè præsentes : ergo, &c.

LXX. Dices 1°. creatura erit quidem positivè præsens Deo per suam entitatem, sed non per ubi realiter distinctum : ergo, &c.

LXXI. Sed contrà 1°. hinc sequitur ultimam superficiem hujus mundi esse Deo & creaturis præsentem per suam entitatem, contrà suos Authores. Ratio sequelæ est, quia si extrà hunc mundum poneretur alius mundus, esset illi necessariò positivè præsens, vel ab eo distans positivè, nullâ factâ in illo mutatione intrinsecâ: quia positivè inter ipsum & hunc mundum posset aliud ens interponi, haud secùs quàm nunc positivè inter duas mundi intercisi diametraliter oppositas superficies, omnia corpora intercepta interponuntur.

LXXII. Contrà 2°. sicut creatura à Deo solo pendet per productionem realiter à se distinctam : licèt Deus sit absolutus illius Dominus, & ex essentia sua determinatus, ut illam habeat à se pendentem : eò quòd illa creatura sit indifferens, ut sit, vel non sit, ut à Deo solo, vel Deo simul & creatura pendeat, &c. sic creatura Deo soli præter ipsam existenti, præsens esse debet, per ubi realiter à se distinctum, licèt Deus sit immensus & ex essentia sua determinatus, ut illam habeat sibi positivè præsentem, eò quòd illa creatura sit indifferens ut sit in hoc, vel in illo loco aptitudinali ; à dextris vel à sinistris hujus alterius rei locabilis; ut Deo soli, vel Deo simul & creaturæ positivè præsens sit, &c. Hinc quidem verum est, quocumque & quomodocumque ponatur creatura, semper habere præsentiam ad Deum, sicut quocumque & quâcumque actione producatur creatura, semper habet dependentiam à Deo: sed verum non est, quocumque ponatur, habere eamdem præsentiam, sicut verum non est quâcumque actione producatur, habere eamdem dependentiam: ac proindè, cùm ad hanc, vel illam, indifferentiam habeat, illa ad unam præ aliâ præsentiâ, aut dependentiâ, determinari debet, per aliquid realiter à suâ entitate distinctum : unde vel nobiscum ubi motui locali realiter identificandum, vel in ista absurda contrà rationem & authoritatem incidendum.

LXXIII. Dices 2° ex Oviedo Physic. cont. 15. p. 8. n. 3°. creatura erit præsens Deo, non per ubicationem aliquam in se receptam, sed per ipsam Dei immensitatem.

LXXIV. Sed contrà est 1°. quòd sic creatura omnis esset Deo præsens per seipsam, sicut ubi positivum creaturæ est Deo per seipsum præsens : ubi autem non est Deo præsens per Dei immensitatem, si per seipsum : ergo nec creatura ulla.

LXXV. Contra 2°. immensitas Dei non est ratio constituendi creaturam finitè Deo præsentem, sed infinitè, prout indivisibiliter infinita est : & reverà, cùm sit indifferens ad quamlibet ad se creaturæ localem correspondentiam finitam, non apparet quomodò aliam dare possit, quàm infinitam: quam tamen non admittunt adversarii in creatura illa, quæ nullibi esset : ergo, &c.

LXXVI. Contrà 3°. sicut Dei omnipotentia non est sic ratio constituendi creaturam positivè à Deo productam, ut creatura existere possit, quin ullâ productione producatur ; ita Dei immensitas non est sic ratio constituendi creaturam Deo positivè præsentem, ut creatura existere possit, quin ullum ubi habeat.

LXXVII. Confirmatur : creet Deus in instanti A duos homines, in instanti B annihilet eorum ubicationes, & sinè ubi eos conservet; vel erunt adhuc homines unus & unus, vel non ? non 1um, quia propter defectum approximationis, non est ratio, cur utrumque corpus uni animæ non uniatur, & cur duæ animæ uni corpori non uniantur, vel cur eorum corpus & anima inter se uniantur, & hominem componant; neque etiam 2um, quia alioqui inde sequeretur hominem non posse existere, & partes ejus non esse sibi invicem positivè præsentes, posse tamen hominem existere, & partes ejus non esse Dei immensitati positivè præsentes, cùm tamen eadem sit, positiva partium inter se, & cum Deo præsentia. Sequela est absurda : ergo, &c.

DISPVTATIO VLTIMA

De Existentia Creaturarum ab æterno.

DVBIVM I.

An Creaturæ permanentes, aut successivæ potuerint esse ab æterno.

RESOLUTIO.

I. DIco contrà Bonaventuram, Albertum Henricum, Toletum, Vallesium, Murciam, & plures Thomistas, non admittentes infinitum in actu : item contrà Mendozam admittentem infinitum in actu, & alios; creaturæ, sive permanentes, sive successivæ potuerunt esse ab æterno. Ita è nostris Complut. & P. Daniel à Sto Iosepho 1a p. Disp. ult. & alii.

II. Probatur 1° authoritate Aristotelis, qui cùm expresè docuit mundum esse ab æterno (licèt contrà fidem & parùm consequenter : quandoquidem neget infinitum actu esse possibile) à fortiori docuit eum potuisse ab æterno.

III. Probatur 2°, quia mundus, tam quoad creaturas successivas, quàm permanentes potuit esse ante, & ante, quàm fuit, in infinitum : si enim uno anno antè, quidni duobus, tribus, & sic in infinitum ? ergo & ab æterno. Frustra negat consequentiam Murcia, eò quòd, si tempus esset ab æterno, esset infinitum actu, quod est impossibile, inquit : si verò antè, & antè in infinitum esset, esset tantùm infinitum syncathegorematicè. Ostendimus enim suprà omne infinitum syncathegorematicè esse infinitum cathegorematicè, sive actu : undè id omninò frustrà dicit.

IV. Probatur 3°, mundus, tam quoad creaturas successivas, quàm quoad permanentes, potest esse in æternum à parte post, ergo & ab æterno à parte antè: iterum frustrà negat consequentiam Murcia, dicens, ex antecedente non sequi dari infinitum actu, sicut ex hoc : frustrà, inquam, quia hoc & illud, in ratione infiniti, idem sunt, ut etiam ostendimus su-

prà: numquid enim omnes creaturæ duraturæ in æternùm à parte post, simul & semel sinè ullo fine suæ durationis coexistunt toti æternitati Dei à parte post? cur hoc, nisi quia infinitæ actu in duratione?

v. Probatur 4°. quia nulla est repugnantia: ergo, &c. Probatur antecedens: quia si quæ esset: vel illa esset ex parte creaturæ, & hæc non, quia à natura dicit præcisè esse creatum, abstrahendo ab esse creato in tempore, aut æternitate: vel ex parte Dei? & hæc etiam non, quia æternus est, & ab æterno infinitè potens: si enim Pater potuerit ab æterno Filium generare, quidni & creaturam aliquam infinitè imperfectiorem? supponas enim Patrem esse agens necessarium creaturæ, sicut fuit Filii, non ideo erit potentior: tunc tamen creaturam ab æterno produxisset, sicut Filium ab æterno produxit: libertas autem non obest, quia sicut causa necessaria eodem instanti, quo est, agere potest necessariò, ita causa libera eodem instanti, quo est, agere potest liberè, quia ad agendum non requiritur prioritas temporis in causa. Dicere autem cum P. Oviedo, effectum creatum petere esse in tempore; omninò fictitium & gratuitum est, nisi aliquâ ratione fundetur & firmetur.

vi. Confirmatur solutione Argumentorum.

vii. Objicies 1° authoritatem SS. Patrum, 1° Ambrosii lib. 1° Hexameron. cap. 3°. *inconveniens est putare creaturam posse esse coæternam creatori suo.* 2° Basilii citati à Murcia, qui idipsum dicit esse blasphemum, idem ferè Damascenus & Augustinus apud eumdem.

viii. Respondeo SS. Patres ibi loqui, non tamquàm in sententia certa, sed probabili, ut aliàs sæpiùs contingit in Augustino, D. Thoma, & aliis: dici tamen potest illos velle esse inconveniens & blasphemum putare creaturam posse esse necessariò coæternam suo creatori, ita ut sit Deus ad eam ab æterno creandam necessitatus: quia liberè omnia creat, etiam creaturam, cui ex conditione suæ naturæ debita esset æternitas: nam Deus agere potest suprà naturam rei, sic etiam patet ad SS. Patres, qui contrà Arium probant Filium Dei esse Deum, quia est ab æterno: ille enim necessariò fuit ab æterno, ideoque Deus: directiùs tamen responderi potest, illos loqui ex hypothesi, quòd omnis creatura sit in tempore creata, juxta illud Genes. 1°. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, & definitionem Concilii Rhemensis, quòd nulla creatura fuerit de facto ab æterno (de creabili enim nihil tangunt,) quâ hypothesi positâ, bonum est argumentum: *Filius Dei fuit ab æterno, ergo est Deus.*

ix. Objicies 2°, illa creatura esset creata, ut supponitur, & non esset, quia non esset instans assignabile in quo creata esset; sed hoc contradictionem implicat: ergo, &c.

x. Confirmatur, quidquid est creatum, debet transire de non esse ad esse: quia creatio est productio rei ex nihilo: ac proinde per illam est transitus de non esse ad esse: sed illud quod transit de non esse ad esse, debet priùs tempore non esse, quàm sit: ergo, &c.

xi. Respondeo negando majorem pro 1ª parte: ad 2am verò, Respondeo supponi falsum, videlicèt, debere dari aliquod primum instans, in quo creatura creata sit: licèt enim assignari debeat aliquod instans, in quo creatura creata sit, non tamen primum assignari debet; quia cùm sit creata ab æterno (ut supponitur) quodlibet instans assignabile præsupponit infinita instantia, in quibus priùs, & priùs in infinitum antè, creata sit: idem contingit singulis momentis in creationibus creaturarum: quia nulla est assignabilis pars proportionalis horæ, in qua primùm res creata sit, eò quòd partes proportionales sint infinitæ, licèt assignari possit aliquota, quia aliquotæ sunt finitæ: quælibet enim proportionalis, quæ assignabitur, habet infinitas alias præcedentes in quibus antè, & antè in infinitum res creata sit: ex quo vides illud argumentum omnes æqualiter urgere. Ad Confirmationem

xii. Respondeo distinguendo antecedens: quidquid est primò creatum, transit de non esse ad esse, concedo antecedens; quicquid non est primò creatum, sed ab æterno productum, & ab æterno conservatum, nego antecedens: quia illud semper est. Ad probationem antecedentis, etiam distinguo, creatio est productio rei ex nihilo positivè, ita ut aliquo instanti debuerit nihilum præcedere, nego assumptum: ex nihilo sui negativè, ita ut sit tantùm productio independenter à subjecto, sive non ex aliquo subjecto, concedo assumptum; sed hoc non importat *non subjectum* fuisse priùs, sed tantùm concomitanter: quia hoc ipso, & non antè, quòd est creatio, est productio ex non subjecto: alioqui cùm Deus sit ex non subjecto, antè Deum debuisset esse non subjectum: quod nullus dixerit.

xiii. Objicies 3°. nihil est prius æterno, ut sequitur ex Responsione jam facta: sed motus habet prius & posterius: ergo, &c. Probatur minor, tum quia successivus, tum quia necessariò debet habere terminum à quo: tum quia Sol v. g. productus ab æterno debuisset produci in aliqua parte cœli determinata, quæ fuisset ipsum prius & terminus à quo motus Solis: ergo, &c.

xiv. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in æternum à parte post; nihil est posterius æterno; sed motus habet prius & posterius: ergo, &c.

xv. Respondeo 2°. distinguendo minorem; sed motus habet prius & posterius se adæquatè & collectivè sumptô, nego minorem; habet prius & posterius in se, & se adæquatè distributivè sumptô, concedo minorem: certum enim est imprimis motum habere plures partes, quarum una sit prior, alia posterior, & consequenter omnes partes distributivè sumptas habere priorem se: deinde certum etiam est quemlibet diem v. g. adæquatè sumptum, habere priorem & priorem in infinitum: falsum tamen est omnes collectiones omnium dierum, qui ab æterno fluxissent, si mundus ab æterno fuisset, habere priorem; quia alioqui æternitas à parte antè non esset infinita, haberet initium, &c. videlicèt istum diem priorem se; ad quæ non satis attendit Arriaga, cùm probat ex durationibus ab æterno debere dari unam primam omnium; quia omnis duratio habet aliquam priorem se (inquit) nam indè sequitur contrà suppositum non esse factam collectionem omnium dierum à parte antè.

Ad probationem verò minoris,

xvi. Respondeo ens successivum, non esse illud, quod habet prius se, sicut ens successivum non est illud, quod habet posterius se; sed quod habet in se prius & posterius, utì haberet motus ab æterno; idem est de termino à quo, & ad quem; quia illud non est successivum, quod habet terminum à quo priorem se, & terminum ad quem posteriorem se, collectivè sumendo omnes illius partes; alioqui

alioqui æternitas nostra à parte post non esset successiva; sed quod in se habet terminum à quo, & terminum ad quem: ad id verò quod additur de sole, Respondeo illum productum iri in parte determinata cœli, sed non primò; quia quodlibet instans assignabile in quo dicatur in illa parte productus, præsupponit aliud, & aliud in infinitum, in quo in illâ parte productus sit: undè illa pars non potest esse ipsum prius, & primus terminus à quo ipsius motus cœli; quia, & infinita instantia, & infinitos terminos à quo priùs existentes præsupponit, in quo semper decipiuntur adversarii.

XVII. Objicies 4°. si creatura fuisset ab æterno, jam esset verum dicere, infinitum sive æternitas pertransiit; sed hoc est absurdum; ergo, &c. Probatur minor, quia infinitum pertransiri non potest: ergo, &c.

XVIII. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in æternitatem à parte post; si creatura esset in æternum, aliquando verum esset dicere, jam infinitum, sive æternitas, pertransiit; sed hoc est absurdum, ut antè: hanc retorsionem fatetur Arriaga indissolubilem esse, ejusque solutionem in alia vita expectandam: verùm non est, cur id dicat Arriaga, cùm in nostra sententia istis argumentis aliundè satis clarè satisfaciamus.

XIX. Respondeo 2°. distinguendo majorem, jam esset verum dicere, infinitum, sive æternitas, tempore infinito pertransiit, concedo majorem; quia hoc est dicere æternitas est tempus infinitum, quod omnino verum est: jam esset verum dicere infinitum, sive æternitas, tempore finito pertransiit, nego majorem; infinitum duratione, tempore quidem finito pertransiri non potest, bene autem infinito tempore commensurari, quod ibi per ly *pertransiri* intelligi debet.

XX. Objicies 5°. nihil productum ab æterno, potest ab æterno corrumpi; quia alioqui deberet simul esse & non esse, nam corrumpi supponit esse, & dicit non esse: sed omnis creatura omni tempore potest à Deo corrumpi: ergo, &c.

XXI. Respondeo distinguendo minorem: sed omnis creatura potest omni tempore à Deo corrumpi, positô quòd fuerit antè, concedo minorem; non enim, ut constat ex argumento, potest corrumpi, nisi antè fuerit; potest omni tempore à Deo corrumpi, positô quòd non fuerit antè, nego minorem: creatura autem existens ab æterno, non potuit fuisse antè; ac proindè, nec ab æterno corrumpi; potuit tamen produci ab æterno, quia produci ab æterno, non supponit non fuisse antè. quòd verò Deus illam creaturam ab æterno productam ab æterno corrumpere non possit, non est defectu potentiæ in Deo, sed in objecto, videlicèt, quia non potest simul ab æterno res esse & non esse, quod sequeretur; quia tamen Deus illam creaturam liberè produxisset, licèt necessariò per æternitatem duraturam, ex hypothesi quòd à Deo producta esset, censeretur ex consequenti illam liberè conservare & remanere absolutus illius Dominus, eò quòd totum oriretur ex suppositione creationis Deo liberæ; sic enim duro 40 annis, supposito quòd Deus decreverit me 40 annis conservare, nec antè potest me annihilare, quantum est ex parte sui decreti; ideonè absolutè necessariò me conservat, & perdit absolutum in me dominium? Absit.

XXII. Objicies 6°. productio creaturæ fuit perfecta, sive absoluta uno instanti, vel non? si 1^um, illud instans fuit instans 1^um, in quo creatura extitit; quod æternum excludit: si 2^um, ergo creatura aliquod instans præsupponit in quo perfecta non fuit, quod æternum etiam excludit.

XXIII. Respondeo totum illud argumentum evidenter retorqueri in æternum à parte post; productio creaturæ quocumque instanti ex futuris erit perfecta, vel non? si 1^um, illud instans erit ultimum, in quo creatura existet, quod æternum à parte post excludit: si 2^um, ergo creatura aliquod instans post-ponit in quo perfecta non erit, quod æternum etiam excludit: si dicas creaturam sic fore uno instanti ex futuris perfectam, ut sit uno & omnibus futuris perfecta; dic similiter sic esse perfectam uno ex præcedentibus, ut uno & omnibus præcedentibus sit perfecta, alioqui argumentum concluderet ipsum Deum non esse ab æterno: vel enim Dei existentia est perfecta uno instanti, vel non, &c.? quod tamen est hæreticum. Pro horum complemento, sit

QVÆSTIVNCVLA.

XXIV. QVæres an generationes animalium potuerint esse ab æterno, & quomodo?

XXV. Respondeo non potuisse eo modo, quo jam sunt ordinariè, videlicèt, ex prævia dispositione, & successiva membrorum conformatione; potuisse tamen hôc sensu, quòd antè quamlibet assignabilem alia præcessisset, ita ut aliqua non sit, quæ priorem se non habeat; sive sic ut ab æterno non fecisset Deus aliquod individuum animalis, de quo verum esset dicere, est omnino primum, Deus non fecit prius illo, &c. sed ita unum creasset, ut semper priora & priora creasse debuisset; sic enim in tempore numquam creat aliquod individuum animalis, de quo verum sit dicere, est creatum in omnino prima parte proportionali temporis, non datur pars proportionalis temporis prior in qua creatum sit, &c. sed ita quodlibet in una parte proportionali temporis creat, ut semper in priori & priori creasse debuerit: si verò supponas unum hominem creatum ab æterno, & petas an ab ipso potuerint esse generationes infinitæ ab æterno? Respondeo per Deum potuisse; ita tamen, ut nulla detur prima, sicut nullum datur primum instans, aut prima pars motus, in æternitate; sed ita ut quemlibet hominem ab ipso genitum assignabilem alii infiniti ab ipso geniti præcesserint; sicut quamlibet partem motus ab æterno existentis aliæ infinitæ præcesserunt, ita ut non sit prima illius pars assignabilis.

Hæc quidem abundè probant ea, quæ ad stabiliendam præcedentis Dubii Resolutionem præmisimus; præsertim cùm probatum sit Deum, tot instantibus præcedentibus, rerum, sive permanentium, sive successivarum, non existentias seu negationes tollere potuisse, quot præcesserunt existentiam; cur enim potiùs de facto negationem ablatam, quàm illas potuisset? & illæ sunt infinitæ à parte antè, prout à parte post, utpotè ab utraque parte fine carentes. Sed difficilis occurrit objectio.

Dices 1°. Si sicut quamlibet partem motus ab æterno existentis aliæ infinitæ præcesserunt, ita ut non sit prima illius pars assignabilis, quam infinitæ aliæ non præcesserint; sic in generationibus hominum ab æterno, quamlibet infinitæ aliæ præcesserint;

rint ; neque hæ generationes, neque partes motus, dici poterunt esse ab æterno, magis quàm ego, aut quodvis aliud, quod infinitum tempus præcessit, dici possit fuisse ab æterno : ergo, &c.

Respondet noster P. Daniel à S. Iosepho in 1^am^ p. de Creatione rerum c. 4°. negando *quòd in æternitate nil detur prius, adeoque esse oporteat primum, omne quidquid ab æterno est : nam* (inquit) *ut verum est, in æternitate non esse quidquam prius, quod idem posterius non sit ; ita falsum est, cum æternitatis conditione pugnare, ut in ea sint alia aliis priora.*

Sed contrà, per hoc nil solvit : nam, non quidquid est in æternitate est ab æterno: verum quidem est, quòd omne id, quod ab æterno est, habeat posterius, & prius non habeat: sed quà posteriori correspondet, ab æterno non est, & multò minùs quà posterius infinita se priora supponit, quod cùm cuilibet generationi earum, quæ sunt ab æterno, conveniat, utì & cuilibet parti motus existentis ab æterno, objectio rectè contendit, neque illas, neque hunc, posse esse ab æterno; quod ibi non solvitur. Quare aliter

Respondeo 1° retorquendo argumentum in ipsas generationum istarum & partium motus negationes, quæ, in omnium sententia, fuerunt ab æterno, & tamen nulla earum est assignabilis, quæ infinitas alias non præsupponat.

Respondeo 2° distinguendo assumptum, motus ab æterno existentis partem quamlibet spectatam quâ parte infinitum ex partibus motus conflat, aliæ infinitæ præcesserunt, nego assumptum ; quia, cùm ut sic distributivè & ut una seorsim ab aliis sumi non possit; sed collectivè & conjunctim cum infinitis aliis sumi debeat, eò quòd infinitum ex solis infinitis conflari possit & debeat, ne vel una eam ut sic præcedere potest : spectatam quâ parte finitum ex partibus motus conflat, aliæ infinitæ præcesserunt, concedo assumptum : sed priori, non verò hoc posteriori modo, à nobis dicitur esse ab æterno. Vide dicta suprà Disputat. 1a de Infinito Dub. 3°. & idem dic de generationibus ab æterno.

Dices 2°. Achilles & Testudo rectà moveantur ab æterno ; Achilles sua celeritate citiùs conficiet infinito tempore idem spatium, quàm Testudo, ac proindè unum infinitum tempus necessariò esse debebit brevius altero, quod repugnat præmissis de Infinito, loco citato : ergo, &c.

Respondet idem P. Daniel, *illud revera vincere rectum ab æterno effici non posse motum, per porrectum sine fine spatium ; quia repugnat æternum anteriori ex parte motum habere principium, atque adeo ullo circumscribi limite ex parte anteriori.*

Sed contrà, per hoc etiam nihil solvit : nam, non omnis motus rectus per infinitum spatium ab æterno habere debet principium, si motus ita consideretur, ut ante quamlibet illius partem, priores & priores infinitæ, quomodo motum in Resolutione consideramus, præcesserint. Quare aliter

Respondeo negando assumptum : falsum enim supponitur, videlicèt Achillem qualibet parte temporis infiniti, sive æternitatis, quâ parte tempus infinitum conflat, moturum se velociùs, quàm sitse motura Testudo, quod esse evidenter falsum, convincunt fusè probata Disp. citatâ de Infinito ; solùm enim velociùs Testudine movebitur quâlibet parte temporis infiniti, sive æternitatis, quâ parte tempus finitum conflat, id est, quolibet instanti distributivè, & ab aliis seorsim sumpto ; verùm motum rectum non posse hoc modo esse ab æterno ; sed priori modo dumtaxat, patet ex dictis ad objectionem primam ; sic consequenter solves alias his affines objectiones; quas, vel omnes alii volunt esse indissolubiles, vel non nisi verbis eludunt. Sit interim in DEO rerum omnium finitore, Librorum octo Physicorum finis.

Finis Octo Librorum.


Th
929a

